


ICHNEUMONOLOGIA

EUROPAEA,

AUCTORE

I. L. C. GRAVENHORST,

PROFESSORE VRATISLAVIENSI.

PARS III,

CONTINENS

PIMPLAS, METOPIOS, BASSOS, BANCHOS, OPHIONES, HELLWIGIAS, ACAENITAS, XORIDAS, ET SUPPLEMENTA.

VRATISLAVIAE,

SUMTIBUS AUCTORIS,

PROSTAT LIPSIAE APUD LEOP. VOSS.

1829.

GENUS VI.

PIMPLA.

Abdomine convexo sessili; scutello triangulari aut suborbiculari; (aculeo exserto).

F A M I L I A I,

seu subgenus:

G L Y P T A,

a γλυπτὴ, sculpta — quia segmenta intermedia lineis incisis tanquam sculpta sunt.

Segmentis intermediis, lineis duabus obliquis, impressis; areola nulla; (aculeo longo).

Caput breve transversum, versus collum subangustatum, fronte interdum cornuta. — *Oculi* ovales. — *Antennae* graciles aut mediocres, porrectae, apice curvatae. — Antennae et *partes oris* fusius descriptae sunt in nota ad Gl. flavolineatam. — *Thorax* gibbulus aut gibbulo-cylindricus. — *Scutellum* convexum triangulare. — *Alae* mediocres, areola nulla. — *Pedes* mediocres. — *Abdomen* sessile nitidulum subdepressiusculum, thorace longius, hujusque latitudine, sublanceolatum aut lineare, segmentis tribus ultimis apicem versus sensim angustatis; linea longitudinali dorsali subelevata, in ultimis segmentis evanescente, interdum tota obsoleta; segmentis 2, 3, et 4 lineis duabus impressis, oblique ex angulis apicalibus, versus medium baseos, ascendentibus. Segmentum primum subquadratum, vel latitudine paulo longius, vel basin versus parum angustius, sessile, lineis duabus elevatis longitudinalibus, tuberculis lateralibus ante basin sitis. — *Aculeus* vel longitudine abdominis vel abdomine longior.

Lineae obliquae impressae segmentorum intermediorum characterem subpeditant, quo Glyptae a *Lissonotis* et *Polysphinctis* optime discernuntur; sed *Liss. striata,* segmentis bifoveolatis, sicut Glyptis, areola autem triangulari, sicut in reliquis Lissonotis, medium tenet inter has et illas. —

Pimplae et *Ephialtae*, praeter defectum linearum illarum, etiam areola differunt. — *Bassi* a Glyptis distinguuntur defectu illarum linearum et aculei exserti. — Inter *Orthocentros* unus est, *incisus* nuncupatus, segmentis 1—3 foveolis duabus obliquis, ut in Glyptis, impressis; caeterum autem a his satis diversus.

SECTIO I.

1) *Coxis posticis nigris.*

In varietate 1 *Gl. teretis* coxae subtus rufae sunt, quibus haec species ad sectionem secundam adpropinquat.

E sectione 2 varietates *Gl. ceratitis* et *bifoveolatae*, coxis posticis basi nigris, praecipue autem *scalaris* et *bifoveolatae* varietates, coxis fere totis nigris, in hanc sectionem 1 transeunt.

---

2) Coxis posticis rufis.

1. G. SCULPTURATA. n.

Pedibus rufis, coxis nigris. m.

Statura et proportio partium maris insequentis.

Longitudo paulo infra paulove ultra 4 lineas. *Antennae* apicem versus subgraciles, dimidio corpore longiores. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio fuscis aut piceis, radice et squamula flavis aut testaceis. *Pedes* fulvorufi, coxis et trochanterum basi nigris; tarsis posticis apice subfuscescentibus.

Mares duos cepi, mense Augusto, circa *Cudovam* in umbellatis; tres alii, circa *Norimbergam* et *Genuam* capti, mihi missi sunt.

Varietas:

1. *Segmentis* 1—3 *rufomarginatis*. m. — *Longitudo* fere 5 linearum. *Alae* subhyalinae irideae, stigmate radio radice et squamula pallidestramineis, radio superne fusco. *Pedes* paulo longiores quam in mare genuino, rufi; coxis et trochanteribus nigris, horum anterioribus apice rufis; postici tarsis et tibiarum apice fuscescentibus.

Hunc marem *pedemontanum Bonelli* mecum communicavit.

2. G. TERES. n.

Pedibus fulvis, coxis nigris. m. f. (*mas* antennis subtus ferrugineis; *femina* aculeo abdominis longitudine).

Longitudo 3 — 3½ linearum. *Caput* facie subtuberculata, labro obscure ferrugineo. *Antennae* subfiliformes, *maris* corporis longitudine, fuscae, subtus ferrugineae, articulo 1 toto nigro; *feminae* dimidii corporis longitudine, nigrae. *Thorax* gibbulocylindricus. *Alae* mediocres hyalinae, stigmate et radio piceis aut piceostramineis, radice straminea, squamula rufa aut picea aut fusca. *Pedes* mediocres, maris fulvi, feminae rufofulvi, coxis et trochanterum basi nigris; postici tarsis tibiarumque apice fuscescentibus, basi tibiarum plerumque subpallida. *Abdomen* cylindricum, capite thoraceque paulo longius et paulo angustius, mari paulo longius quam feminae. *Aculeus* abdominis longitudine aut longior, terebra castanea.

Quosdam mares et feminas, circa *Warmbrunn* et *Niesky* captos, accepi.

Varietates:

1. *Segmentis* 1 — 3 *margine castaneis.* m. — *Longitudo* 2 — 3⅓ linearum. *Caput* plerumque labro ferrugineo. *Antennae* corpore dimidio longiores, subtus ferrugineae, articulo 1 interdum toto nigro; rarissime totae nigrae. *Alae* stigmate et radio substramineis, radice et squamula flavo-

albidis. *Pedes* fulvi, coxis omnibus et trochanterum posticorum, ut plurimum quoque mediorum, basi nigris, coxis interdum subtus apice rufescente; postici rarius femorum medio fusco, tibiis plerumque apice nigricante, interdum basi pallescente, tarsis nigricantibus. *Abdomen* segmentorum 1—3 marginibus summis plerumque castaneorubricosis.

Plures mares legi, mensibus Iulii et Augusti, in umbellatis et fruticetis, rarius in gramine, passim in *Silesia*, nec non circa *Gottingam*, *Barterodam*, *Oedelem*, *Helmstadium*. Unum, eumque unicum antennis totis nigris, *Besser* e *Volhynia* transmisit.

2. *Segmentis* 1—3 *margine castaneo, antennis totis nigris, tibiis posticis basi flavis.* m. — *Statura* intermedia inter hujus speciei mares genuinos et mares speciei sequentis. — *Longitudo* 3¾ linearum. *Alae* fumatohyalinae, stigmate radio et radice substramineis, radio supra fusco, squamula rufa. *Pedes* rufi, coxis nigris, posticis apicem versus castaneis; trochanteribus basi nigris; tibiis posticis apice nigro, basi flava; tarsis posticis fuscis.

Unicum marem *Manger* cepit circa *Warmbrunn*.

3. *Segmentis* 1—3 *fulvomarginatis, tibiis posticis basi albis.* m. — *Statura* gracilior quam in mare genuino. — *Longitudo* paulo ultra 3 lineas. *Caput* ore testaceo. *Antennae* ferrugi-

neae, supra obscuriores, articulo 1 toto nigro. *Thorax* cylindricus. *Alae* hyalinae irideae; stigmate radio radice et squamula stramineis. *Pedes* graciles, stramineo-testacei, coxis et trochanteribus fuscis, his apice subtestaceo; postici tarsis, geniculis, nec non tibiarum apicc et macula ante basin albam, nigricantibus. *Abdomen* linearicylindricum, thorace paululum angustius, eoque fere duplo longius, fuscum; segmentis 1—3 margine dilutefulvo.

Marem unicum, in *Regione pedemontana* captum, *Bonelli* mecum communicavit.

4. *Lineola flava ante alas.* f. — *Longitudo* 4 linearum. *Caput* ore subtestaceo. *Antennae* nigrae. *Thorax* puncto flavo ad radicem alarum, collum versus in lineolam brevem, sensim desinentem, excurrente. *Alae* fumatohyalinae; radio stigmate et squamula piceis, radice straminea. *Pedes* rufi, coxis nigris; postici tarsis et tibiarum apice nigris. *Aculeus* abdominis longitudine.

Hanc feminam *Besser* e *Volhynia* ad me transmisit.

Nota:

Nees ab Esenbeck hujus speciei marem genuinum, cum femina *bifoveolatae* copula junctum, cepit. Ego quidem ambas species uno eodemque loco legi, nunquam autem copula junctas.

3. G. VULNERATOR. n.

Segmentis 1—3 margine castaneo; pedibus fulvis, coxis nigris; tibiis posticis basi albis, apice et ante basin fuscis. m. f. (*Fem.* aculeo corporis longitudine).

Statura et proportio partium omnino *mensuratoris*, n. 9. A specie praecedente haec differt statura et abdomine crassioribus.

Longitudo 3—fere 4 linearum. *Caput* labro plerumque ferrugineo, palpis interdum stramineis. *Antennae* dimidio corpore longiores, mari interdum corporis longitudine, fuscae, subtus interdum ferrugineae, articulo 1 autem semper nigro. *Alae* mediocres subfumatohyalinae, stigmate et radice stramineis, radio piceo aut fuscescente, squamula picea aut ferruginea. *Pedes* fulvi, coxis nigris, trochanteribus vel nigris vel fulvis basi obscuriore; postici tarsis, nec non tibiarum apice et annulo ante basin exalbidam, nigricantibus, articulis tarsorum interdum basi alba. *Abdomen* segmentis 1—3 margine castaneo-rubricoso, qui color autem nonnunquam fere tota haec segmenta imbuit, ita, ut in singulo segmento non nisi triangula tria, aut triangulum unicum, coloris nigri, supersint. *Aculeus* corporis longitudine.

Mares paucos legi, mense Iulio, in umbellatis circa *Helmstadium* et *Barterodam;* unum *norimbergensem* a *Sturmio* accepi. — Unam feminam cepi, eodem mense, prope *Oedelem;* alteram *genuensem a Spinola* mihi transmisit.

4. G. HAESITATOR. n.

Segmentis 1 — 3 castaneomarginatis; pedibus fulvis, coxis nigris; tibiis posticis basi albis, apice et ante basin nigris. m. f. (*mas* tarsorum posticorum articulis fuscis basi alba; *fem.* aculeo vix abdominis longitudine).

Statura et proportio partium *mensuratoris*, n. 9; mares italici attamen paulo sunt graciliores, sicut mares *teretis*, n. 2; feminae antennis sunt paulo longioribus, aculeo autem breviore, quo etiam a feminis speciei antecedentis discerni possunt.

Longitudo maris $2\frac{2}{3}$ — fere 3, feminae fere 3 — $3\frac{1}{5}$ linearum. *Caput* palpis sordide-albidis, labro plerumque fulvescenti-pilosello. *Antennae* apicem versus curvatae subgraciles; *mari* corporis longitudine, subtus interdum ferrugineae, articulo 1 toto nigro; *feminae* corpore breviores, subtus apicem versus fuscoferrugineae. *Thorax* gibbo-cylindricus. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate piceostramineo, radio fuscopiceo, squamula et radice pallidestramineis. *Pedes* fulvi, coxis et trochanteribus nigris, horum anterioribus mari rarius totis flavis; medii articulis tarsorum apice fuscescentibus; postici tibiis apice, annuloque ante basin albam, nigris; tarsis nigrofuscis, mari basi articulorum pallidiore aut alba, feminae solo articulo primo basi albido. *Abdomen* cylindrico-fusiforme, mari capite thoraceque paulo longius, feminae capitis thoracisque longitudine; segmen-

tis 1 — 3 margine, ut plurimum tantum summo, castaneo; interdum quoque quarto castaneomarginato. *Aculeus* vix abdominis longitudine.

Marem unicum cepi, mense Iulio, prope *Helmstadium* in floribus Petroselini; quosdam alios accepi, circa *Genuam* et *Taurinum* captos, statura graciliore et antennis totis nigris a mare helmstadiensi discrepantes. Feminam unicam cepi cum mare.

SECTIO II.

Coxis posticis rufis.

Interdum coxae posticae basi nigrae sunt (var. *bifoveolatae* et *ceratitis*); immo coxae fere totae nigrae sunt varietatibus *scalaris* et *bifoveolatae*, quibus haec sectio in primam transit.

---

5. G, SUBCORNUTA. n.

Fronte subacuminata, abdomine rufo, basi apiceque nigris; pedibus rufis, tibiis basi albidis, posticis apice et ante basin fuscis; antennis rufis. m. f. (*mas* coxis basi nigris; *fem.* aculeo corpore longiore).

Statura et proportio partium feminae sicut in *mensuratore* n. 9, sed aculeo longiore et fronte acuminata differt. Mas statura est intermedia inter *mensuratorem* et *fronticornem*, n. 7.

Longitudo paulo ultra vel paulo infra 3 lineas. *Caput* acumine parvo frontali; ore maris rufofulvo, feminae ferrugineo. *Antennae* subfiliformes, *maris* fere corporis longitudine, rufofulvae, articulo 1 nigro subtus testaceo; *feminae* dimidio corpore paulo longiores, ferrugineae, supra fuscescentes, articulo 1 nigro. *Thorax* gibbulus. *Alae* fumatohyalinae aut subhyalinae, stigmate vel substramineo vel fulvo vel fuscescente, radio subfusco, radice et squamula albidostramineis. *Pedes* mediocres rufofulvi; coxis maris basi nigris; tibiis basi albidis, posticis apice et ante basin, distinctius aut obsoletius, fuscescentibus; tarsis posticis rufescentibus, articulorum summa basi albida. *Abdomen* cylindricum depressiusculum, capite et thorace paulo longius, thoracis latitudine; *maris* fulvorufum, segmenti primi vel basi tota vel macula dorsali nigra, sexti interdum ma-

cula dorsali fusca, septimo toto fusco; *feminae* segmento 1 nigro, apice rufo, 2—4 rufis, 4 dorso fuscescente, sequentibus fuscis, lateribus rufis. *Aculeus* corpore longior, terebra castanea.

Mares duos *pedemontanos Bonelli* mecum communicavit; feminam vidi in museo *Comitis de Hoffmannsegg*.

6. G. MONOCEROS. n.

Fronte cornuta; pedibus abdomineque rufis, ano nigro. m.

Statura et proportio partium praecedentis, sed antennis et pedibus paulo longioribus et gracilioribus.

Longitudo fere 4 linearum. *Caput* acumine acuto frontali; palpis et labro testaceis. *Antennae* filiformes, corpore paulo breviores, rufoferruginеae, supra obscuriores, articulo 1 nigro. *Thorax* puncto testaceo ad squamulam alae. *Alae* subhyalinae, stigmate et radio piceostramineis, radice et squamula flavis. *Pedes* subgraciles rufi, anticorum trochanteribus et coxis flavicantibus. *Abdomen* rufum; segmento 7 et margine sexti nigris. *Stylus* analis brevis crassus niger, utrimque minuto appendice auctus.

Marem unicum *Richter* cepit circa *Vratislaviam*.

7. G. FRONTICORNIS. n.

Fronte subcornuta; segmentis 2—5 fulvis, nigromaculatis; pedibus fulvis, posticis apice fuscis. m.

Statura et proportio partium *Gl. teretis*, n. 2, sed fronte cornuta, antennisque paulo brevioribus et crassioribus.

Longitudo paulo ultra 3 lineas. *Caput* acumine parvo frontali; palpis pallidesubfuscis. *Antennae* filiformes, dimidio corpore longiores, curvatae, ferrugineae, supra fusconigrae, articulo 1 nigro. *Thorax* gibbulus. *Alae* hyalinae, stigmate et radio piceostramineis, radice et squamula stramineis. *Pedes* graciles fulvi; postici tibiarum apice et tarsorum latere supero fuscis. *Abdomen* thorace paulo angustius et duplo longius, lineari-cylindricum; segmento 1 nigro; margine lato fulvorufo; 2—5 rufofulvis, ad basin maculis tribus trigonis nigris; 6 basi rufa nigromaculata, apice nigro; 7 toto nigro.

Marem unicum *Reusmann* cepit prope *Hannoveram*.

8. G. CERATITES. n.

Fronte subcornuta; segmentis 1—3 margine castaneo; pedibus rufis; tibiis posticis basi pallidis, apice et ante basin fuscis; m. f. (*Fem.* aculeo abdominis longitudine).

Statura et proportio partium *Gl. teretis*, n. 2; sed fronte cornuta, aculeo breviore, antennis paulo longioribus.

Longitudo maris $2\frac{3}{4}$—$3\frac{1}{4}$, feminae 3—$3\frac{1}{3}$ linearum. *Caput* cornu frontali maris minore quam feminae; palpis testaceis, feminae interdum fuscis; labro stramineo aut fuscoferrugineo. *Antennae* filiformes, *mari* longitudine corporis, fulvae, aut rufae supra ferrugineae; *feminae* dimidio corpore longiores, fuscae. *Thorax* gibbulocylindricus. *Alae* maris hyalinae, feminae subfumatohyalinae; stigmate et radio sordidestramineis, feminae interdum piceis, radice et squamula stramineis. *Pedes maris* fulvi; antici coxis et trochanteribus pallidis; postici tibiis apice et ante basin fuscis, basi ipsa pallidestraminea aut albida, tarsis fuscis, articulorum basi pallidiore aut albida; *feminae* rufi aut fulvi; anteriores coxarum basi rarissime nigra; postici interdum coxarum basi nigra, femorum summo apice, tibiarum apice et annulo ante basin, tarsisque nigris, his summa basi articulorum pallida; tibiis posterioribus summa basi pallida aut albida. *Abdomen* depressiusculocylindricum, capite thoraceque paulo longius et

paulo angustius; segmentis 1—3 marginibus summis castaneis, interdum subobsoletis, in femina rarissime diluterufis. *Aculeus* abdominis longitudine.

Marem unum *Menzinger* cepit circa *Friburgum*, alterum, eumque majorem, antennis subtus rufis, basi tibiarum et articulorum tarsorum posticorum albida, *Sahlberg* circa *Aboam*. Feminas plures legi, mensibus Iunii Iulii et Augusti, circa *Scheidnich*, *Zobten* et *Cudovam*, in umbellatis et fruticetis; unicam coxis basi nigris cepi in fruticetis prope *Ahdenstedt*. Individuum feminae, corpore graciliore et longiore a reliquis recedens, circa *Sickershausen* captum, *Nees ab Esenbeck* mecum communicavit.

Varietates:

1. *Abdomine toto nigro, tibiis tarsisque posticis albonigroquevariis.* f. — *Longitudo* 3—4⅕ linearum. *Caput* ore fulvo aut ferrugineo, mandibulis apice nigro; cornu frontali erecto, vel longiore obtuso, vel breviore acuto. *Antennae* subtus ferrugineae aut ferrugineo-fuscae, articulo 1 toto nigro. *Thorax* puncto minuto testaceo ad alarum radicem. *Alae* fumatohyalinae, stigmate et radio piceis aut fuscopiceis, radice et squamula flavis aut testaceis. *Pedes* rufi; interdum apice trochanterum flavo; femoribus posticis geniculo nigro; tibiis anterioribus plerumque basi flavis, posticis nigris, basi et medio sordidealbidis; tar-

sis posticis nigris, basi articulorum alba. *Aculeus* abdominis longitudine, aut paulo brevior, terebra rufa.

Duae feminae circa *Vratislaviam* captae sunt, quarum altera, mense Majo ab *Hartliebio* capta, minima, cornu longiore obtusiore, aculeo autem breviore, a reliquis differt. Duae *pedemontanae* a *Bonellio* mecum communicatae sunt.

2. *Tuberculo frontali minuto, coxis nigromaculatis.* m. f. — Haec varietas exacte medium tenet inter *ceratitem* genuinam et *G. fronticornem* antecedentem, tam colore quam cornu frontalis forma. — *Longitudo* 3 linearum, paulove minor. *Caput* tuberculo frontali minuto, rarius fere obsoleto; palpis sordidestramineis, mandibulis interdum rufis, clypeo rufo, genis interdum castaneis. *Thorax* puncto stramineo ante alas, rarius colli lateribus rufis. *Alae* subhyalinae aut fumatohyalinae; stigmate piceostramineo aut stramineo, radio supra subfusco, radice et squamula pallidestramineis. *Pedes* fulvorufi, coxis vel omnibus, vel posticis solis, macula nigra; postici femorum summo apice nigricante distinctiore aut obsoletiore, tibiis basi albis, apice et ante basin nigricantibus, tarsis nigricantibus. *Abdomen* lineari-cylindricum, capite thoraceque paulo longius, thoracis latitudine; segmentis 1—3 apice, 2 ut plurimum etiam lateribus, rufofulvis; 4 margine rufo, interdum obsoleto. *Aculeus* vix abdominis longitudine, terebra testacea.

Marem et nonnullas feminas, in *Regione pedemontana* lectas, *Bonelli* transmisit.

9. G. MENSURATOR.

Segmentis 1—3 margine rufo; pedibus rufis, tibiis posticis basi pallidis, apice et ante basin fuscis. m. f. (*Fem.* aculeo abdominis vel corporis longitudine).

Longitudo $2\frac{3}{4}$ — fere 4 linearum. *Caput* palpis rarius fulvis, labro interdum fuscoferrugineo aut rufo; facie subtuberculata. *Antennae maris* fere corporis longitudine; apicem versus subcurvatae, rarius totae nigrae, plerumque subtus ferrugineae articulo 1 toto nigro; *feminae* dimidio corpore paululum longiores, nigrae aut nigrofuscae, rarius subtus totae rufae. *Thorax* gibbulus, plerumque puncto albo ad radicem alarum. *Alae* mediocres, fumatohyalinae aut subfumatohyalinae; stigmate stramineo, maris subpiceo, radio piceo aut fuscescente, radice et squamula testaceis aut flavis. *Pedes* mediocres subgraciles, rufi aut fulvi; coxis anticis rarissime basi nigris; ut plurimum trochanteribus anticis, interdum etiam mediis, subtus pallideflavis, posticis plerumque, anterioribus rarius, superne basi nigra; tibiis posticis testaceis aut stramineis, apice et annulo ante basin fuscis, basi ipsa pallidiore aut albente; tarsis posticis fuscis, summa basi articulorum plerumque pallida. *Abdomen* capite et thorace paulo longius, thoracis latitudine, cylindricum seu subfusi-

forme; segmentis 1—3 margine rufocastaneo; 2 interdum fere toto rufo, ita ut, foveis colore rufo totis imbutis, in dorso et utrimque in latere triangulum nigrum aut fuscum subelevatum exhibeatur; 4 et 5 interdum summo margine rufo. *Aculeus* minoribus abdominis longitudine, individuis mediae magnitudinis abdomine longior, maximis corporis longitudine paulove longior.

Mares et feminas accepi, circa *Vindobonam*, *Sickershausen* et *Niesky* lectos; quaedam aliae feminae, circa *Vratislaviam*, *Gottingam*, *Norimbergam* et in *Regione pedemontana* lectae, mihi transmissae sunt, quarum norimbergensis, colore rufo segmentorum 2 et 3 praevalente (quo ad varietatem 2 speciei antecedentis adpropinquat), pedemontana autem, palpis fulvis, clypeo rufo, antennis subtus rufis, a reliquis se distinguunt. Ipse nonnullas feminas legi, mense Iulio, in umbellatis circa *Helmstadium*.

Varietas:

1. *Segmentis* 1—3 *rufis*, 3 *macula dorsali fuscescente*; 4 *rufo*, *dorso fusco*; *sequentibus nigrofuscis*. f. — Caetera omnino sicut in individuis plurimis genuinis.

Unicam feminam *a Steven* e *Tauria* mihi misit.

Synonyma:

Ichn. mensurator Fabr. Syst. pag. 338, n. 65. — Ent. p. 170, n. 155; habitat in *Saxonia*.

Ichn. mensurator Villers p. 177, n. 129; habitat in *Gallia australi*.
„ Gmel. ed. Linn. p. 2694, n. 155.
„ Christ p. 363.
„ Olivier p. 191, n. 138.
„ Thunb. Ichn. n. 326.
Pimpla mensurator Fabr. Piez. p. 114, n. 8.

10. G. INCISA. n.

Pedibus rufis, tibiis basi flavis, posticis apice et ante basin nigris. m. f. (*fem.* aculeo corporis longitudine).

Statura et proportio partium feminae omnino sicut in speciei antecedentis individuis majoribus; mas autem a mare praecedente abdomine longiore magisque lineari differt, potiusque cum mare *flavolineatae*, n. 13 et *sculpturatae*, n. 1, convenit.

Longitudo maris 5 linearum, vel paulo minor, feminae 3⅓—4 linearum, vel paulo major. *Caput* clypeo maris plerumque obscuro-ferrugineo. *Antennae* maris subtus fuscae aut ferrugineae, articulo 1 toto nigro. *Alae* fumatohyalinae, stigmate piceo aut piceostramineo, radio fusco, radice pallidestraminea, squamula fulva aut straminea. *Pedes* rufi; anteriores tibiis basi flavis; postici tibiis basi albidis, apice et ante basin nigricantibus, tarsis nigricantibus. *Abdomen* linearicylindricum, latitudine thoracis, mari thorace duplo longius,

feminae capite thoraceque paulo longius. *Aculeus* longitudine corporis, terebra rufa.

Marem et feminam *Manger* cepit circa *Warmbrunn;* ipse marem cepi circa *Vratislaviam;* feminam *Besser* quoque e *Volhynia* ad me transmisit.

11. G. SCALARIS. n.

Pedibus fulvis, posticorum tarsis et tibiarum apice nigricantibus. f. (aculeo vix abdominis longitudine).

Statura et proportio partium omnino feminae *mensuratoris*, n. 9; aculeo autem breviore.

Longitudo 3 linearum. *Alae* mediocres subhyalinae, stigmate piceo-stramineo, radio fuscescente, radice pallidestraminea, squamula fulva.

Feminam unicam *Roentgen* circa *Niesky* cepit.

Varietas:

1. *Coxis fusconigris.* f. — *Statura* et proportione partium haec varietas omnino medium tenet inter *scalarem* genuinam et *teretem*, n. 2; corpore autem majore et crassiore ab utraque differt. — *Longitudo* 3¾ linearum. *Caput* mandibulis medio flavis. *Antennae* ferrugineae, supra fuscescentes, articulo primo toto nigro. *Thorax* puncto flavo ante alas. *Alae* subhyalinae, stigmate et radio stramineis, radice pallidiore, squamula fulva. *Pedes* rufi; coxis fusconigris, rufo-

submaculatis; postici tarsis et tibiarum apice nigris. *Aculeus* longitudine abdominis, terebra rufa.

Hanc feminam, in *Regione pedemontana* captam, *Bonellio* debeo.

12. G. BIFOVEOLATA. n.

Marginibus segmentorum 1—3 subcastaneis; pedibus rufis. m. f. (*fem.* aculeo longitudine corporis).

Statura maris paulo gracilior est quam feminae.

Longitudo maris 3—3⅓, feminae 3—4⅓ linearum. *Caput* tuberculo faciei, labro maris stramineo aut obscure-ferrugineo. *Antennae* dimidii corporis longitudine, aut paulo longiores; mari rufae, supra ferrugineae, articulo 1 superne nigro, inferne interdum testaceo-stramineo. *Thorax* feminis majoribus puncto parvo stramineo ad radicem alarum. *Alae* subfumatohyalinae, aut obscuriores, stigmate et radio fuscopiceis aut stramineis, radio et squamula flavostramineis, *Pedes* rufi, tarsis posticis maris, rarius quoque feminae, fuscis. *Abdomen* incisuris 1—3 subcastaneis, interdum obsoletis, praesertim in feminis majoribus et in maribus.

Mares duos *Manger* cepit circa *Warmbrunn*. Feminas nonnullas legi, mense Augusto, in umbellatis circa *Cudovam;* plures, circa *Gottingam*, *Norimbergam*, *Netley*, *Genuam*, *Taurinum*, et in *Volhynia* lectae, ad me transmissae sunt.

Varietates.

1. *Abdomine toto nigro.* m. f. — *Longitudo* 3 linearum. — Caetera individuis plurimis genuinis respondent.

Mas et femina circa *Vratislaviam* capti sunt.

2. *Antennis rufis, coxis nigromaculatis aut fere totis nigris.* f. — *Longitudo* 2—3⅓ linearum. *Caput* labro plerumque obscuroferrugineo aut stramineo. *Antennae* vel rufae, superne ferrugineae articulo 1 nigro, vel nigrae, subtus piceae aut testaceae aut obscuroferrugineae, articulo 1 interdum toto nigro. *Alae* subfumatohyalinae aut hyalinae, stigmate et radio stramineis aut stramineopiceis, radice et squamula flavoalbidis. *Pedes* rufi; tarsis posticis plerumque fuscis; coxarum vel solis posticis basi nigris, vel posterioribus totis nigris, vel omnibus nigrofuscis apice rufo; individuorum, quibus coxae posteriores nigrae sunt, trochanteribus basi nigris tibiis posticis rarissime apice et ante basin fuscis. *Abdomen* incisuris 1—3 distinctius aut obsoletius castaneis. *Aculeus* corpore paulo longior, terebra fulva aut castanea.

Plures legi feminas, mensibus Iulii Augusti et Septembris, passim in *Silesia,* nec non circa *Trajectum ad Viadrum* et *Oedelem,* in fruticetis et umbellatis; quaedam aliae circa *Sickershausen, Norimbergam* et in *Volhynia* lectae, mihi transmissae sunt. Norimbergensis unica est coxis posterioribus totis et trochanterum basi nigris. Individuum, coxis omnibus nigrofuscis apice rufo, tro-

chanteribus basi nigrofuscis, *Richter* cepit in sylva prope *Landshut*.

Nota:

Conferre velis notam ad *G. teretem*, n. 2.

13. G. FLAVOLINEATA. n.

Scutello thoraceque flavolineatis, ore flavo; pedibus fulvis, tibiis posticis fuscomaculatis basi alba. m. f. (*femina* aculeo abdominis longitudine).

Longitudo 4—5 linearum. *Caput* ore flavo, mandibulis apice nigro, *Antennae* graciles filiformes porrectae, apice incurvae, corpore breviores, fuscae; subtus ferrugineae aut fuscoferrugineae, articulo 1 plerumque flavicante. (Os et antennae in nota, huic speciei subjuncta, accuratius descriptae sunt). *Thorax* gibbus, plurimis linea ante alas, collum versus excurrente, puncto infra alas, ut plurimum quoque linea transversa sub scutello, rarius maribus solo puncto ante alas, flavis. *Scutellum* apice, plerumque lateribus, flavis, rarius scutello toto flavo. *Alae* mediocres, subfumato-hyalinae, stigmate et radio stramineis, radice et squamula flavis. *Pedes* mediocres subgraciles fulvi, trochanteribus et coxis anticis, interdum etiam mediis, subtus flavicantibus; postici femorum summo apice summaque basi plerumque nigris, tibiis fuscis, rarius ferrugineis apice fusco

aut fuscis introrsum testaceis, rarissime sordide flavis, apice et annulo obsoleto ante basin fuscis, semper autem basi summa albida, tarsis fuscis. *Abdomen* feminae thorace fere duplo longius et paulo angustius, maris paulo longius pauloque angustius quam feminae, cylindricum; segmentis 1—3 interdum margine summo subcastaneo. *Aculeus* longitudine abdominis, niger, terebra castanea.

Marem et feminam *Nees ab Esenbeck* cepit circa *Sickershausen;* praeterea mares quosdam accepi, circa *Warmbrunn* et *Taurinum,* feminamque circa *Genuam,* lectos. Ipse nonnullas feminas cepi, mensibus Maji et Augusti, in fruticetis circa *Vratislaviam* et *Gottingam.*

Nota:

Antennas et oris partes *Nees ab Esenbeck* accuratius examinavit et his verbis descripsit:

Antennae filiformes rectae, apicem versus parum recurvae, articulis 48: Radicula angusta pateraeformi; scapo subcylindrico recto crassiori, apice vix obliquo, concavo; pedicello et articulo accessorio utroque disciformi brevissimis, vix exsertis; reliquis articulis decrescentibus, quinto sequente haud admodum longiori, anterioribus cylindricis, extremis plurimis subtransversis et fere pateraeformibus, contiguis, ultimo minuto conico obtuso.

Clypeus distinctus convexus, subtilissime punctulatus, margine supero et infero rotundatis, lateribus in cuspidem productis. — *Labrum* ex-

sertum semicirculare breve. — *Mandibulae* arcuatae latiusculae, facie exteriori plana triangula, apice bifidae, dentibus aequalibus acutis. — *Maxillae: Stipes* compressus coriaceus lanceolatus, apice introrsum obliquus, et ramo altero coriaceo, minus pellucido, a latere conspiciendo, intra substantiam membranaceam laterum fultus: *Mala* stipitis longitudine, bifida membranacea; lacinia infera triangulo-rotundata, angulo seu lobo interiori prominente subhorizontali; supera truncata subquadrata, margine supero rectiusculo ciliato, ángulo interiori acuto, exteriori obtuso. — (Reliquae oris partes desunt).

FAMILIA II,

seu subgenus:

LISSONOTA,

a λισσὸς, laevis, et νῶτος, dorsum — cui dorsum abdominis laeve, haud incisum, est.

Abdomine plerisque laevi nitido, segmentis ultimis feminae ventre integris; areola vel nulla vel triangulari; (aculeo longo).

Caput transversum breve, rarissime bicornutum (*L. bicorni*). — *Oculi* ovales, prominentes; speciebus sectionis 2 et 3 majores quam plurimis reliquis. — *Antennae* graciles aut mediocres, longiores aut breviores, plerumque apice curvatae. — Antennas et *partes oris* fusius descriptas invenies sub Lissonota setosa. — *Thorax* gibbus aut gibbulus. — *Scutellum* plurimis triangulare aut suborbiculatum, convexum aut subtuberculatum, rarius subquadratum; nonnullis, scilicet *L. griseae, tomentosae, brachycentrae,* latius planius subquadratum, apicem versus sensim angustatum. — *Alae* mediocres aut amplae; areola rarius majore subrhombeata, plerumque triangulari, regulari aut irregulari, sessili aut petiolata, interdum minutissima obsoleta petiolata (*L. arvicolae*), aut omnino nulla. — *Pedes* mediocres aut subgraciles, interdum graciliores elongati, e. g. *bellatori* et *bicorni,* nonnunquam femoribus posticis subcrassiusculis, v. c. *decimatori.* — *Abdomen* sessile aut subsessile; plurimis elongatum, sublineare aut subcylindricum, thorace longius ejusque latitudine, vel paulo angustius, laeve nitidum, quibusdam suboblongum; rarius thoracis longitudine et latitudine, oblongo-ovatum, e. g. *occupatori* et *decimatori;* rarissime segmentis 1—3 confertim punctis opacis, marginibus subelevatis nitidis (*L. setosae*). Seg-

mentum primum plerumque latitudine longius, basin versus sensim paulo angustatum, canaliculatum aut subcanaliculatum aut laevissimum, rarius fere quadrangulare. Segmenta 5 et 6 ventre haud fissa sunt, sed aperturam obtegunt, per quam aculeus exseritur. — *Aculeus* longitudine abdominis aut eo longior.

Tres species, *grisea* scilicet, *tomentosa* et *brachycentra*, scutello latiore planiore subquadrato, apicem versus sensim angustato, a reliquis cospeciebus etiam differunt corpore magis tomentoso, capite latiore, oculis majoribus magisque prominulis, forsanque in peculiarem familiam segregari possent. *L. murina*, quae, ratione formae scutelli, medium tenet inter tres istas et reliquas species, corpore tomentoso congruit cum illis, capite autem et oculis cum reliquis.

Affinitatum Lissonotarum cum *Tryphonibus* et *Glyptis* supra jam mentionem feci. — *Polysphinctae* a Lissonotis differunt incisuris transversalibus abdominis, et segmentis duobus ultimis ventre longitudinaliter fissis. — A speciebus Lissonotarum, areola nulla, v. c. ab *accusatore, occupatore, decimatore*, *Schizopygae* differunt habitu toto, pedibus crassis, aculeo brevissimo, segmentis 6 et 7 ventre incisis; ab omnibus autem, incisuris transversalibus abdominis. — *Clistopygae* ab iisdem Lissonotarum speciebus, modo allegatis, differunt abdomine corporeque toto longioribus et angustioribus, incisuris transversalibus abdominis, aculeo breviore. — *Pimplae* discedunt a Lissonotis, ab-

domine minus laevi, segmentis brevioribus et latioribus, feminae autem praeterea segmentis 6 et 7 ventre rima longitudinali incisis. — Feminae *Ephialtarum* differunt a feminis Lissonotarum, rima ista ventrali; mares autem vix, nec nisi abdomine vel longiore vel ruguloso, a Lissonotis discedunt; imprimis mares *Ephialtes mediatoris* et *divinatoris*, toto habitu, abdomine laeviori, ipsisque picturis, ad quasdam Lissonotas propius accedunt, nec nisi abdomine longiore discernuntur. — *Lisson. pectoralis* peraffinis est *Bassis.* — Feminae *Exetastarum* abdomine vix subcompresso, v. c. *albitarsi* et *brunnipedis*, transeunt ad Lissonotarum species aculeo breviore, quales sunt v. c. *Liss. catenator* et *agnata;* praecipue *Exet. brunnipes*, segmento primo vix basin versus subangustato, nec non forma tota et partium proportione, excepto aculeo breviore, cum *Liss. catenatore* ita congruit, ut non nisi longitudine aculei ab ea differat. — *Leptobati* a Lissonotis discernuntur areola majore rhomboidali et ventre compresso; *Liss. accusator, occupator, decimator*, forma abdominis conveniunt cum Leptobatis, distinguuntur autem areola nulla, et segmento primo paulo breviore et latiore. — Eaedem Lissonotarum species *Acaenitis* adpropinquant, cum forma abdominis fere eadem, et *Liss. decimatoris* femora postica quoque subcrassiuscula sint; sed habitu toto, crassitie et longitudine antennarum, valvula ventrali feminarum, Acaenitae discernuntur.

SECTIO I.

1) *Scutello et abdomine nigris; hoc interdum segmentorum marginibus summis castaneis.*

Individua, quibus margines colorati segmentorum distinctiores sunt, e. g. *arvicola*, transeunt ad sectionem quintam.

E *sectione* 2 varietas 3 *maculatoriae*, scutello toto nigro, ad hanc sectionem adpropinquat. — E *sectione* 5 autem omnia individua, marginibus solis segmentorum coloratis, *Liss. accusatoris* et *cylindratoris*, praeprimis autem hujus varietas, abdomine fere toto nigro, ad sectionem primam transeunt.

2) Scutello pallide notato abdomine cingulis rufis, aut flavis interdum obsoletis.

3) Scut. pall. not. thorace rufo nigroque variegato.

4) Scut. p. n. aut rufo, abdominis medio rufo.

5) Scutello nigro, abdomine vel basi apiceque nigro, vel seg-

14. L. SETOSA.

Pedibus fulvis, coxis nigris. m. f. (*fem.* aculeo corporis longitudine).

Longitudo 7—9 linearum. *Statura* maris paulo angustior quam feminae. *Caput* labro interdum obscure-ferrugineo. *Antennae* subfiliformes, apicem versus subincurvae sensimque graciliores, dimidio corpore longiores, interdum fere corporis longitudine. (Oris partes et antennae in nota, huic speciei addita, fusius descriptae sunt). *Thorax* gibbulus. *Alae* mediocres fumatohyalinae, stigmate et radio nigrofuscis, radice piceo-fusca aut piceo-ferruginea, squamula nigra aut fuscoferruginea; areola sessili aut subpetiolata, subregulari triangulari. *Pedes* mediocres elongati fulvi, coxis nigris, tarsis posticis plerumque nigris aut fuscis. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius et angustius, seu thoracis latitudine, punctum, maris subcylindricum, apicem versus subangustatum, feminae oblongum seu subcylindricum; marginibus segmentorum elevatis nitidis; segmento 1 subcanaliculato, 3 interdum fusco. *Aculeus* corporis longitudine, terebra nigra aut fusco-castanea, rarius fulva.

Marem et feminam *de Heyden* cepit circa *Trajectum ad Moenum;* ego mares duos cepi, mensibus Maji et Augusti, in umbellatis circa *Gottingam* et *Helmstadium*, feminam autem, mense

Iunio, in trunco Quercus caeso prope *Treschen.* Quidam mares, circa *Halam Saxonum, Genuam* et *Parisios* capti, pluresque feminae, circa *Vratislaviam, Niesky, Gottingam, Hannoveram, Norimbergam, Aboam, Netley* et in *Regione pedemontana* lectae, ad me transmissae sunt.

Synonyma:

Ichn. Geoffroi p. 324, n. 6.
Ichn. setosus Fourcroy p. 395, n. 6.
„ Olivier p. 206, n. 1.
Schaeffer Icon. tab. 50, fig 5 (Panzer hanc iconem adhibet ad *Ichn. lapidatorem,* Fabr. qui autem obscuro-coeruleus est et verus Ichneumon).
Ichn. manifestator Sulz. Kennz. t. 18, fig. 117? longitudine 12 linearum (conferas synonyma *P. manifestatoris*).
Ichn. immaculatus Gmel. ed. Linn. p. 2698, n. 260? aculeo abdominis longitudine.

Nota:

Descriptio antennarum et oris partium, auctore *Nees ab Esenbeck*, haec est:

Antennae rectae setaceae, articulis 44: Radicula brevi angusta, scapo crasso conico subangulato, apice oblique extrorsum excavato, et in foveolam recipiente scapum brevissimum, imposito quarto articulo, utroque disciformi, vix exsertis; quinto articulo longissimo; reliquis omnibus ali-

quantum decrescentibus, cylindricis, apicali obtuso.

Clypeus discretus convexus, margine antico subtruncato acuto. — *Mandibulae* arcuatae, extus planae, intus basin versus carinatae, apice acute bifidae, laciniis acutis aequalibus. — *Maxillae* longitudine labii, hoc arcte includentes: *Stipes* compresso-trigonus, latere infero oblongo-lanceolato, convexiusculo, corneo, pilis sparsis pubescente, exteriori et interiori membranaceis glabris latioribus: *Mala* stipite dimidio brevior, subcoriacea pellucida, obovato-subrotunda, basi parum angustior, biarticulata bifida, lacinia superiore oblique rotundata, incurva compressa, extus pubescente, margine ciliata, inferiori introrsum dilatata in laminam rotundatam ascendentem. — *Palpi maxillares* maxilla duplo fere longiores, quinquearticulati; articulis longitudine subaequalibus; 1 paulo breviore, obconico, apice introrsum truncato; 2 ejusdem fere longitudinis, paulo crassiore, oblongo compressiusculo, latere interiori convexo, exteriori recto, apice extrorsum truncato; 3 et 4 aequalibus longis cylindricis, hoc paulo tenuiore; 5 praecedente aliquanto breviore, ejusdemque crassitie, obtuso; omnibus pubescentibus. — *Labium*: *Mentum* corneum compressum obconicum, basi rotundatum, apice tridentatum, dentibus acutis trigonis, medio majori, laeve pubescens: *Lingua* menti trientis longitudine, incurva, transversalis, apice emarginato-retusa, laciniis brevibus obtusis rotundatis reflexis,

in cucullum conniventibus, subciliatis. — *Palpi labiales* linguam duplo superantes, pilosi quadri-articulati; articulo 1 longiori obconico gracili; 2 et 3 brevioribus, obovatis vel potius subcylindricis, prope basin angustatis, aequalibus; 4 longissimo cylindrico obtuso subincurvo.

15. L. DEFECTIVA. n.

Areola nulla; tibiis anterioribus femoribusque rufis. f. (aculeo corporis longitudine).

Statura et proportio partium *L. impressoris;* sed antennis tenuioribus, absque areola.

Longitudo 5 linearum. *Antennae* graciles curvatae, dimidio corpore longiores. *Alae* fumato-hyalinae, stigmate et squamula nigris, radio et radice fuscopiceis. *Pedes* rufi, coxis et trochanteribus nigris; postici tibiis et tarsis fuscis. *Abdomen* punctum opacum, segmentorum marginibus laevibus nitidis. *Aculeus* longitudine corporis.

Feminam unicam, circa *Sickershausen* captam, *Nees ab Esenbeck* mihi dono dedit.

16. L. CALIGATA. n.

Tibiis anterioribus femoribusque rufis, coxis posticis superne castaneis. m.

Statura et proportio partium maris *sulphuriferae*, n. 18; pedibus attamen paululum longio-

ribus et gracilioribus, nervoque inferiore exteriore cellulae interioris minus curvato, quo haec species etiam ab omnibus cospeciebus reliquis affinibus differt. An mas speciei antecedentis? quae autem defectu areolae se distinguit.

Longitudo paululum ultra 4 lineas. *Alae* fumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice picea, squamula nigra; areola irregulari petiolata. *Pedes* graciles; anteriores dilute-rufi, coxis et trochanteribus nigris, unguibus fuscis; postici coxis nigris, supra castaneis, trochanteribus nigris, femoribus dilute-rufis, tibiis tarsisque fusco-nigris.

Unicum marem cepi, die 2 Septembris, circa *Cudovam*.

18. L. SULPHURIFERA. n.

Pedibus rufis. m. f. (*mas* trochanteribus et coxis nigro flavoque pictis, ore et orbitis oculorum facialibus flavis; *femina* trochanteribus et coxis nigris; aculeo corpore longiore).

Statura et proportio partium *L. impressoris*, n. 27.

Longitudo maris paulo ultra paulove infra 4 lineas, feminae fere 4—4½ linearum. *Caput feminae* palpis et labro ferrugineis; *maris* ore testaceo aut flavo, mandibularum apice nigro, orbitis oculorum facialibus testaceis aut sulphureis, rarius obsoletis. *Antennae* maris interdum subtus

ferrugineae. *Thorax* maris puncto parvo flavo ad radicem alarum. *Alae* mediocres, fumatohyalinae aut subfumatohyalinae, stigmate et radio piceis aut nigrofuscis, rarius testaceis, radice straminea, squamula maris piceostraminea aut albida, feminae flava aut fusca; areola subregulari, petiolata aut subpetiolata. *Pedes* rufi, posticorum tarsis et apice tibiarum nigris; *mari* coxis et trochanteribus anterioribus vel subtus flavis, supra nigris aut rufis, rarius basi nigris lateribus rufis, vel nigris apice coxarum anticarum flavicante, posticis vel totis nigris, apice trochanterum rufo, vel coxis rufis supra nigris, trochanteribus totis rufis; *feminae* coxis et trochanteribus nigris, his apice rufo. *Abdomen* maris interdum marginibus segmentorum subelevatis nitidioribus. *Aculeus* corpore longior, terebra badia.

Mares nonnullos cepi die 26 Septembris prope *Trajectum ad Viadrum*, in loco graminoso dumetoso aprico volitantes; alii, circa *Gottingam Warmbrunn Netley* et in *Tauria* lecti, mecum communicati sunt. Warmbrunnensium duo, omnium minimi, abdomine minus procero, antennis subtus ferrugineis, coxis anterioribus nigris, a reliquis discedunt. Feminas accepi, circa *Warmbrunn Vindobonam* et *Netley* captas.

Nota:

Forsan mas *Ichn. manifestatoris* Rossii ad hujus speciei marem adhiberi potest, de quo conferas synonyma ad *Ephialten manifestatorem.*

Caeterum autem mas, statura et abdominis primique segmenti forma, prope accedit ad *Tryphonem compunctorem*, n. 76, et transitum designat e hac Pimplarum familia in secundam familiam Tryphonum.

19. L. MARGINELLA. n.

Marginibus segmentorum intermediorum pedibusque fulvis; coxis nigris. m.

Longitudo 3 ⅕ linearum. *Caput* mandibulis ferrugineis, palpis pallidioribus. *Antennae* filiformes porrectae, corpore paulo breviores, fuscae, subtus ferrugineae, articulo 1 toto nigro. *Thorax* gibbulus. *Alae* mediocres subfumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula stramineis; areola irregulari, vix subpetiolata. *Pedes* mediocres subgraciles fulvi; coxis nigris, anterioribus apice ferrugineis. *Abdomen* lineari-cylindricum, thorace angustius et fere duplo longius, segmentis 2 — 4 summo margine fulvis.

Unicum marem *Roentgen* cepit, mense Iunio, in *Hercynia.*

20. L. BILINEATA. n.

Linea flava ante alas; pedibus rufis, coxis nigris. m.

Longitudo 3 ½ linearum. *Caput* labro rufo. *Antennae* filiformes porrectae, apice subcurvatae,

corpore breviores. *Thorax* gibbulus. *Alae* mediocres hyalinae; radio stigmate radice et squamula piceo-stramineis; areola parva subregulari petiolata. *Pedes* graciles castaneo-rufi, coxis et trochanteribus nigris. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius pauloque angustius, subsericeum subnitidulum; segmento 1 longitudine latiore, 2—4 subquadratis, sequentibus transversis.

Unicum marem *Dahl* cepit circa *Vindobonam.*

20.[b.] L. SUBORBITALIS. n.

Orbitis oculorum internis et linea ante alas flavis; femoribus tibiisque rufis. m.

Haec species differt a praecedente *bilineata* corpore angustiore et minus grisescente, pedibus longioribus et gracilioribus, vestigio nervi dividentis cellulae interioris.

Longitudo 5 linearum. *Caput* orbitis oculorum internis infra antennas flavis tenuibus. *Antennae* longitudine corporis, porrectae, apice curvatae. *Thorax* sutura ante alas flava. *Alae* fumatohyalinae; stigmate et radio nigro-fuscis, radice et squamula stramineis, areola subregulari petiolata. *Pedes* graciles rufi, coxis et trochanteribus nigris, horum anterioribus apice rufescente, tarsis posticis fuscis. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius, thorace angustius; seg-

mentis 1—5 aequilatis; 1 latitudine duplo longiore, basin versus perpaulo angustiore; 2 et 3 latitudine longioribus; 4 quadrato; reliquis brevioribus.

Unicum individuum, circa *Netley* captum, *Hope* mecum communicavit.

21. L. GRISEA. n.

Griseosericea; linea flava ante alas; pedibus rufis, trochanteribus et coxis nigris. m.

Statura et proportio partium maris *Liss. impressoris*, n. 27; sed capite thoraceque crassioribus.

Longitudo 5 linearum. *Caput* griseohirtum, ore flavo, basi et apice mandibularum nigris. *Antennae* subfiliformes, fere longitudine corporis. *Thorax* griseo-pilosellus, linea flava ante alas. *Scutellum* planum, subquadratum, apicem versus sensim paulo angustatum, latius quam in plurimis cospeciebus. *Alae* hyalinae, radio fusco, stigmate piceo, radice et squamula flavis; areola irregulari sessili. *Pedes* rufi; coxis et trochanteribus nigris, horum anterioribus subtus flavis, posticis apice rufis. *Abdomen* subgriseosericeum.

Marem unicum *austriacum Dahl* mihi transmisit.

22. L. AGNATA. n.

Linea flava ante alas; pedibus rufis, macula coxarum nigra; aculeo abdominis longitudine. f.

Statura et proportio partium speciei sequentis; aculeo autem laxiore et paulo longiore.

Longitudo 4½ — 5⅔ linearum. *Caput* palpis et labro ferrugineis; puncto minuto ad orbitas oculorum verticis, et parte tenui orbitarum facialium, hac interdum obsoleta, flavis. *Thorax* griseo-sericeus, linea flava ante alas. *Alae* hyalinae, stigmate et radio piceostramineis, squamula et radice stramineo-flavis; areola irregulari, sessili aut subpetiolata. *Pedes* rufi, coxarum macula majore minoreve nigra. *Abdomen* ut plurimum cylindricum, rarius basin apicemque versus angustatum; segmento 1 basi foveolato; 2 et 3 interdum marginibus aut disco aut macula laterali castaneis badiisve. *Aculeus* longitudine abdominis, seu paulo longior, niger, terebra rufa.

Individua quaedam, circa *Vratislaviam, Warmbrunn, Niesky, Vindobonam* capta, mihi missa sunt. Unum cepit *ab Uechtritz* in Pino sylvestri prope *Pichelsberg*.

23. L. CATENATOR.

Linea ante alas, puncto infra alas, oreque, flavis; pedibus rufis, posticorum tarsis tibiis et trochanteribus supra nigricantibus, coxis anterioribus flavomaculatis; aculeo longitudine abdominis. f.

Longitudo 5 — 5½ linearum. *Caput* orbitis oculorum internis flavis tenuissimis; ore flavo, mandibularum apice nigro. *Antennae* filiformes, dimidio corpore paulo longiores, apice plus minus curvatae, plerumque subtus apicem versus fusco-ferrugineae. *Thorax* gibbulus sericeus; linea a radice alarum collum versus excurrente, punctoque infra alas, flavis; rarius etiam macula rufa ad alarum radicem, seu puncto laterali rufo ad coxas medias. *Alae* mediocres, fumatohyalinae seu hyalinae, stigmate ferrugineo aut stramineo, radio fuscescente aut rufo, radice et squamula flavis aut flavoferrugineis; areola irregulari, petiolata seu subpetiolata. *Pedes* mediocres subgraciles rufi; anteriores coxis et trochanteribus flavovariegatis; postici trochanteribus supra plus minus nigricantibus, tibiis extrorsum, tarsisque totis, nigricantibus aut fuscis. *Abdomen* subsericeum; vel capite thoraceque paulo longius pauloque angustius, vel thoracis latitudine eoque duplo longius; cylindricum, seu medium apicemve versus paululum latius; segmento 1 basi foveolato aut subfoveolato, sequentibus marginibus paululum elevatis nitidioribus, 2 et 3 rarius lateribus

subcastaneo-maculatis. *Aculeus* longitudine abdominis, vaginis depresso-dilatatis.

Quaedam individua legi, mense Iulio, circa *Helmstadium* et *Barterodam*, in fruticetis et umbellatis. *Sturm* hanc speciem circa *Norimbergam* cepit, *Hope* circa *Netley*.

Synonyma:

Ichn. catenator Panz. ad Schaeff. tab. 20, fig. 10; habitat in dumetis.

Ichn. lineolaris Gmel. ed. Linn. p. 2701, n. 291.

24. L. TOMENTOSA. n.

Capite thoraceque griseosericeis, linea testacea obsoleta ante alas, pedibus rufis, aculeo longitudine abdominis. f.

Statura et proportio partium feminae antecedentis; abdomine paulo angustiore. An varietas illius?

Longitudo 5 linearum. *Caput* griseo-sericeum, palpis et labro rufescentibus. *Thorax* griseosericeus, linea sordidestraminea subobsoleta ante alas. *Scutellum* ut in L. grisea. *Alae* hyalinae, radio et stigmate piceostramineis, radice et squamula pallidestramineis; areola sessili irregulari.

Hanc feminam *Dahl* in *Austria* cepit.

25. L. HORTORUM. n.

Linea flava ante alas; pedibus rufis, trochanteribus posterioribus fuscis; aculeo abdominis longitudine. f.

Statura et proportio partium *Liss. catenatoris*, n. 23; magnitudine autem multo inferiore.

Longitudo 2¾ linearum. *Caput* labro castaneo. *Thorax* linea flava ante alas. *Alae* hyalinae, stigmate et radio piceis, radice et squamula stramineis; areola irregulari petiolata. *Pedes* rufi, posteriores trochanteribus fuscis. *Abdomen* segmentis 2—7 margine summo castaneis. *Aculeus* longitudine abdominis.

Hanc feminam *Dahl* cepit circa *Vindobonam*.

Varietates:

1. *Tibiis tarsisque posticis fuscis, aculeo longitudine corporis.* f. — *Longitudo* 2¾ linearum. *Caput* ore ferrugineo. *Thorax* linea ante alas testacea obsoleta. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula flavis, areola irregulari triangulari sessili. *Pedes* rufi, posteriores trochanteribus nigricantibus, postici tarsis et latere externo tibiarum fuscis.

Feminam unicam *Manger* cepit circa *Warmbrunn.*

2. *Thorace toto nigro, aculeo longitudine corporis.* f. — Haec varietas a *L. impressore*, n. 27,

pedibus et antennis paulo longioribus et gracilioribus differt. — *Longitudo* 3⅓—3½ linearum. *Caput* ore ferrugineo-stramineo. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio fusconigris, radice et squamula stramineis, hac interdum ferruginea. *Pedes* graciles elongati rufi; trochanteribus posterioribus nigris, subtus apice rufis. *Abdomen* capitis et thoracis longitudine aut paulo longius, thorace paulo angustius; segmento 1 longiore, basin versus sensim paulo angustato; 2 et 3 summo margine rufescente, interdum obsoleto. *Aculeus* longitudine corporis.

Unam feminam cepi, die 17 Augusti, prope *Gottingam* in umbellatis; alteram, in *Regione Pedemontana* captam, *Bonelli* mecum communicavit.

3. *Thorace immaculato, tibiis tarsisque posticis fuscis, aculeo corpore paulo longiore.* f. — *Longitudo* 3½ linearum. *Caput* ore pallide stramineo. *Thorax* puncto parvo testaceo ad radicem alarum. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio fuscopiceis, radice et squamula pallidestramineis, areola irregulari subsessili. *Pedes* rufi; antici paulo pallidiores; postici tarsis tibiisque extrorsum fuscis. *Abdomen* segmentorum summis marginibus subcastaneis. *Aculeus* corpore paulo longior, terebra rufa.

Unicam feminam *pedemontanam Bonellio* debeo.

Synonyma varietatis 3:

Ichn. Degeer II, pag. 844, n. 1; prodiit e gallis resinosis pini, in quarum larvis larva hujus Ichneumonis vixerat; longitudo 4 linearum.

Ichn. resinosus Retz n. 264 (delendum autem est citatum De Geeri I, t. 36, fig. 9, quae *Pimplam manifestatorem* exhibet).

Ichn. ventrifascius Schrank Boica, n. 2098.

26. L. ARVICOLA. n.

Segmento secundo testaceomarginato; ore pedibusque fulvis; punctis duobus dorsalibus thoracis et orbitis internis oculorum albidis. m.

Statura et proportio partium *L. segmentatoris*, n. 28, maris; pedibus autem brevioribus antennis crassioribus.

Longitudo 3⅕ linearum. *Caput* ore fulvo, mandibularum apice obscuriore, orbitis oculorum internis albidis. *Antennae* filiformes, corpore paulo breviores, curvatae, fuscae, subtus fusco-ferrugineae. *Thorax* punctis duobus ante collum, lineola parva sub alis, lateribusque colli, albidis. *Alae* stigmate et radio piceis, radice et squamula albidis, areola minuta irregulari petiolata. *Pedes* mediocres subgraciles fulvi. *Abdomen* segmenti secundi margine summo albido-fulvo.

Unicum cepi individuum, die 17 Augusti, in umbellatis prope *Gottingam*.

27. L. IMPRESSOR. n.

Pedibus rufis, tarsis posticis fuscis. m. f. (*mas* plerumque lineola flava ante alas; *fem.* aculeo corpore longiore).

Statura maris gracilior quam feminae. — *Longitudo* maris 4½, feminae 3—5 linearum. *Caput maris* ore flavo, mandibularum apice nigro, *feminae* labro et palpis plerumque ferrugineis. *Antennae maris* subfiliformes, corporis longitudine, vel paulo longiores, apice subcurvae; *feminae* filiformes, dimidio corpore longiores, apice incurvae. *Thorax* gibbulus, feminae interdum puncto, mari interdum lineola, inter radicem alarum et collum, flava. *Alae* mediocres subfumatohyalinae, stigmate et radio piceis aut fuscescentibus, rarius nigris; radice et squamula pallidestramineis, hac interdum fuscopicea; areola regulari seu subirregulari, petiolata aut subpetiolata. *Pedes* mediocres subgraciles, rufi aut rufofulvi; postici tarsis, interdum quoque tibiarum apice, rarius tibiis totis, nigricantibus aut fuscescentibus; anteriores maris interdum trochanteribus et coxis subtus flavis. *Abdomen* maris thorace angustius et duplo fere longius, sublineari-cylindricum; feminae capitis thoracisque longitudine, vix thorace aliquanto angustius, subcylindricum; segmento 1 canaliculato aut subcanaliculato, sequentibus plerumque marginibus paululum elevatis. *Aculeus* corpore longior, rarius tantum longitudine corporis, terebra

castanea; majoribus longior minoribus brevior esse solet.

Mares et feminas *de Heyden* circa *Trajectum ad Moenum*, ego, mense Septembri, in vallo *Gottingensi*, cepimus; praeterea plures feminas legi, mensibus Iulii Augusti et Septembris, in fruticetis et umbellatis, circa *Cudovam*, *Reinerz*, *Trajectum ad Moenum*, *Oedelem*, *Helmstadium*; pluresque aliae, circa *Vratislaviam*, *Bautzen*, *Warmbrunn*, *Vindobonam* et *Aboam* lectae, transmissae mihi sunt.

Varietates:

1. *Aculeo abdomine paulo longiore.* f. — Caetera omnino ut in plurimis feminis genuinis.

Unum individuum cepi die 1 Iunii in fruticetis circa *Pepelwitz;* alterum *Roentgen* cepit circa *Niesky;* quaedam *Manger* circa *Warmbrunn.*

2. *Thorace flavomaculato.* f. — Medium tenet inter speciem genuinam et *L. hortorum*, n. 25. — *Longitudo* 3 linearum, seu paulo minor. *Caput* ore stramineo, puncto flavo ad orbitas oculorum in vertice. *Antennae* articulo 1 interdum subtus ferrugineo. *Thorax* puncto ad alarum radicem, maculisque duabus cuneiformibus ante collum, flavis. *Alae* subhyalinae irideae, stigmate substramineo, rarius fusco, radio fusco, radice et squamula flavis; areola irregulari sessili. *Pedes* toti rufofulvi. *Aculeus* corpore paulo longior.

Unam cepi feminam circa *Vratislaviam*, mense Octobri; alteram *Manger* cepit circa *Warmbrunn*, tertiam, eamque stigmate fusco, *Hope* circa *Netley*.

28. P. SEGMENTATOR.

Pedibus et segmentorum anteriorum marginibus summis rufis. m. f. (*fem.* aculeo abdomine paulo longiore).

A plurimis speciebus affinibus haec differt praecipue segmento primo basin versus magis angustato.

Longitudo 2—3 linearum. *Caput* ore plerumque fulvo aut fulvo-stramineo, interdum ferrugineo, aut palpis fuscis. *Antennae* filiformes, apice curvatae; mari graciliores, corporis longitudine seu paululum breviores; feminae dimidio corpore longiores; articulo 1 plerumque subtus rufescente aut ferrugineo-fusco. *Thorax* gibbulo-cylindricus. *Alae* mediocres, ut plurimum subangustae, hyalinae, stigmate et radio fuscescentibus aut piceis, radice et squamula albidis aut stramineis; areola sessili, interdum subpetiolata, rarissime quinqueangulari. *Pedes* subgraciles rufi seu rufo-fulvi; anteriores coxis et trochanteribus maris plerumque flavovariis; postici coxis maris plerumque basin versus nigricantibus, rarissime fere totis rufis aut nigris, tibiis interdum apice nigricante, tarsis plerumque fuscescentibus. *Abdomen* capitis tho-

racisque longitudine et latitudine, vel paulo angustius, subsessile, subfusiforme aut sublineare, mari angustius quam feminae; segmento 1 basin versus sensim angustato, fovea ad basin, plerumque altera ante marginem, impressa, margine ipso summo ut plurimum castaneo-rufo; 2 margine summo rufo-castaneo, rarius ante basin subcanaliculato; 3 interdum, rarius quoque 4, margine summo rufocastaneo. *Aculeus* abdomine paulo longior, terebra castanea.

Plures mares et feminas legi, mensibus Iulii et Augusti circa *Gottingam Barterodam Cudovam Oedelem*, in umbellatis, mense Iunio *Brunsuigae* in floribus Philadelphi coronarii. *Nees ab Esenbeck* quoque mares cepit in floribus fragrantibus. *Trajecti ad Viadrum* marem cepi in plantis, ante fenestram positis. Praeterea mares et feminas accepi, circa *Warmbrunn, Pless, Sickershausen, Norimbergam* et *Vindobonam*, lectos, feminasque singulas, circa *Parmam Aboam* et in *Tauria* captas.

Varietates:

1. *Aculeo corpore paulo longiore*. f. — *Longitudo* 2 linearum. *Caput* ore flavo, mandibulis apice et basi fuscis. *Alae* hyalinae, radio et stigmate piceostramineis, radice et squamula flavis; areola regulari petiolata. *Pedes* rufi, coxis anticis pallidioribus. *Abdomen* incisuris tribus anterioribus rufescentibus. *Aculeus* corpore paulo longior, terebra rufescente.

Unicam feminam *Nees ab Esenbeck* circa *Sickershausen* cepit.

2. *Coxis omnibus nigris.* f. — *Longitudo* paulo ultra 2 lineas. *Caput* ore pallide-stramineo. *Alae* fumatohyalinae stigmate et radio substramineis aut piceis, radice et squamula albis; areola irregulari sessili. *Pedes* rufi; coxis, ut plurimum quoque trochanteribus aut trochanterum basi, nigris; postici insuper tarsis et tibiarum apice ut plurimum fuscescentibus aut nigricantibus. *Abdomen* incisuris 1 et 2 obsoletissime castaneis. *Aculeus* corporis longitudine aut paululum brevior.

Feminas duas cepi, mense Augusto, circa *Cudovam* et *Warmbrunn*, in pineto et in floribus, tertiam in sylva prope *Landshut.*

Synonyma:

Ichn. segmentator Fabr. Ent. pag. 163, n. 124; habitat in *Suecia.*

Pimpla segmentator Fabr. Piez. p. 114, n. 8.

Nota:

Ichn. segmentator Thunb. Ichn. n. 397, differt a nostro segmentis omnibus rufomarginatis, tarsis albomaculatis.

29. L. PALLIPES. n.

Segmentorum marginibus summis flavis; pedibus anterioribus fulvis, basi flavis, posticis fusco-castaneoque tinctis; antennis subtus flavis. m.

Statura et proportio partium maris antecedentis.

Corpus totum subsericeum. *Longitudo* 2½ linearum. *Caput* facie argenteo-sericea, palpis fulvis, mandibulis medio flavis. *Antennae* subtus totae flavae. *Alae* hyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula pallide-flavis, areola irregulari subsessili. *Pedes* anteriores pallide-fulvi, coxis et trochanteribus flavis; postici coxis nigris, trochanteribus flavis basi nigra, femoribus nigrofuscis, apicem versus castaneis, tarsis tibiisque fuscis, his basin versus badiis. *Abdomen* lineari-cylindricum, capite thoraceque vix paululum longius pauloque angustius, nitidum, segmentis 2—6 marginibus summis fulvoflavis.

Nees ab Esenbeck individua cepit pluria, medio mensis Maji, gregatim tilias circumvolitantia, choreasque agentia in modum culicum; omnia erant mares.

30. L. BRACHYCENTRA. n.

Segmentis anterioribus margine summo castaneo; pedibus rufis, posticorum tibiis tarsisque nigricantibus; aculeo dimidio abdomine breviore. f.

A *L. segmentatore*, n. 28, haec differt capite majore, thorace gibbosiore, imprimis autem aculeo multo breviore.

Longitudo fere 3 linearum. *Caput* pubescens thorace latius; ore fulvoferrugineo, mandibularum apice nigro. *Antennae* subfiliformes, dimidio corpore longiores, apice subrecurvatae, subtus apicem versus fuscoferrugineae. *Thorax* gibbus, pubescens. *Scutellum* sicut in L. grisea et tomentosa. *Alae* mediocres hyalinae, stigmate radio radice et squamula stramineis, areola irregulari petiolata. *Pedes* rufofulvi; postici tarsis tibiisque fuscis, his basi rufescentibus. *Aculeus* dimidio abdomine paulo brevior.

Unicam feminam, circa *Vindobonam* captam, *Dahl* ad me transmisit.

SECTIO II.

Scutello pallide-notato; abdomine cingulis rufis aut flavis, interdum obsoletis.

Scutellum plerisque totum flavum est aut flavomarginatum, rarius tantum puncto laterali flavo, e. g. *deversori* et *quadrinotatae*. *Segmenta* ut plurimum flavomarginata sunt, rarius rufomarginata, e. g. *L. quadrinotatae*, aut summis tantum marginibus castaneis, e. g. *deversori*. — Varietas 3 *L. maculatoriae*, scutello toto nigro, ad sectionem primam adpropinquat. *L. culiciformis* autem, lateribus thoracis interdum fulvo-flavoque pictis, ad sectionem tertiam spectat.

E *sectione* 4 varietas *L. argiolae*, abdomine alternatim stramineo- et nigro-cingulato, propius accedit ad hujus sectionis *L. culiciformem*.

---

31. L. QUADRINOTATA. n.

Punctis duobus dorsalibus thoracis, lineolisque duabus scutelli, albidis, pedibus et segmentorum intermediorum marginibus rufis; aculeo abdomine paulo longiore. f.

Statura et proportio partium omnino feminae insequentis.

Longitudo 3 linearum. *Caput* ore fulvo-stramineo, mandibulis basi nigris. *Antennae* porrectae, corpore paulo breviores. *Thorax* cylindrico-gibbulus, punctis duobus triangulis albidis ante collum. *Scutellum* lineolis duabus brevibus albidis. *Alae* mediocres hyalinae, stigmate et radio nigrofuscis, radice et squamula albido-stramineis, areola irregulari subpetiolata. *Pedes* subgraciles rufi. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, cylindricum; incisuris duabus anterioribus profundioribus; segmento 1 linea transversali profunde-impressa ante marginem, angulis apicalibus castaneo-rubricosis; 2 et 3 castaneo-rubricosis, fascia nigra; 4 margine latera versus castaneorubricoso. *Aculeus* abdomine paulo longior, terebra badia.

Unicam feminam cepi circa Gottingam.

32. L. DEVERSOR. n.

Lineis duabus scutelli thoracis et faciei flavis; pedibus rufis, coxis anticis flavopictis. m. f. (*fem.* aculeo abdomine paulo longiore).

Longitudo maris 4¼, feminae fere 3—3⅓ linearum. *Caput* ore ferrugineo aut flavescente, apice mandibularum nigro; orbitis oculorum internis plerumque tenuissime flavescentibus; mari praeterea clypeo et lineis duabus longitudinalibus faciei flavescentibus; feminae facie vel lineolis duabus ferrugineis aut albidis vel tota nigra. *Antennae* filiformes; mari corporis longitudine, porrectae, apice subcurvatae; feminae dimidio corpore longiores, apice subcurvatae, articulo 1 rarius subtus ferrugineo. *Thorax* gibbulocylindricus; lineola sub alis, puncto et linea ante alas, hac collum versus excurrente, apice subdilatata seu subhamata, interdum quoque lineis duabus longitudinalibus dorsalibus feminae, pallideflavis. *Scutellum* triangulare, marginibus lateralibus pallideflavis. His scutelli et thoracis picturis nonnunquam subtilissimis. *Alae* mediocres, subfumatohyalinae, stigmate et radio fuscis aut piceis, radice et squamula albostramineis, areola irregulari seu subregulari, petiolata seu subpetiolata aut sessili subquinqueangulari-pyramidata. *Pedes* subgraciles, maris graciliores et longiores, rufi; antici, interdum quoque medii, trochanteribus et coxis flavovariis; postici tarsis subrufofuscescentibus, tibiis

feminae apice et puncto ante basin obscuris aut nigricantibus, interdum obsoletis. *Abdomen maris* capite thoraceque longius et angustius, lineari-cylindricum, segmento 1 obsolete-canaliculato; *feminae* capitis thoracisque longitudine, thorace paululum angustius, cylindricum, plerumque segmentis 1 et 2 summo margine, ultimis lateribus, castaneis. *Aculeus* abdomine paulo longior.

Marem et nonnullas feminas cepi, mense Iulio, ad fontem salutarem *Helmstadiensem*, illum in umbellatis, has domi ad fenestras. Feminam e *Gallicia Comes de Küenburg* transmisit.

33. L. MACULATORIA.

Macula apicali alarum fusca, segmentis quibusdam subpallide-marginatis; pedibus rufis, coxis et trochanteribus nigromaculatis; thorace scutello et capite flavomaculatis. m. f. (*fem.* aculeo abdominis longitudine).

Statura et proportio partium *Liss. electoris*, n. 40; corpore autem paulo graciliore, aculeo paulo longiore.

Longitudo maris 4 linearum; femina paulo major paulove minor est. *Caput* orbitis oculorum internis et externis, labro et mandibularum medio, rarius quoque lineis duabus longitudinalibus punctisve duobus faciei, flavis, seu facie flava, linea longitudinali nigra. *Antennae* rarissime articulo 1 subtus macula alba, 4 et sequentibus subtus ferru-

gineis. *Thorax* linea infra scutellum, macula ante alas, punctoque dorsali, ut plurimum etiam macula cordata seu linea transversa, distinctiore aut obsoletiore, ante petiolum, puncto infra alas, alteroque laterali, seu linea perpendiculari, prothoracis, rarius quoque puncto laterali metathoracis, flavis. *Scutellum* flavum. *Alae* hyalinae, macula apicali fuscohyalina, stigmate et radio fuscis, radice et squamula flavis, hac rarissime fusca; areola subregulari longe-petiolata. *Pedes* coxis nigris, anticis feminae subtus vel flavis vel sordidestramineis, anterioribus maris flavis nigromaculatis; trochanteribus nigris, feminae anticis subtus flavis, mediis subtus ferrugineis aut fuscis, maris anticis aut anterioribus totis flavis; femoribus feminae rufofulvis, maris flavofulvis anterioribus subtus flavis posticis nonnunquam medio subfuscescentibus aut summa basi nigris; tibiis fulvis aut rufofulvis, posticis apice obscuriore aut nigricante, mari anterioribus totis, aut saltem subtus, flavis; tarsis anterioribus sordiderufescentibus, mari plerumque flavis, posticis fuscis, articulo 1 basi flava aut testacea. *Abdomen* segmento 1 *maris* margine et basi, vel maculis punctisve duobus baseos, flavis, *feminae* rarius toto nigro aut sicut in mare picto, plerumque margine solo flavo aut castaneo; 2 et 3 margine flavo, feminae interdum badio, 3 feminae rarius toto nigro. *Aculeus* vix abdomine paulo longior.

Mares et feminae ex *Etruria Volhynia* et *Tauria* mihi missi sunt; quasdam feminas etiam accepi,

circa *Sickershausen, Halam Saxonum* et *Genuam* lectas. Femina *halensis* a reliquis differt facie flava, linea longitudinali nigra, antennis subtus ferrugineis, articulo 1 macula alba.

Varietates:

1. *Femoribus plus minus fuscis aut nigris.* m. f. — *Longitudo* 3½ — 4 linearum. *Caput maris* palpis fuscis aut flavescentibus, mandibulis facie et orbitis oculorum omnibus flavis; mandibularum basi et apice, linea longitudinali abbreviata faciei, interdum quoque punctis duobus ante clypeum, nigris; *feminae* clypeo fulvo aut flavo, orbitis oculorum internis, vel etiam externis, flavis. *Antennae maris* fuscoferrugineae; subtus articulis 1 et 2 albidoflavis, 4 et sequentibus ferrugineis aut subfulvis. *Thorax* et *alae* sicut in specie genuina; collo maris flavo. *Scutellum* vel totum flavum, vel medio nigro, feminae interdum solo apice flavo. *Pedes* coxis nigris, feminae interdum anticis subtus flavis, mari autem anterioribus semper subtus flavis; trochanteribus anterioribus flavis, basi maris fusca feminae nigra, mediis feminae interdum totis nigris, posticis mari fuscoferrugineis feminae totis nigris; femoribus anterioribus flavis, supra mari subfuscis feminae nigris, posticis fuscis aut nigris aut ferrugineis, apice pallidiore, feminae interdum totis nigris; tibiis flavis, feminae interdum rufis, posticis autem semper apice nigro; tarsis rufis, posticis, rarius quoque mediis, vel articulorum apice fusco, vel fuscis basi

articuli primi rufescente. *Abdomen* segmentis 1—3 sicut in specie genuina; interdum vero etiam 4, in mare rarius quoque 5, flavomarginatis. *Aculeus* abdomine vix paulo longior, aut fere longitudine corporis.

Mas et femina, circa *Parisios* et *Sickershausen* capti, praeterea quaedam feminae, circa *Parmam* et *Warmbrunn* captae, mecum communicatae sunt; *warmbrunnenses* pedibus magis nigris a reliquis distinctae.

2. *Thorace et femoribus posticis totis nigris.* f. — *Longitudo* 4 linearum. *Caput* clypeo fulvo. *Antennae* subtus ferrugineae, articulis 1—3 totis nigris. *Scutellum* punctis duobus flavis. *Alae* sicut in specie genuina. *Pedes* anteriores coxis nigris, trochanteribus flavis, mediis basi nigra, femoribus flavis, superne fuscis, tibiis fulvis, tarsis anticis rufis, mediis fuscis; postici nigri, tibiis basin versus rufis, basi ipsa flava. *Abdomen* segmentis 2 et 3 summo margine stramineo. *Aculeus* abdominis longitudine, terebra rufa.

Unicam *etruscam* feminam *a Sanvitale* mihi transmisit.

3. *Facie thorace et scutello totis nigris.* f. — *Longitudo* fere 4 linearum. *Caput* palpis et labro piceostramineis. *Alae* ut in specie genuina. *Pedes* anteriores fulvi, coxis et trochanteribus nigris, his subtus et apice flavis, tarsis subfuscescentibus; postici rufi, coxis et trochanteribus nigris, his

apice flavis, tarsis et summo tibiarum apice fuscis. *Abdomen* segmentis 1—3 castaneis, macula magna disci nigra. *Aculeus* abdomine longior.

Feminam unam, circa *Genuam* captam, *a Spinola* transmisit.

4? *Individuum mancum, absque capite alis anticis et pedibus anticis,* f. — *Longitudo* 5 linearum. *Thorax* prothorace maculis duabus dorsalibus ante collum, lineola infra alas, alteraque sub scutello, puncto laterali alteroque dorsali, metathoracis punctis duobus dorsalibus et macula magna ante petiolum, flavis. *Scutellum* flavum. *Alae* squamula flava; posticae macula apicali fusca. *Pedes* medii flavofulvi, femoribus superne subfuscescentibus, coxis et trochanteribus nigris; postici nigri, tibiis basin versus fulvoflavis, tarsis rufis. *Abdomen* segmento 1 basi et apice, 2 et 3 margine, obsolete-badiis. *Aculeus* abdomine paululum longior.

Hoc individuum, magnitudine insigni, circa *Genuam* captum, *a Spinola* mecum communicavit.

Synonyma:

Ichn. maculatorius Fabr. Mant. p. 261, n. 25. — Ent. p. 144, n. 44; habitat Halae Saxonum.

„ Villers p. 152, n. 51.

„ Gmel. ed. Linn. p. 2681, n. 95.

„ Olivier p. 172, n. 39.

„ Thunb. Ichn. 549.

Ichn. maculatorius Gravenh. Addit., n. 6 (ubi idem individuum descriptum est, cui Fabricius ipse, in collectione Hübneri, nomen maculatorii adscripserat).
Bassus maculatorius Fabr. Piez. p. 96, n. 9.

Nota:

Ichn. maculatorius Müll. Prod., n. 1778, segmentis 2, 4 et 6 flavis, huc haud spectat.

34. L. IRRISORIA.

Flavomaculata, segmentis flavomarginatis; pedibus rufis, coxis nigris. m. f. (*fem.* aculeo vix longitudine abdominis).

Longitudo fere 4 linearum. *Caput* labro subfulvo; orbitis oculorum omnibus, plerumque puncto clypei, alboflavis. *Antennae* filiformes, corpore breviores, apice curvatae, ferrugineae, basin versus fuscae aut nigrae. *Thorax* gibbus, prothoracis macula dorsali, altera ante alas, tertia laterali, punctoque infra alas, linea sub scutello, metathoracis macula transversali ante petiolum et coxas posticas, scutellum versus acuminato-excurrente, punctisque duobus lateralibus, flavis. *Scutellum* flavum. *Alae* mediocres subhyalinae, apice subnebulosae, stigmate et radio piceis aut fuscis, radice et squamula flavis, areola parva aut mediocri, regulari aut subregulari, longe-petiolata. *Pedes* mediocres fulvi; antici subtus

plerumque subflavicantes, coxis, interdum quoque trochanteribus, fuscis aut nigris; medii coxis et trochanteribus nigris, his apice rufo aut flavicante; postici coxis nigris, plerumque puncto flavo, trochanteribus nigris apice rufo aut flavo, tarsis fuscis basi rufescente. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius pauloque angustius, mari vix paulo longius et angustius quam feminae; segmentis 1—6 flavomarginatis, 1 insuper ad latera baseos flavoalbido. *Aculeus* abdominis longitudine niger, terebra castanea.

Mares et feminas *Klug* legit circa *Berolinum.*

Synonyma:

Ichn. irrisorius Rossi Mant. II App., n. 82; in sylvis habitat.

35. L. CULICIFORMIS. n.

Facie pectore maculisque thoracis flavis, segmentis albidomarginatis, pedibus fulvis. m.

Statura gracilis. *Longitudo* fere 3 — 3½ linearum. *Caput* facie ore genis et orbitis oculorum internis pallideflavis. *Antennae* filiformes, corporis longitudine vel aliquanto longiores, graciles, apice incurvae, vel fuscae subtus ferrugineae, vel totae nigrae, articulo 1 semper subtus albido-flavo. *Thorax* gibbulus, collo, aut colli parte infera, pectore, linea ante alas aut maculis

duabus hamatis ante collum, interdum quoque lineola infra scutellum alteraque infra alas, lineis duabus longitudinalibus in dorso, maculaque laterali metathoracis, flavis; hac macula et colore flavo pectoris nonnunquan superne, ad latera thoracis, limbo fulvo definitis, pectore interdum nigromaculato. *Scutellum* flavum. *Alae* mediocres aut subangustae, hyalinae, stigmate et radio piceis aut fuscis, radice et squamula albidoflavis; areola subirregulari, petiolata seu subpetiolata. *Pedes* graciles, fulvi; anteriores coxis et trochanteribus pallide-flavis, his interdum basi nigra; postici trochanteribus et coxis vel fulvo-flavoque variis, interdum puncto fusco, vel flavis puncto nigro, coxis rarius totis fulvis, tarsis, interdum quoque tibiarum apice, fuscescentibus aut nigrofuscis. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius et angustius, interdum dimidii thoracis latitudine, lineare sessile; segmento 1 vix reliquis paulo angustiore, obsolete-canaliculato, rarissime margine albido, 2—7 margine, interdum quoque basi, albis aut stramineis; ultimo utrinque stylo brevissimo nigro aucto.

Quosdam mares legi, mense Iulio, *Barterodae* in umbellatis; alios nonnullos accepi, circa *Vindobonam* et *Sickershausen* captos.

36. L. POLYZONIAS.

Facie, antennarum medio, pectore, maculisque thoracis, testaceis; segmentis albidomarginatis; pedibus fulvis, coxis posticis supra nigris. m.

Statura et proportio partium maris antecedentis; corpore autem paulo latiore et, hac relatione, intermedio inter species duas antecedentes.

Longitudo 3⅓ linearum. *Caput* ore facie genis et orbitis oculorum frontalibus testaceis. *Antennae* porrectae, corpore fere paululum longiores; articulo 1 nigro, subtus flavo, 2—9 nigrofuscis subtus testaceis, sequentibus totis pallidetestaceis, ultimis nigris. *Thorax* collo pectore, macula ante alas, alteraque dorsali, suturis lateralibus, lineola sub scutello, signoque subcruciformi in metathoracis dorso, testaceis. *Scutellum* testaceum. *Alae* subfumatohyalinae irideae, stigmate radio radice et squamula stramineis; areola triangulari subpetiolata. *Pedes* anteriores dilutefulvi, coxis et trochanteribus stramineis; medii coxis puncto nigro, tarsis supra fuscis; postici fulvi, coxarum et trochanterum latere supero, tibiarum apice, tarsisque, nigris. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius, thorace paululum angustius, segmentis omnibus albidomarginatis.

Marem unicum *Besser* e *Volhynia* transmisit.

Synonyma:

Ichn. polyzonias Forster, n. 85.
„ Gmel. ed. Linn. p. 2712, n. 195.

Nota:

Hanc speciem cave ne confundas cum *Ichn. polyzonio* Schrank Boica, n. 2050, abdomine petiolato subcompresso, magnitudine 11 linearum etc. satis diverso.

37. L. PECTORALIS. n.

Facie pectore maculisque thoracis flavis; pedibus fulvis, coxis et trochanteribus anterioribus flavis, posticorum tarsis et tibiarum apice nigris. m.

A *culiciformi*, n. 35, hic mas statura breviore crassiore, pedibusque validioribus, differt.

Longitudo 2⅓ — 3 linearum. *Caput* facie ore et genis flavis. *Antennae* subtus flavae aut flavopiceae. *Thorax* pectore, colli parte infera, macula simplici aut angulosa ante alas, lineolaque sub scutello, flavis. *Scutellum* flavum. *Alae* amplae hyalinae, stigmate et radio piceis aut fuscis, radice et squamula flavis; areola vel nulla, vel minutissima longe-petiolata. *Pedes* anteriores pallide-fulvi, coxis et trochanteribus pallide-flavis; postici rufofulvi, coxis et trochanteribus interdum pallidioribus, tarsis et tibiarum apice nigris. *Abdomen* vel segmentis 2—6 marginibus,

imprimis latera versus, albidis, vel segmentis 1—3 stramineomarginatis, vel segmento 3 basi et margine albido-rufo.

Unum marem, circa *Parisios* captum, *Brongniart* mecum communicavit; alterum, *genuensem*, eumque minorem, areola minutissima, segmentis 1—3 stramineomarginatis, *a Spinola* mihi misit; tertium, segmento 3 basi et margine albido-rufo, *Hope* cepit circa *Netley*.

38. L. STRIATA. n.

Segmentis bifoveolatis, flavomarginatis; pedibus fulvis, basi flavis; tibiis posticis nigricantibus basi albida; ore et maculis thoracis flavis; aculeo longitudine abdominis. f.

Statura tota est gracilior quam in reliquis hujus sectionis feminis.

Longitudo fere 5 linearum. *Caput* ore flavo. *Antennae* graciles filiformes, ferrugineae aut rufae; articulo 1 nigro, subtus fuscoferrugineo. *Thorax* gibbulus; margine colli, sutura ante alas, puncto infra alas anticas et posticas, macula magna laterali prothoracis, linea transversali sub scutello, alteraque ante petiolum, flavis. *Scutellum* flavum. *Alae* subhyalinae irideae, stigmate piceo, radio fusco, squamula et radice flavis, areola petiolata irregulari, suborbiculata aut triangulari, nervo exteriore interdum abbreviato. *Pedes* graciles, anteriores pallide-fulvi, coxis et trochanteribus

flavis; postici coxis flavis, subtus rufis, ante apicem fuscis, trochanteribus flavis, puncto laterali fusco aut ferrugineo, femoribus rufofulvis, summa basi summoque apice nigris aut fuscis, tarsis tibiisque fuscis, his basi albida, latere interno toto stramineo. *Abdomen* thorace duplo longius, paululumque angustius, subcylindricum, basin versus sensim paulo angustatum; segmento 1 latitudine duplo longiore, lineis duabus longitudinalibus elevatis obsoletis, margine pallidestramineo; 2—4 bifoveolatis, sicut in speciebus familiae primae; 2—3 margine pallidestramineo, 4—6 margine albido. *Aculeus* longitudine abdominis, terebra rufa.

Unam feminam cepi, die 3 Septembris, circa *Woelfelsgrund* in flore Angelicae sylvestris; alteram *Besser* e *Volhynia* ad me transmisit.

Nota:

Sculptura segmentorum haec species convenit cum familia prima, discedit autem areola; medium itaque tenet inter familiam primam et secundam.

SECTIO III.

Scutello pallidenotato; thorace rufo-nigroque variegato; abdomine nigro, interdum marginibus segmentorum coloratis.

E *sectione* 2 individua *L. culiciformis*, lateribus thoracis fulvoflavoque pictis, ad hanc sectionem spectant.

---

39. L. LATERALIS. n.

Scutello, thoracis lateribus, ore, pedibusque rufis; aculeo abdomine longiore. f.

Longitudo 2—2½ linearum. *Caput* ore fulvo-stramineo. *Antennae* filiformes, dimidio corpore longiores, incurvae. *Thorax* cylindricus, lateribus rufis. *Scutellum* macula rufa. *Alae* mediocres hyalinae, stigmate et radio fuscopiceis aut stramineis, radice et squamula albidis; areola irregulari subpetiolata. *Pedes* graciles rufofulvi, trochanteribus posterioribus supra nigris. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, thorace paulo angustius, sublineare, apicem versus sensim paulo incrassatum; segmento 1 basi canaliculato; 2 interdum summo margine castaneo. *Aculeus* abdomine longior, terebra castanea.

Duas feminas accepi, circa *Sickershausen* et *Parmam* captas.

40. L. ELECTOR. n.

Capite thorace et scutello rufo-flavoque pictis, pedibus rufis. m. f. (*mas* facie, nec non coxis trochanteribusque anticis albidis; *femina* facie rufa, aculeo longitudine abdominis).

Statura maris multo gracilior quam feminae. — *Longitudo* 4⅓ — 4½ linearum. *Caput maris* facie ore genis et orbitis oculorum internis ad oc-

ciput usque, albidis, mandibulis apice fuscis; *feminae* palpis piceis, mandibulis, orbitis oculorum internis, maculaque genarum albis, mandibularum apice nigro, labro et facie rufis, puncto laterali clypei nigro. *Antennae* tenues filiformes; *mari* corporis longitudine, fuscae, subtus testaceae articulo 1 albo; *feminae* fuscae, articulo 1 subtus rufo. *Thorax* gibbulus; *mari* collo albido, lateribus nigro; scapula albida, medio fulva, linea nigra; prothorace ante alas albido, dorso rufo linea lata longitudinali nigra; sutura, a radice alarum posticarum coxas medias versus excurrente, albida; pectore albido, subtus fulvo; linea transversali sub scutello, punctoque ante coxas posticas, albidis; *feminae* prothorace rufo, infra alas et linea longitudinali dorsali nigris; marginibus colli, linea ante alas, lineolaque transversa infra alas, flavis; pectore rufo, punctis duobus lateralibus flavis; lineola transversali sub scutello albida; puncto ante coxas posticas flavo. *Scutellum maris* nigrum, apice et lateribus albidis; *feminae* rufescens, marginibus albidis, disco nigro. *Alae* mediocres hyalinae, stigmate stramineo, radio piceofusco, squamula et radice albidostramineis; areola irregulari, maris sessili, feminae minori petiolata. *Pedes* graciles elongati, feminae toti rufi; maris fulvi, coxis et trochanteribus anticis albidostramineis. *Abdomen* fusconigrum, *maris* filiforme gracile, thorace duplo longius, dimidii thoracis latitudine, incisuris tribus anticis castaneis; *feminae* thorace longius, eoque vix paulo angustius,

incisuris tribus anticis obsolete-castaneis. *Aculeus* abdomine paululum brevior aut longior.

Marem unicum, circa *Norimbergam* captum, *Sturm* mecum communicavit. Feminae nonnullae, circa *Vindobonam Taurinum* et *Genuam* captae, mihi transmissae sunt.

Nota:

Teste *Dahlio Ziegler* hanc speciem *electorem* nominavit.

SECTIO IV.

Scutello pallide-notato aut rufo; abdominis medio rufo.

Scutellum plerumque apice et lateribus albidum est; rarius tantum punctis duobus albidis obsoletis notatum; fere totum nigrum in varietate 1 *parallelae*, totumque nigrum in varietate *perspicillatoris*, quae ideo ad sectionem 5 transeunt.

E *sectione* 5 individuum femininum *bellatoris*, scutelli apice castaneo, ad hanc sectionem adpropinquat.

41. L. BIVITTATA. n.

Pedibus abdomineque rufis, hoc basi nigro; scutello capite thoraceque rufo-flavoque variis; aculeo abdomine breviore. f.

Statura et proportio partium omnino *electoris*, n. 40; abdomine paululum longiore, aculeo paululum breviore.

Longitudo paulo ultra 4 lineas. *Caput* ore et orbitis oculorum internis flavis, facie rufa. *Antennae* subtus ferrugineae, basin versus fuscae. *Thorax prothorace* rufo, linea lata dorsali, macula magna laterali, maculisque duabus minoribus pectoris, nigris; sutura ante alas, lineola infra alas, punctisque duobus lateralibus, flavis; *metathorace* nigro, puncto infra alas posticas, altero ante coxas posticas, lineolaque sub scutello, flavis. *Scutellum* rufum, macula baseos nigra, apice flavo. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate piceo-testaceo, radio fusco, radice et squamula flavis; areola triangulari irregulari, subpetiolata. *Pedes* toti rufi. *Abdomen* capite thoraceque longius et angustius, subcylindricum; segmento 1 nigro, apice rufo; 2 rufo, punctis duobus dorsi nigris; sequentibus totis rufis. *Aculeus* abdomine brevior, niger, terebra rufa.

Feminam *pedemontanam* unicam *Bonelli* mecum communicavit.

42. L. DORSALIS. n.

Segmentis intermediis fovea transversa impressis, rufis; pedibus, scutello, dorsoque prothoracis, rufis, aculeo abdominis longitudine. f.

Statura crassior quam plurimis hujus familiae speciebus.

Longitudo 4 linearum. *Caput* mandibularum medio et orbitarum externarum parte rufis. (*Antennae* desunt). *Thorax* gibbus; prothoracis dorso rufo, linea longitudinali lata nigra. *Scutellum* rufum. *Alae* mediocres, subfumatohyalinae; stigmate radio radice et squamula testaceis; areola majore quam cospeciebus hujus familiae, regulari petiolata; cellulae interioris nervo dividente ad cellulae medium usque excurrente. *Pedes* mediocres subgraciles rufi, tarsis posticis fuscis. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius, thoracis latitudine, apicem et basin versus paulo angustatum; segmento 1 latitudine paulo longiore, rufo, basi nigro, fovea laterali transversa obsoleta; 2—4 rufis, transversalibus, utrimque fovea transversa impressis, reliquis nigris transversalibus. *Aculeus* vix abdomine paulo longior, niger, terebra badia.

Feminam *genuensem* unicam *a Spinola* ad me transmisit.

43. L. PARALLELA. n.

Pedibus et abdomine rufis, hoc apice nigricante; facie scutello et thorace flavolineatis. m. f. (*fem.* aculeo corpore longiore).

Statura maris omnino ut in mare *perspicillatoris*, n. 47; feminae ut in femina *bellatoris*, sed aculeo longiore.

Longitudo maris 4½ — fere 5, feminae 3⅔ — 4½ linearum. *Caput maris* ore facie et orbitis oculorum externis frontalibusque flavis, clypeo testaceo-rufescente, apice mandibularum nigro; plerumque vel linea media longitudinali abbreviata, vel lineis tribus longitudinalibus, lateralibus autem abbreviatis, fuscis aut nigris, faciei; *feminae* orbitis oculorum supernis, interdum quoque facialibus, rarius etiam externis, flavo-albis aut rufescentibus; ore rufo, mandibularum apice nigro. *Antennae* subtus apicem versus ferrugineae; mari interdum subtus totae rufae; feminis saepius totae nigrae. *Thorax maris* pectore rarius toto nigro, plerumque vel toto rufo vel maculis duabus rufis aut badiis notato; lateribus prothoracis et metathoracis flavo- aut rufo-flavoque maculatis, maculis flavis nempe limbo rufo circumscriptis; collo, lineis duabus dorsalibus parallelis, apice utrimque cum linea altera, radicem alarum versus decurrente, connexis, lineola infra alas, alteraque sub scutello, flavis; *feminae* niger; interdum lateribus, rarius quoque pectore, distinc-

tius aut obsoletius rufescentibus; colli parte infera rufescente, lateribus plerumque pallide-flavescentibus aut rufescentibus; lineis duabus parallelis dorsalibus, lineola ante alas, apice interdum cum proxima dorsali conjuncta, punctoque sub alis, albo-flavis. *Scutellum* lateribus, mari quoque apice, flavis. *Alae* maris amplae hyalinae, feminae mediocres fumatohyalinae; radio et stigmate fuscis, hoc mari basin versus albido, radice et squamula alboflavis, areola irregulari petiolata, mari rarius subpetiolata. *Pedes* rufi; *mari* coxis flavomaculatis, tarsis posticis ferrugineis aut subfuscis; *feminae* medii interdum tarsis fuscis, postici interdum tarsis, trochanterum apicibus, ut plurimum etiam tibiarum apice, fuscis; nonnunquam coxis omnibus vel fuscescentibus vel macula nigra notatis. *Abdomen* feminae capitis thoracisque longitudine seu paulo longius, thorace paulo angustius, linearicylindricum; segmentis 1—3 rufis aut fulvis; 4 rufo aut fulvo, apice aut medio, rarius fere toto, nigro; sequentibus fuscis aut nigris, 5 interdum basi rufa; *maris* gracilius quam feminae; segmento 7, interdum quoque apice sexti, rarius 5—7 totis et primi basi, fuscis aut nigricantibus. *Aculeus* abdomine duplo aut plus duplo longior, niger, terebra castanea.

Feminam et quosdam mares cepi, mense Iulio, in gramine circa *Vratislaviam*; nonnullos alios mares et feminas e *Tauria* et *Volhynia* accepi; praeterea marem cepi, mense Augusto, in umbellatis circa *Cudovam*, alterumque, *Dresdae* cap-

tum, *de Block* mihi transmisit; feminaeque nonnullae, circa *Vindobonam, Norimbergam, Sickershausen* et *Niesky* lectae, mecum communicatae sunt.

Varietates:

1. *Thoracis dorso toto nigro.* f. — *Longitudo* 3⅓—4 linearum. *Thorax* niger, subtus plus minus colore rufescente imbutus, supra vel totus niger, vel vestigio obsoleto linearum dorsalium. *Scutellum* ut plurimum solo vestigio obsoleto coloris flavi laterum. — Caetera sicut in feminis genuinis.

Quaedam feminae, e *Regione Pedemontana* et ex *Etruria*, ad me transmissae sunt.

2. *Rufa, scutello flavolineato, capitis supera parte et thoracis dorso nigris.* m. f. —

Mas: Longitudo 5 linearum. *Caput* nigrum; ore, facie et orbitis oculorum omnibus flavis. *Antennae* rufae, articulo 1 supra nigro. *Thorax* rufus, lateribus flavomaculatus, colli marginibus flavis; prothoracis dorso nigro, lineis flavis sicut in mare genuino; lineola flava infra alas. *Scutellum* rufum, marginibus flavis. *Alae* ut in mare genuino. *Pedes* rufi, coxis anterioribus macula flava. *Abdomen* dilute rufum; segmentis 5 et 6 castaneis, 7 nigro.

Femina: facie tota, thoracis lateribus totis, pectore et metathorace fere toto, rufoferrugineis. Caetera ut in plurimis feminis genuinis.

Marem cepi, cum maribus genuinis, mense Augusto, circa *Cudovam* in umbellatis; femina, cum individuis genuinis, e *Tauria* mihi missa est.

44. L. LINEATA. n.

Abdominis medio pedibusque rufis, coxis nigro-flavoque pictis; capite thoracc et scutello flavolineatis. m.

Statura et proportio partium omnino maris *L. cylindratoris.*

Longitudo 4 linearum, seu paulo minor. *Caput* palpis fuscis aut stramineis; labro et mandibulis flavis, his apice nigro; clypeo, orbitis oculorum omnibus, lineisque duabus longitudinalibus faciei, flavis. *Antennae* corporis longitudine, seu paulo breviores, subsetaceae, graciles, apice curvatae; articulis 1 et 2 nigris, subtus flavis aut ferrugineis; 3 nigro aut ferrugineo; reliquis fuscis, subtus ferrugineis. *Thorax* lineis duabus dorsalibus longitudinalibus, linea ante alas, antice cum proxima dorsali connexa, colli marginibus, puncto seu linea arcuata longitudinali ad latera prothoracis, puncto ante coxas posticas, lineolaque sub scutello, flavis. *Scutellum* rarius fere totum flavum, plerumque solis lateribus et apice flavis. *Alae* subhyalinae, stigmate et radio fuscis aut subpiceis, radice et squamula albidis; areola subregulari, petiolata aut subpetiolata. *Pedes* rufo-fulvi, coxis nigris, subtus flavis, trochante-

ribus nigris, anterioribus subtus flavicantibus, anticis interdum totis fulvis. *Abdomen* segmento 1 vel nigro, margine flavo, vel basi nigro, apice rufo; 2 rufo, macula laterali nigra, margine interdum flavicante; 3 et 4 rufis, margine interdum flavicante; 5 rarius toto rufo, plerumque nigro et vel basi rufa vel macula dorsali castanea; sequentibus nigris, 6 interdum basi rufa.

Duos mares accepi, in *Regione Pedemontana* captos, unum, circa *Genuam* captum. Hic major est, linea laterali prothoracis et marginibus segmentorum 1—4 flavis a pedemontanis diversus; caeterum autem apice antennarum et tibiis tarsisque pedum posticorum caret.

45. L. ARGIOLA. n.

Abdominis medio rufo aut stramineo, maculis nigris; pedibus rufis, basi flavis; pectore facie scutello et thoracis maculis flavis. m.

Statura et proportio partium maris antecedentis; sed antennis aliquanto brevioribus, cellula cubitali intermedia sessili.

Longitudo 3—3½ linearum. *Caput* ore facie genis et orbitis oculorum frontalibus flavis. *Antennae* subfiliformes, corpore paulo breviores, articulo 1 subtus flavo. *Thorax* pectore et lateribus ante alas flavis, nigromaculatis; collo, linea lata ante alas, apice hamata, lineolis duabus tenuibus dorsalibus, lineola infra alas, plerumque puncto laterali metathoracis, flavis. *Scutellum* flavum,

interdum medio nigro. *Alae* hyalinae aut subhyalinae, radio et stigmate piceis, hoc interdum substramineo, radice et squamula flavis; areola irregulari sessili. *Pedes* rufofulvi aut rufi; coxis flavis, posticis macula nigra; trochanteribus flavis, posticis, rarius etiam anterioribus, basi nigris; tarsis posticis fuscescentibus. *Abdomen* vel 1) nigrum; segmentis stramineo-marginatis, 2—4 etiam basi stramineis; vel 2) segmento 1 nigro, plerumque margine rufo; 2 vel nigro, apice rufo, vel rufo, fascia nigra; 3—5 rufis, punctis duobus nigris, minoribus aut majoribus, interdum in fasciam confluentibus; reliquis vel totis nigris, vel rufis, punctis duobus nigris.

Individua tria, circa *Warmbrunn* lecta, unum, circa *Parisios* captum, ad me transmissa sunt. *Parisinum* est abdomine, supra sub 1 descripto, indeque ad *Lisson. culiciformem*, n. 35, adpropinquat.

46. L. INSIGNITA. n.

Abdominis medio, femoribus, tibiisque, rufis; facie thorace et scutello flavolineatis. m.

Statura paulo brevior quam in mare insequente, cujus forsan varietas hic mas est; an mas *Liss. verberantis*, n. 50?

Longitudo 4½—5 linearum. *Caput* orbitis oculorum omnibus et mandibularum medio flavis, labro testaceo. *Antennae* corporis longitudine,

graciles subsetaceae, apice curvatae, subtus interdum obscuroferrugineae. *Thorax* lineis duabus dorsalibus longitudinalibus, interdum medio interruptis, linea ante alas, antice cum linea proxima dorsali conjuncta, nec non colli marginibus, flavis. *Scutellum* vel nigrum, margine laterali flavo, vel flavum, puncto medio nigro. *Alae* hyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula albidis; areola subregulari petiolata. *Pedes* rufi; coxis nigris, anterioribus subtus macula flava, mediis nonnunquam tantum puncto rufescente; trochanteribus nigris, anterioribus subtus testaceis; femoribus posticis fuscis, subtus, ut plurimum etiam apice, rufescentibus, interdum rufis superne linea longitudinali fusca. *Abdomen* segmento 1 nigro; 2 et 3 castaneis, puncto laterali nigro obsoleto; 4 et 5 castaneis, 5 margine nigricante; 6 et 7 nigris, 6 interdum basi castanea. *Valvulae* duae anales lanceolatae glabrae nitidae nigrae, externe convexae, longitudine segmenti septimi, stylum includentes ferrugineum, longitudine valvularum.

Mares nonnulli, circa *Vratislaviam Warmbrunn* et *Genuam* capti, mihi transmissi sunt; *genuensis* est scutello flavo, puncto nigro.

47. L. PERSPICILLATOR. n.

Abdominis medio, femoribus tibiisque, rufis; facie et thorace flavolineatis; punctis duobus scutellaribus albidis obsoletis. m. f. (*fem.* aculeo corpore longiore).

Statura et proportio partium *L. cylindratoris*, sed antennis et pedibus maris longioribus.

Longitudo maris 5½, feminae 3⅔—4½ linearum. *Caput maris* palpis et labro rufis; mandibularum medio et orbitis oculorum omnibus flavis; *feminae* ore rufo, mandibularum apice nigro; orbitis oculorum supernis et parte externarum flavis. *Antennae* subtus ferrugineae; articulo 1 nigro, mari subtus albido. *Thorax maris* maculis duabus bicuspidatis ante collum, colli margine laterali et supero, lineolaque infra alas, flavis; *feminae* margine laterali colli, puncto infra alas, vestigioque linearum duarum dorsalium, flavis. *Scutellum maris* puncto utrinque ad basin albido obsoleto; *feminae* marginibus lateralibus, interdum obsoletissimis, flavicantibus. *Alae* hyalinae aut subfumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula albidis; areola petiolata, irregulari aut subregulari. *Pedes maris* graciles elongati rufofulvi; coxis nigris, anterioribus subtus macula aut puncto flavicante; trochanteribus anterioribus fuscis, subtus flavicantibus, posticis totis nigris; *feminae* rufi; coxis nigris, interdum colore badio subimbutis; trochanteribus nigrofuscis, anteriori-

bus subtus rufis; tarsis posticis fuscis. *Abdomen maris* segmentis 2—4, interdum etiam basi quinti, rufocastaneis; *feminae* segmento 1 apice rufocastaneo, 2 et 3 rufocastaneis, 4 rufo aut nigro, reliquis totis nigris. *Aculeus* corpore longior, niger, terebra rufa.

Mares duo, circa *Genuam* capti, feminaeque tres, circa *Norimbergam* et in *Regione Pedemontana* lectae, ad me transmissi sunt.

Varietas:

1. *Scutello et thorace totis nigris.* f. — *Longitudo* 5¾ linearum. *Caput* palpis maxillaribus rufis. *Antennae* subtus ferrugineae, apicem et basin versus nigrae. *Alae* fumatohyalinae, stigmate fusco basi alba, radio et squamula fuscis, radice albida; areola suborbiculata petiolata. *Pedes* graciles longi, paulo longiores et graciliores quam in feminis genuinis, rufi, coxis omnibus nigris; medii trochanteribus superne nigris; postici trochanteribus totis nigris, apice tibiarum tarsisque fuscescentibus. *Abdomen* segmento 1 nigro, apice castaneo; 2—4 rufocastaneis, macula dorsali nigricante; reliquis nigris. *Aculeus* longitudine fere 7 linearum.

Unicam feminam *a Steven* transmisit e *Tauria*.

Nota:

Haec species in *L. parallelam*, n. 43, et *cylindratorem* transit. Licet enim mares genuini, colore, a mare *parallelae* satis distent, feminae

attamen genuinae in feminae *parallelae* varietatem, coxis posticis nigromaculatis, transeunt. Individuum pedemontanum autem, omnium minimum, thorace fere toto nigro, scutelli margine laterali pallido obsoletissimo, segmento quarto rufo, medium tenet inter hanc speciem et *cylindratorem,* n. 58. Varietas descripta autem colore exactissime cum *cylindratore* convenit, sed magnitudine et imprimis pedibus multo longioribus et gracilioribus differt.

48. L. APICALIS. n.

Abdominis medio, tibiis femoribusque, rufis; orbitis oculorum internis, tibiarum posticarum basi, scutelli apice, flavis. m.

Statura et proportio partium sicut in maribus specierum duarum antecedentium; abdomine paulo breviore.

Longitudo 4 linearum. *Caput* orbitis oculorum internis et parte externarum flavis. *Scutellum* apice flavo. *Alae* fumato-hyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula albidis; areolà regulari, longe-petiolata. *Pedes* diluterufi; coxis nigris, anticis subtus macula flava; trochanteribus nigris, anterioribus subtus macula flava; tibiis posticis basin versus flavis; tarsis posticis fuscis, articulo 1 basin versus rufo. *Abdomen* capite thoraceque longius et angustius, linearicylindricum;

segmento 1 laevissimo, subcanaliculato, nigro, summo margine rufo; 2—4 dilute-rufis, 4 margine nigro; reliquis nigris.

Marem unicum cepi, mense Augusto, cum pluribus individuis *Liss. parallelae*, in umbellatis circa *Cudovam*.

SECTIO V.

Scutello nigro; abdomine vel rufo, basi apiceque nigro, vel segmentis nonnullis rufomarginatis.

Uni individuo *L. bellatoris* feminae *scutellum* apice castaneum est, quo transitus ad sectionem antecedentem designatur. — *Abdomen* plerumque segmentis intermediis totis rufis gaudet; interdum autem horum segmentorum discus aut basis niger est, e. g. *cylindratori* et *accusatori;* quibusdam individuis *cylindratoris* abdomen fere totum nigrum est, nec nisi vestigium obsoletum coloris rufocastanei se prodit; his autem haec sectio transit ad primam.

E *sectione* 1 quaedam species, segmentorum marginibus distinctius coloratis, praeprimis *L. arvicola* segmento 2 testaceo-marginato, ad hanc sectionem propius accedunt. — E *sectione* 2 varietas *maculatoriae*, et e *sectione* 4 varietates *parallelae* et *perspicillatoris*, scutello nigro, ad hanc sectionem adpropinquant.

---

49. L. BICORNIS. n.

Fronte bicorni; abdomine rufo, apice nigro; femoribus tibiisque anterioribus rufis. m. f. (*mas* facie flava; *fem.* aculeo longitudine corporis).

Longitudo 4 — 5 linearum. *Caput* cornubus duobus erectis frontalibus brevibus acutiusculis; *mari* facie et ore flavis, palpis fuscis, mandibularum apice et punctis duobus supra clypeum nigris; *feminae* labro ferrugineo. *Antennae* filiformes, corpore paulo breviores, subtus ferrugineae; articulis 1 et 2 nigris, maris subtus flavis. *Thorax* gibbulus; mari interdum collo subtus punctis duobus flavis. *Alae* maris hyalinae, feminae subfumatohyalinae; stigmate nigro aut fusco, feminae rarius piceo, radio fusco, radice straminea, squamula feminae nigra, maris straminea, ut plurimum puncto fusco; areola longe-petiolata. *Pedes* subgraciles; *mari* anteriores coxis et trochanteribus flavis, supra nigris, trochanteribus anticis interdum totis flavis, femoribus fulvis, interdum subtus flavis, tibiis tarsisque fulvis aut fulvoflavis; postici nigri, basi tibiarum albida aut sordide-flava, tarsis vel articulo 1 basi albido, vel articulis 1 et 2 basi sordide-flavis; *feminae* anteriores fulvi, coxis et trochanteribus nigris, tarsis mediis subfuscis; postici toti nigri. *Abdomen* laeve nitidum depressiusculo-cylindricum, thorace duplo longius, eoque angustius, mari in-

terdum dimidii thoracis latitudine, apice subcompressiusculum; *mari* segmento 1 basi nigro, apice rufo aut fulvo; 2 et 3 rufis aut fulvis; 4 fulvo; *feminae* segmento 1 fulvo, interdum summa basi nigra; 2 et 3 fulvis; 4 nigro, summa basi fulva; reliquis mari et feminae totis nigris. *Aculeus* vel corporis longitudine, vel fere abdomine duplo longior, niger.

Mares duos cepi, die 28 Iunii et die 2 Iulii, circa *Oedelem;* tertium, circa *Hannoveram* captum, *Hegewisch* mecum communicavit. Feminam unam cepi, die 4 Iulii, circa *Gottingam,* in umbellatis; alteram, *pedemontanam, Bonellio* debeo.

Varietas:

1. *Femoribus omnibus rufis.* m. f. — *Longitudo* maris 3¾, feminae 4 linearum. *Caput* sicut in specie genuina; feminae attamen orbitis oculorum internis tenuissimis flavis. *Pedes* rufi; coxis et trochanteribus nigris, mari anterioribus subtus flavis; tibiis posticis maris fuscis, basin versus testaceis, feminae nigris, summa basi ferruginea; tarsis posticis maris fuscis, articulo 1 basi exalbida, feminae nigris. *Abdomen* segmentis 1 — 4 dilute-rufis, reliquis nigris. *Caetera* speciei genuinae respondent.

Marem cepit *Sturm* circa *Norimbergam,* feminam *Manger* circa *Warmbrunn.*

50. L. VERBERANS. n.

Abdominis medio, tibiis femoribusque anterioribus, rufis; orbitis oculorum frontalibus et externis flavis; aculeo abdomine duplo longiore. f.

Statura et proportio partium feminae antecedentis; fronte autem inermi.

Longitudo 4 — 5 linearum. *Caput* labro et mandibularum medio ferrugineis; orbitis oculorum supernis, ut plurimum etiam externis, albidoflavis. *Alae* subangustae, fumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice albidostraminea, squamula nigra; areola regulari petiolata. *Pedes* anteriores rufi, coxis et trochanteribus nigris, his interdum subtus rufis, femoribus mediis interdum superne basin versus fuscis; postici coxis et trochanteribus nigris, femoribus vel totis nigris vel subtus badiis, tibiis nigrofuscis introrsum rufoferrugineis, tarsis nigrofuscis. *Abdomen* segmentis 2 et 3 vel badiis vel castaneis, plerumque lateribus summis nigricantibus; 4 vel castaneo, margine nigro, vel nigro, basi interdum castanea. *Aculeus* vel corporis longitudine, vel abdomine fere duplo longior, terebra castanea.

Feminae nonnullae, circa *Vratislaviam*, *Trajectum ad Moenum*, *Taurinum* et *Genuam* lectae, mecum communicatae sunt; *vratislaviensis* colore obscuriore et aculeo breviore a reliquis differt.

Mas?

Capite toto nigro. — *Statura* gracilior quam feminae. — *Longitudo* fere 4 linearum. *Antennae* filiformes, corpore breviores, curvatae, subtus fuscae, articulis 1 et 2 totis nigris. *Thorax* gibbulus. *Alae* subfumatohyalinae, radio fusco, stigmate substramineo, radice albida, squamula nigrofusca; areola triangulari subsessili. *Pedes* anteriores rufofulvi, coxis et trochanteribus nigris; postici nigri, tibiis medio ferrugineis. *Abdomen* capite thoraceque longius et angustius; segmentis 2—6 aequilatis; 1 latitudine duplo longiore, basin versus sensim angustato, tuberculis lateralibus paulo ultra medium sitis, nigro, margine rufo; 2—4 dilute-rufis, 2 puncto laterali nigro.

Marem unicum *Besser* e *Volhynia* misit.

Nota:

De mare hujus speciei dubius haereo. Mas interrogative descriptus differt capite nigro; cum alias mares picturis pallidioribus capitis etc. distincti esse solent. Forsan *L. insignita*, n. 46, mas est *verberantis*, sed thorace et scutello flavolineatis differt. Caeterum autem mas hic descriptus adpropinquat etiam ad familiam secundam *Tryphonum*, praecipue ad *Tr. erythrocerum*, n. 151, a quo abdomine paulo graciliore et capite toto nigro differt.

51. L. CONFLAGRATA. n.

Alis fuscis, abdominis medio testaceo, femoribus tibiisque anticis rufis aculeo longitudine abdominis. f.

Statura crassiuscula. *Longitudo* 6 linearum, vel paulo minor. *Antennae* filiformes, dimidio corpore paulo longiores, fuscae, articulis 1 — 3 nigris. *Thorax* gibbus. *Alae* mediocres fusco-hyalinae, radio stigmate et squamula nigris, radice piceostraminea; areola irregulari petiolata. *Pedes* mediocres graciles; antici rufi aut subferruginei, coxis et trochanteribus nigris; posteriores nigri, tarsis fuscis. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius, thoracis latitudine, oblongo-fusiforme; segmento 1 latitudine paulo longiore, basin versus angustato, canaliculato, nigro; 2 piceo-stramineo, basi obscuriore; 3 et 4 piceostramineis, 4 interdum margine nigro; reliquis nigris. *Aculeus* longitudine abdominis, seu paulo longior.

Unam feminam, circa *Vindobonam* captam, *Dahlio* debeo; alteram vidi in museo *Comitis de Hoffmannsegg.*

52. L. DECIMATOR. n.

Abdominis medio castaneo; pedibus rufis, basi nigris, tibiis posticis fuscescentibus; orbitis oculorum flavis aut castaneis. m. f. (*fem.* aculeo corpore longiore).

Statura tota brevior et crassior, pedes validiores, quam in reliquis cospeciebus hujus familiae.

Longitudo 3 — 4 linearum, maris interdum 4½ linearum. *Caput* clypeo ferrugineo, orbitis oculorum internis, ut plurimum quoque externis, castaneis, mari interdum flavis, distinctioribus aut obsoletioribus; feminae nonnunquam totum nigrum. *Antennae* filiformes, *maris* corpore vix breviores, subtus ferrugineae; articulo 1 subtus plerumque flavo, rarius toto nigro; ultimo nigro; *feminae* corpore paulo breviores; vel nigrae, subtus apicem versus ferrugineae; vel ferrugineae, articulo 1 obscuriore supra nigro, 2 et 3 nigris. *Thorax* gibbus aut gibbulus. *Alae* mediocres, fumatohyalinae, maris magis hyalinae, stigmate et radio fuscis aut piceis, radice stramineo-albida, squamula nigra aut fuscescente; cellulae interioris nervi dividentis initio, interdum fere ad medium usque excurrente; areola *maris* triangulari, petiolata aut sessili, rarissime quinqueangulari aut in ala sinistra omnino deficiente; *feminae* parva, irregulari aut subrhomboidali, interdum triangulari incompleta, petiolata aut longe-

petiolata, nonnunquam in ala sinistra omnino deficiente. *Pedes* mediocres, postici longiores, subvalidiusculi; trochanteribus et coxis nigris; femoribus rufis aut fulvis, anterioribus plerumque basin versus, mari rarius latere supero toto, nigricantibus, posticis apice, feminae interdum quoque basi, nigris; tibiis rufis aut fulvis, posticis extrorsum fuscis; tarsis rufis, posticis fuscis. *Abdomen maris* capite thoraceque paulo longius et angustius, oblongum aut fusiforme, interdum segmentis 2—5 aequilatis; segmento 1 basin versus sensim paulo angustato, subcanaliculato, tuberculis lateralibus ante basin sitis, nigro, interdum apice seu punctis duobus rufis aut castaneis; 2 rarius toto nigro aut toto rufo, plerumque basi aut margine aut punctis duobus rufis seu castaneis; 3 rarius toto nigro aut punctis duobus castaneis, plerumque castaneo, interdum fascia aut punctis duobus nigricantibus; 4 vel rufo, plerumque margine aut fascia nigro, vel nigro, interdum fascia obsoleta castanea; reliquis nigris; *feminae* thorace paulo longius, ejus autem latitudine, crassum suboblongoovatum, rufocastaneum; segmento 1 dorso impresso, basi nigro; 6 et 7, interdum etiam margine quinti aut quinto toto, nigricantibus; 5—7 margine membranaceo albido. *Aculeus* corpore longior, interdum fere duplo longior, niger, terebra castanea.

Feminam cepi, mense Iulio, circa *Oedelem;* mares quosdam, mense Iunio, prope *Pepelwitz* in fruticetis. Copiam marium et feminarum, in *Re-*

gione Pedemontana captorum, accepi; insuper par in *Etruria* captum, feminam circa *Norimbergam*, maresque nonnullos, circa *Vindobonam*, *Parisios* et in *Tauria* lectos.

53. L. RUFICORNIS. n.

Abdomine pedibus et antennis rufis, basi nigris. f.

Statura et proportio partium feminarum minorum speciei antecedentis; sed corpore toto paulo graciliore, antennis paulo brevioribus, areola sessili, nervi dividentis cellulae cubitalis interioris nullo vestigio.

Longitudo 2½ linearum. *Caput* palpis rufescentibus. *Antennae* porrectae filiformes, dimidio corpore paulo longiores, rufae, articulis 1 et 2 nigris. *Alae* subfumatohyalinae, irideae, stigmate et radio piceis, radice et squamula pallidestramineis; areola triangulari irregulari sessili. *Pedes* testaceo-rufi; coxis et trochanteribus nigris, his apice rufis; femoribus posticis extrorsum basin versus nigris. *Abdomen* capite thoraceque vix paulo longius, thoracis latitudine, subtiliter punctum; segmento 1 basin versus sensim angustato, latitudine fere duplo longiore, profunde-canaliculato, rufo, basi nigra; reliquis totis rufis. *Aculeus* (apice mutilatus) dimidii abdominis longitudine, niger, terebra rufa.

Feminam unicam *Besser* transmisit e *Volhynia.*

54. L. MURINA. n.

Abdomine pedibusque castaneis, basi nigris; tibiarum basi et tarsorum posticorum medio albis; aculeo abdomine paulo breviore. f.

Longitudo 4½ linearum. *Caput* et *thorax* subtiliter puncta, griseotomentosa. *Antennae* corpore breviores, subfiliformes, apice curvatae, subtus medio ferrugineae aut fuscoferrugineae. *Alae* fumatohyalinae, stigmate radio et radice fuscis, squamula alba apice fusco; areola triangulari regulari, petiolata aut subpetiolata. *Pedes* rufocastanei; trochanteribus et coxis nigris; femoribus posticis geniculis fuscis; tibiis summa basi albis, posticis apice, seu latere externo toto, basi excepta, fusconigris; tarsis posticis nigris, articulis 3 et 4 albis, 5 rufo. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius et angustius, subcylindricum, apice compresso-clavatum, castaneum; segmento 1 nigro, latitudine duplo longiore, basin versus canaliculato et sensim angustato. *Aculeus* abdomine paululum brevior, niger, terebra rufa.

Duae feminae ad me transmissae sunt, circa *Warmbrunn* et in *Volhynia* captae; haec tibiis posticis obscurioribus et cellulae cubitalis interioris nervi dividentis rudimento, quod alteri individuo deest.

55. L. LEUCOGONA. n.

Abdominis medio et pedibus rufis, tibiis basi albis; aculeo abdomine longiore. f.

Statura ut in *accusatore*, n. 57; sed pedibus gracilioribus, aculeo longiore.

Longitudo 2¼ linearum. *Alae* hyalinae irideae, stigmate et radio piceis, radice et squamula pallidestramineis, hac puncto fusco; areola triangulari irregulari subpetiolata. *Pedes* rufi, tibiis basi summa albis. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, subcylindricum; segmento 1 nigro subcanaliculato; 2 rufo, fascia nigra; 3 rufo, utrimque puncto fusco; reliquis nigris. *Aculeus* abdomine longior, fuscus, terebra rufa.

Feminam unicam *Manger* cepit circa *Warmbrunn*.

56, L. OCCUPATOR. n.

Areola nulla; segmentis intermediis rufis, sequentibus pallide-marginatis; tibiis anterioribus femoribusque rufis; aculeo abdomine paulo breviore. f.

Statura paulo crassior quam in specie sequente; abdomine, segmento 1, aculeoque, brevioribus.

Longitudo 3 linearum. *Antennae* corpore breviores porrectae, apicem versus subcrassiores sub-

curvatae. *Thorax* gibbulus. *Alae* mediocres subhyalinae, stigmate et radio piceofuscis, radice pallidepicea, squamula nigra. *Pedes* graciles, rufi; coxis et trochanteribus nigris; tarsis omnibus, nec non tibiis posticis, nigricantibus. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, suboblongoovatum; segmento 1 subaciculato opaco nigro, margine summo rufo; 2—4 rufis; reliquis nigris, margine albente. *Aculeus* abdomine paulo brevior, niger, terebra rufa.

Feminam unicam *Spangenberg* cepit circa *Gottingam*.

57. L. ACCUSATOR.

Areola nulla; segmentorum marginibus, tibiis femoribusque, rufis; aculeo longitudine abdominis. f.

Statura paulo crassior quam feminae *bellatoris*. n. 60.

Longitudo 3½ linearum. *Caput* ore ferrugineo. *Antennae* filiformes tenues, dimidio corpore longiores, apice recurvae. *Thorax* gibbulus. *Alae* mediocres, fumatohyalinae, stigmate et radio piceis, radice pallidiore, squamula nigra. *Pedes* mediocres rufi, coxis et trochanteribus nigris, his subtus fusco-ferrugineis. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, thorace paululum angustius, cylindricum; segmento 1 aciculato nigro; sequen-

tibus nigris, margine lato rufo-castaneo. *Aculeus* longitudine abdominis niger, terebra fulva.

Unicum individuum cepi circa *Gottingam.*

Synonyma:

Ichn. accusator Fabr. Ent. II, p. 172, n. 161.
„ Thunb. Ichn. n. 399.
Pimpla accusator Fabr. Piez. p. 117, n. 21.

Nota:

Ichn. accusator Iurine p. 109 ad hanc speciem haud adhiberi potest, propter areolam distinctam.

58. L. CYLINDRATOR.

Abdominis medio, tibiis femoribusque, rufis m. f. (*fem.* aculeo corpore longiore).

Statura et proportio partium *bellatoris,* n. 60; aculeo autem longiore. Mas paulo gracilior est quam femina.

Longitudo maris 3—4, feminae $3\frac{1}{2}$—$5\frac{1}{2}$ linearum. *Caput* palpis fuscis, rarius ferrugineis; mandibulis ferrugineis, obscurioribus aut dilutioribus, rarius flavis basi apiceque nigris, rarius fere totis nigris; labro mandibulis colore respondente; orbitis oculorum internis *maris* interdum infra seu pone antennas tenuissime albidis, *feminae* interdum frontalibus et parte externarum tenuissimis flavis. *Antennae* nigrae, *mari* longitudine corpo-

ris, seu paulo breviores, apice incurvae, *feminae* corpore paulo breviores, apice magis curvatae. *Thorax* cylindricus seu gibbulo-cylindricus. *Alae* mediocres, interdum breviores et subangustae, subfumatohyalinae; stigmate et radio fuscis, interdum piceo-stramineis; radice exalbida seu straminea; squamula maris albida, feminae ferruginea aut rufa aut fuscopicea, rarius albida; areola irregulari, petiolata aut subpetiolata. *Pedes* mediocres, mari paulo graciliores; rufi aut fulvi; coxis et trochanteribus nigris, illis feminae rarissime macula laterali castanea; tarsis posticis fuscis aut nigricantibus. *Abdomen* maris capite thoraceque longius et angustius, linearicylindricum; segmento 1 laevi, toto nigro; 2 rufo, ut plurimum fascia media nigra, rarius nigro, basi apiceve rufo, aut rufo, punctis duobus nigris, rarissime toto rufo; 3 rufo, ut plurimum puncto laterali seu fascia nigra, rarius nigricante, basi rufa, seu fere toto nigro; 4 plerumque nigro, basi summa rufa, rarius rufo, puncto laterali seu fascia nigra, rarissime toto nigro; sequentibus nigris, 5 nonnunquam apice rufo; *feminae* capitis thoracisque longitudine seu paululum longius, thoracis fere latitudine, cylindricum aut suboblongocylindricum, apice obtusum; segmento 1 nigro, rarius apice rufo, rarissime fere toto rufo; 2 rufo, rarius fascia lata nigra, rarissime fere toto nigro; 3 rufo, rarius toto nigro, summa basi rufescente; 4 nigro, interdum basi rufa, seu rufo, fascia aut margine nigro; sequentibus nigris. *Aculeus* corpore longior, niger, terebra castanea.

Plures legi mares et feminas, mensibus Iulii et Augusti, in umbellatis fruticetis et in gramine, circa *Warmbrunn Scheidnich* et *Helmstadium*; nonnullosque mares, in umbellatis, circa *Vratislaviam Cudovam* et *Barterodam*, iisdem mensibus. Insuper plures feminae, circa *Gottingam* (mense Iunio) *Hannoveram*, *Trajectum ad Moenum*, *Sickershausen*, *Genuam* et in *Tauria* lectae, mihi missae sunt; nec non mares et feminae e *Regione Pedemontana* et *Anglia* (circa *Netley* capti), mas e *Brisgovia*.

Varietas:

1. *Abdomine rufocastaneo, segmentis* 6 *et* 7 *nigris.* f. — *Longitudo* fere 5 linearum. *Caput* ore rufo; orbitis oculorum superis et externis albis. *Alae* paulo minores quam in feminis genuinis, fumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula albis, areola suborbiculata. *Pedes* rufi; coxis nigris, extrorsum badiis; trochanteribus posticis basi nigris. *Aculeus* corpore longior.

Feminam unicam, cum individuo genuino, *a Steven* e *Tauria* transmisit.

Synonyma:

Ichn. cylindrator Villers p. 180, n. 136.
„ Olivier p. 191, n. 139.
„ Thunb. Ichn., n. 330.
Ichn. coccineus Christ p. 365, tab. 38, fig. 6 (? aculeo longitudine corporis).

Nota:

Quaeritur, num etiam *Ichn. cylindrator* Fabr. Ent. p. 171, n. 160 (*Pimpla cylindrator* Fabr. Piez. p. 117, n. 20) huc referri possit? Secundum Fabricium segmenta 2, 3 et 4 cruce sunt impressa, quae autem huic nostrae speciei deest. Auctor forsan speciem aliquam familiae primae hujus generis coram habuit. Villers et Olivier, in descriptione *cylindratoris*, crucis illius nullam fecerunt mentionem.

Cum *Ichn. coccineo* Christii haud confundendus est *Ichn. coccineus* Fourcroyi, qui ad *Braconem denigratorem* spectat.

Inter individua genuina hujus speciei *femina genuensis* altera (*a Spinola* enim duas transmisit) unica est, orbitis oculorum frontalibus et externis flavis, indeque quasi medium tenet inter hanc speciem et *L. perspicillatorem*, n. 42.

59. L. LINEARIS. n.

Areola subnulla; abdominis medio pedibusque rufis; aculeo abdomine longiore. f.

Statura gracilior quam feminis speciei sequentis.

Longitudo 2⅔ — fere 3 linearum. *Antennae* subfiliformes dimidio corpore paulo longiores. *Thorax* gibbulo-cylindricus. *Alae* irideae subhyalinae, stigmate piceo aut stramineo, radio fusco

aut piceo, radice et squamula albidis; areola vel omnino nulla, vel subtriangulari irregulari, petiolata aut subpetiolata, nervo exteriore tenui. *Pedes* graciles, rufi aut fulvi, trochanteribus fuscis, tarsis posticis fuscescentibus. *Abdomen* linearicylindricum, capite thoraceque angustius et paulo longius; segmentis 1 et 2 nigris, margine rufo aut fulvo; 3 et 4 rufis aut fulvis, sequentibus nigris. *Aculeus* abdomine longior, niger, terebra rufa.

Unam feminam *Manger* cepit circa *Warmbrunn;* alteram, eamque majorem, abdomine paulo longiore, colore pedum et abdominis dilutiore, *Bonelli* in *Regione pedemontana.*

60. L. BELLATOR.

Abdominis medio et pedibus rufis. m. f. (*mas* facie, coxis anterioribus, maculisque thoracis, flavis; *fem.* aculeo longitudine corporis).

Longitudo maris $2\frac{1}{2}$—$3\frac{2}{3}$, feminae $2\frac{2}{3}$—4 linearum. *Caput maris* facie ore genis et orbitis oculorum superis flavis; *feminae* palpis et labro, interdum quoque mandibularum medio, ferrugineis, rarius fulvostramineis, palpis interdum fuscescentibus, orbitis oculorum verticalibus interdum tenuissime flavis aut puncto flavo. *Antennae* filiformes, *mari* corpore paulo breviores, rarius ejus longitudine, apice recurvae, fuscae, subtus

plerumque ferrugineae, articulis 1 et 2 subtus flavis; *feminae* dimidio corpore longiores, interdum subtus fuscoferrugineae; rarissime articulis 3—5 rufis. *Thorax* gibbulus seu gibbulo-cylindricus, *mari* linea ante alas, apice hamata, interdum obsoletiore, lineola infra alas, punctis duobus lateralibus prothoracis, uno alterove interdum obsoleto, rarius ambobus confluentibus seu omnino deficientibus, nec non colli marginibus et parte infera, interdum quoque macula una magna aut duabus minoribus pectoris, flavis; *feminae* totus niger, interdum macula laterali badia obsoleta, rarissime lineola infra scutellum castanea. *Scutellum* feminae rarissime apice castaneo. *Alae maris* mediocres, hyalinae aut subfumatohyalinae, stigmate stramineo seu piceofusco, radio fuscescente, radice et squamula flavostramineis, areola sessili, interdum subquinqueangulari, rarius subsessili, rarissime petiolata; *feminae* mediocres, seu subbreviusculae subangustae, fumatohyalinae, radio et stigmate fuscis seu fuscopiceis seu piceostramineis, radice pallide-straminea, squamula fusca aut piceofusca, rarius albidostraminea; areola sicut in mare, nervo exteriore interdum suboblitterato. *Pedes* subgraciles, *mari* fulvi; coxis et trochanteribus anterioribus flavis, rarissime rufis, trochanteribus mediis interdum supra nigris; coxis posticis rarius rufis aut flavis, lineolis duabus nigris, plerumque nigris, apice subtus flavis supra flavis aut rufis, seu linea rufa; trochanteribus posticis vel fulvis puncto nigro, vel nigris apice flaves-

cente aut rufofulvo; femoribus posticis interdum summa basi nigricante; tarsis posticis fuscescentibus; *feminae* rufi; trochanteribus vel omnibus, vel posterioribus aut posticis solis, nigris, ut plurimum apice rufescente, rarius omnibus rufis; tibiis posticis interdum fuscis aut subfuscescentibus, introrsum autem semper ferrugineis aut rufis; tarsis posticis supra fuscescentibus aut nigricantibus. *Abdomen maris* thorace duplo longius, eoque angustius, linearicylindricum; segmento 1 laevi nigro, interdum margine rufo; 2 vel nigro, margine rufo, vel rufo, fascia lata nigra, rarius solis punctis duobus nigris; 3 et 4 fulvis aut rufis, ut plurimum utrinque puncto nigro, rarissime fascia nigra; 5 vel ut 4 picto, vel rufo, apice subnigricante, vel nigro, basi aut margine aut lateribus rufis seu castaneis, rarissime toto rufo; 6 et 7 nigris, 6 apice plerumque obsolete-fuscis; *feminae* thorace duplo longius, seu paulo brevius, thorace paulo angustius, lineari-cylindricum seu lineari-oblongum, apice obtuso; segmento 1 laevi, rarius subcanaliculato, nigro, apice rufo, interdum fere toto rufo; 2 vel toto rufo, vel punctis duobus nigris, interdum in lineam transversalem confluentibus; 3 plerumque toto rufo, rarius utrinque puncto nigro; 4 plerumque nigro basi rufa, rarius toto nigro aut toto rufo; 5 rarissime rufo, plerumque nigro; 6 et 7 nigris. *Aculeus* corpore paululum brevior aut longior, niger, terebra rufa aut castanea.

Mares et feminas legi, in umbellatis fruticetis et graminibus, per totam aestatem, passim in *Silesia*, nec non circa *Helmstadium*, *Gottingam* et *Barterodam*; unica femina, die 7 Septembris, in Angelica sylvestri prope *Woelfelsgrund*, capta, a reliquis omnibus differt, scutelli apice et lineola infra scutellum castaneis. Mares et feminae e *Volhynia* quoque et *Gallia*, nec non ex *Anglia* (circa *Netley* capti), ad me transmissi sunt. Praeterea plures accepi mares, circa *Norimbergam Sickershausen Taurinum* et *Genuam* captos; feminasque, circa *Vindobonam*, *Niesky*, *Hannoveram*, et in *Hercynia*, nec non circa *Parisios* et in *Tauria*, lectas.

Varietas:

1. *Abdomine rufo, apice nigro, femoribus supra nigris.* f. — *Longitudo* fere 4 linearum. *Caput* et *antennae* totae nigrae. *Alae* fumatohyalinae, stigmate et radio nigrofuscis, radice alba, squamula nigra; areola irregulari petiolata, nervo exteriore subtiliore. *Pedes* rufi; trochanteribus totis, femoribus anterioribus superne posticis apice, nigris; tibiis mediis apice, posticis totis, nigrofuscis; tarsis fuscis. *Abdomen* segmentis 1—4 rufocastaneis. *Aculeus* (apice manco), niger, terebra rufa.

Hanc feminam *de Heyden* cepit circa *Trajectum ad Moenum*.

Synonyma:

Ichn. bellator Grav. Uebers. n. 3743 (haud confundendus cum *Ichn. bellatore* Müll. Prodr. n. 1840, abdomine nigro petiolato).

Ichn. coracinus Gmel. ed. Linn. p. 2704, n. 317.

Nota:

Feminae individuum *vindobonense*, orbitis oculorum superis flavis, macula laterali thoracis castanea, segmento primo fere toto rufo, aculeo corpore paulo longiore, medium tenet inter hanc speciem et *L. parallelam*, n. 43.

61. L. PETIOLARIS. n.

Abdominis medio, tibiis anterioribus, femoribusque, rufis; orbitis oculorum verticalibus flavis; areola longe petiolata. f.

Statura et proportio partium omnino feminae antecedentis; sed areola exacte sicut in *maculatoria* et *bicorni*, n. 33 et 49.

Longitudo 3¾—4 linearum. *Caput* orbitis oculorum verticalibus flavis tenuibus. *Alae* fumatohyalinae, stigmate et radio fuscis seu subpiceis, radice straminea, squamula nigra; areola triangulari subregulari longe-petiolata. *Pedes* rufi, coxis et trochanteribus nigris; postici tarsis tibiisque

nigrofuscis, his basin versus obscuro-ferrugineis. *Abdomen* segmento 1 nigro, margine plerumque rufo; 2 et 3 rufis; reliquis nigris. *Aculeus* longitudine abdominis, paulove longior.

Duas feminas cepi, mense Augusto, in umbellatis circa *Cudovam;* tertiam, circa *Parmam* captam, *a Sanvitale* transmisit.

FAMILIA III,

seu subgenus:

POLYSPHINCTA,

a verbis πολὺ, multum, et σφιγκτὴ, constricta — ob abdomen, constricturis multis incisum.

Segmentis transversim impressis, ultimis duobus feminae rima ventrali longitudinali incisis; areola nulla; pedibus mediocribus (aculeo mediocri aut brevi).

Caput transversum breviusculum. — *Oculi* ovales prominentes. — *Antennae* longitudine mediocri aut breves, graciles, porrectae aut apice curvatae. — *Thorax* gibbulus. — *Scutellum* subquadratum aut subtriangulare apice obtuso, subtuberculatum, *Pol. multicolori* magis deplanatum quam reliquis. — *Alae* mediocres aut amplae; areola deficiente, interdum (*P. percontatoriae*) nervo, cellulam exteriorem et interiorem sejungente, brevissimo. — *Pedes* mediocres. — *Abdomen* sessile, rarius subsessile, v. c. *P. carbonatori*, latitudine thoracis, hocque vel duplo aut plus duplo longius, cylindricum, ventre plano, vel thorace vix duplo longius, suboblongo-cylindricum, apicem et basin versus subangustatum; segmentis transversim impressis aut incisis, partibus eorum elatioribus magis nitidis quam incisurae. Segmentum primum vel subquadratum, vel latitudine paulo longius, vel basin versus plus minus angustatum, distinctius aut obsoletius canaliculatum, tuberculis lateralibus ad basin sitis. Segmenta 6 et 7 feminae ventre longitudinaliter fissa. *Aculeus* exsertus, mediocris aut brevis.

De affinitatibus Polysphinctarum cum *Glyptis* et *Lissonotis* has consulere velis. — A *Schizopygis* Polysphinctae differunt pedibus gracilioribus et aculeo longiore. — A *Clistopygis* feminae discernuntur rima ventrali segmentorum duorum ultimorum. — Sed a *Pimplis* et *Ephialtis* Polysphinc-

tae vix sejungi possunt, nam unica nota, qua ab illis differunt, defectus est areolae, cujus autem vix ratio haberi potest, cum mutabilitatem et inconstantiam ejus saepius in aliis familiis, immo in uno eodemque individuo, jam viderimus, et in *Eph. pictipede* areola ista minutissima et fere obsoleta sit. Aliquomodo tamen proportio longitudinis aculei notam diagnosticam subpeditat, nam Polysphinctarum species abdomine longo cylindrico, quae ergo ad Ephialtas referri possent (e. g. *Pol. tuberosa*), differunt aculeo vix dimidii abdominis longitudine; species autem abdomine breviore (*Pol. carbonator*), aculeum habet multo breviorem quam species abdomine breviore Pimplarum, quales sunt *Pimpla flavicans, instigator, examinator* etc. Sed feminae *Pol. varipedis* et *multicoloris*, abdomine breviore, aculeo fere longitudine abdominis, solo defectu areolae a Pimplis discedunt et transitum ad has parant. — Polysphinctae etiam aliquam affinitatem habere videntur cum *Bassis*, sed praeterea quod toto habitu differant, feminae quoque longitudine aculei, mares autem abdomine longo cylindrico, transversim inciso, discedunt, nam mares illorum Bassorum abdomine transversim inciso, v. c. *Bassi zonarii, laetatorii, albosignati*, abdomen habent brevius, nec cylindricum sed magis depressum. — *Pol. percontatoria*, ratione nervi, cellulas duas cubitales sejungentis, *Xylonomis* analoga est, a quibus tamen capite parvo etc. satis differt.

---

62. P. TUBEROSA. n.

Pedibus anterioribus rufis, trochanteribus et coxis mediis fuscomaculatis; posticis fuscis aut fuscomaculatis, tibiis basin versus exalbidis; aculeo dimidio abdomine breviore. f.

Corpus elongatum cylindricum. *Longitudo* 3 — 4 linearum. *Caput* palpis albidis. *Antennae* filiformes, corpore paulo breviores, porrectae. *Thorax* gibbulus, interdum collo supra albicante. *Scutellum* interdum apice badio. *Alae* mediocres subhyalinae, stigmate et radio fuscis aut stramineopiceis, radice et squamula albidis. *Pedes* subgraciles; anteriores rufi seu fulvi, coxis et trochanteribus mediis vel supra fuscescentibus vel fere totis nigris, anticis interdum pallidis, interdum autem sicut medii; postici vel [1]) fusci, femoribus supra castaneis, tibiis interdum extrorsum basin versus sordide albidis, coxis et trochanteribus nigris, vel [2]) femoribus fulvis, tibiis exalbidis, apice et ante basin fuscis, tarsis fuscis, articulis 1 et 2 basi pallidestramineis, trochanteribus et coxis nigris, apice castaneis. *Abdomen* capite thoraceque duplo longius, latitudine thoracis, cylindricum, marginibus segmentorum subelevatis tuberculo laterali, seu potius segmentis linea transversali profunda incisis. *Aculeus* dimidio abdomine paulo brevior.

Individua duo *austriaca*, unumque *pedemontanum*, accepi; hoc minus est, scutello toto nigro, pedibus sub [2]) descriptis.

63. P. RUFIPES. n.

Pedibus rufis; tibiis posticis testaceis, apice et ante basin fuscis. f.

A specie sequente haec differt, aculeo breviore, abdomine paulo longiore et graciliore; ab antecedente, aculeo paulo breviore, abdomine paulo crassiore et breviore. Caeterum autem, primo adspectu, facile cum *Pimpla graminellae* confundi posset, sed, praeter defectum areolae, pedibus quoque gracilioribus, abdomineque minus laevi, differt.

Longitudo 3¼ linearum. *Caput* palpis stramineis. *Antennae* filiformes, dimidio corpore longiores, subtus fuscoferrugineae, articulo 1 toto nigro. *Thorax* gibbulo-cylindricus. *Alae* subhyalinae, stigmate et radio stramineis aut subpiceis, radice et squamula pallide-stramineis. *Pedes* rufi; postici tibiis testaceis, apice nigrofuscis, ante basin subfuscescentibus, tarsis testaceis, apice articulorum fusco. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius, thoracis latitudine, subcylindricum, apicem et basin versus sensim paulo angustatum; segmento 1 canaliculato; reliquis transversis, tuberculo lato laterali, margine elevato. *Aculeus* dimidio abdomine brevior, pilosellus. Supra acu-

leum stylus perbrevis clavatus, utrimque juxta aculeum autem stylus, illo brevior et gracilior, subcapitatus, in altero hujus speciei individuo absconditus, prostant.

Duas cepi feminas, die 25 Septembris, in Pino sylvestri, prope *Trajectum ad Viadrum*.

64. P. VARIPES. n.

Pedibus rufis, posticorum tibiis tarsisque albo-ferrugineoque alternantibus. m.

Statura et proportio partium, nec non sculptura abdominis omnino sicut in *Schizopyga podagrica*, n. 68, sed pedibus paulo gracilioribus, thorace paulo gibbosiore.

Longitudo paulo ultra 3 lineas. *Caput* palpis pallidis. *Antennae* subtus sordide-testaceae. *Alae* hyalinae irideae, stigmate et radio fuscis, squamula et radice albidis. *Pedes* rufofulvi, coxarum summa basi nigra; postici tibiis extrorsum fusco-ferrugineis, annulo albo ante basin, tarsis fusco-ferrugineis articulorum basi exalbida. *Abdomen* segmentis 2 — 5 linea transversali incisa badia.

Hunc marem *Manger* cepit circa *Warmbrunn*.

Femina?

Abdominis medio castaneo; pedibus rufis, posticorum tibiis tarsisque albofuscoque annulatis. f. — *Statura* brevior et crassior quam in mare.

Longitudo 2½ — 3¼ linearum. *Caput* palpis albidis. *Antennae* dimidio corpore paulo longiores, filiformes graciles, fuscae, subtus testaceae, apicem versus interdum totae testaceae. *Thorax* gibbulus. *Alae* subhyalinae, stigmate et radio fuscis, radice exalbida, squamula testacea aut fusca. *Pedes* rufi; antici coxis basi nigra; medii tibiis extrorsum medio et basi obsolete-albidis; postici tibiis fuscis aut nigricantibus, medio et basi albidis, tarsis testaceis, apicibus articulorum fuscis. *Abdomen* thorace duplo longius eoque paulo latius, apicem et basin versus sensim paulo angustatum; segmento 1 canaliculato; 2 — 5 aut 3 — 5 linea transversali incisis, castaneis, antice (inter lineam incisam et marginem) subelevatis nitidis nigris. *Aculeus* abdomine paulo brevior aut paulo longior, niger, terebra castanea.

Unam feminam cepi, die 10 Augusti, in fruteto prope *Warmbrunn;* alteram, *fennicam,* eamque minorem, antennis apice totis testaceis, squamula fusca, aculeo breviore, *Sahlberg* ad me transmisit.

65. P. MULTICOLOR. n.

Thorace et scutello rufomaculatis; pedibus stramineis, posticorum coxis et femoribus fulvis, tibiis tarsisque nigromaculatis; antennis subtus basin versus albidis. m. f. (*fem.* aculeo dimidii abdominis longitudine).

Feminae *statura* et proportio partium sicut in femina *carbonatoris*, n. 67, aculeo autem longiore. Mas multo gracilior quam femina.

Longitudo maris 2⅓, feminae 2½—3 linearum. *Caput* palpis, plerumque punctis duobus facialibus, albidis. *Antennae* maris fuscae, subtus basin versus albidae, (articulis ultimis deficientibus); feminae filiformes, dimidio corpore paulo longiores, apice curvatae, fuscae, subtus articulis 1—4 albidis aut pallidestramineis, sequentibus testaceis, ultimis totis testaceis. *Thorax* gibbulus, niger; prothoracis lateribus et pectore, nec non vel dorso toto vel maculis duabus dorsalibus, rufis; metathoracis lateribus, seu puncto laterali, rufis, lineola flava sub scutello. *Scutellum* rufum apice flavo. *Alae* hyalinae irideae; radio et stigmate piceis aut fuscis, radice et squamula albis. *Pedes* mediocres, pallide-testacei aut albido-straminei; postici coxis et femoribus fulvis, tibiarum apice et annulo ante basin, nec non articulorum tarsorum apicibus, nigricantibus. *Abdomen maris* gracile, thorace angustius et duplo longius, cylindricum; *feminae* capite thoraceque

paulo longius, thoracis latitudine, apicem et basin versus sensim paulo angustatum; ambobus segmentorum margine et tuberculo laterali, majore minoreve, nitidioribus. *Aculeus* pilosellus, dimidii abdominis longitudine, vel paulo longior.

Mares *genuenses* duos *a Spinola* mecum communicavit; feminaeque duae, circa *Warmbrunn* et *Sickershausen* captae, transmissae sunt, quarum prima major, abdomine longiore, aculeo breviore, facie tota nigra, prothoracis dorso bimaculato, ab altera differt.

66. P. PERCONTATORIA.

Thorace albo-castaneoque maculato, scutelli apice castaneo; pedibus fulvis, tibiis posticis albidis apice fusco; ore et articulo 1 antennarum subtus albis; aculeo brevissimo. f.

Statura et pedes graciliores quam in specie sequente.

Longitudo 2¼ linearum. *Caput* ore albido. *Antennae* articulo 1 subtus albido (articulis ultimis deficientibus). *Thorax* gibbulus; lineola infra alas, punctoque ante alas, albidis; maculis 2 dorsalibus castaneis. *Scutellum* apice castaneo. *Alae* hyalinae irideae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula albis; nervo, qui cellulam interiorem ab exteriore sejungit, breviore quam in reliquis cospeciebus. *Pedes* subgraciles, fulvi; anteriores coxis et trochanteribus albidis; postici

coxarum basi nigra, trochanteribus albidis, tibiis albidis, apice et vestigio obsoleto annuli ante basin, tarsisque, nigricantibus. *Abdomen* sessile subcylindricum, capite thoraceque vix paulo longius, latitudine thoracis; segmento 1 subcanaliculato; 2—4 fuscis, linea transversali, utrimque subsursumcurvata, impressis. *Aculeus* longitudine sextae partis abdominis.

Unicam feminam *Nees ab Esenbeck* cepit in Athamantha Oreoselino, mense Iulii.

Varietates:

1. *Thorace nigro, puncto flavo infra alas; scutello et linea infra scutellum rufis.* f. — *Longitudo* 2⅓ linearum. *Caput* palpis albidis. *Antennae* subtus subtestaceae. *Alae* hyalinae irideae, stigmate stramineo, radio piceo, radice et squamula pallide-flavis. *Pedes* pallideflavi; tibiis pallidioribus, posticis albidis apice nigricante; tarsis posticis fuscis basi albida. *Abdomen* lineis transversalibus segmentorum paulo profundioribus quam in femina genuina. *Aculeus* longitudine quartae partis abdominis.

Hanc feminam *Manger* circa *Warmbrunn* cepit.

2. *Scutello et macula dorsali segmentorum mediorum flavis.* f. — *Longitudo* 3 linearum. *Caput* ore et orbitis oculorum internis albidis. *Antennae* filiformes porrectae, corpore paulo bre-

viores, articulis 1 et 2 subtus albidis. *Thorax* colli parte infera, puncto infra alas, linea lata, apice subhamata, ante alas, lineolaque sub scutello, flavis; prothoracis dorso rufocastaneo; suturis lateralibus subtestaceis. *Scutellum* flavum. *Alae* hyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula albidis. *Pedes* coxis et trochanteribus albidostramineis, posticis colore fulvo subimbutis; femoribus fulvis, posticis geniculo pallido; tibiis stramineofulvis, posticis albidis apice et macula ante basin nigris; tarsis stramineo-fulvis, posticis fuscis. *Abdomen* segmentis 2—5 macula dorsali transversa, inter lineam impressam et basin, albidostraminea. *Aculeus* longitudine sextae partis abdominis.

Hanc feminam elegantem *Comes de Küenburg* e *Gallicia* transmisit.

Synonyma:

Ichn. percontatorius Müll. Prodr. n. 1787.

Nota:

De synonymo adhuc dubius sum, cum *Ichn. percontatorius* M. diagnosi nimis brevi, etiam ad *Tryphonem caligatum* adhiberi posset.

Cellulae alarum, imprimis nervus brevissimus inter cellulam interiorem et exteriorem, cellulis *Xylonomorum* respondent.

67. P. CARBONATOR.

Pedibus fulvis; tibiis posticis basi albis apice et ante basin fuscis. m. f. (*fem.* aculeo brevissimo).

Corpus maris gracilius quam feminae.

Longitudo 2½ linearum; femina interdum paulo ultra 3 lineas longa. *Caput* palpis pallidis. *Antennae* filiformes porrectae, dimidio corpore longiores. *Thorax* gibbus. *Alae* mediocres hyalinae, stigmate et radio piceo-stramineis, squamula et radice vel sicut stigma coloratis vel albidis. *Pedes* mediocres subgraciles fulvi; anteriores feminae coxis basi nigris, mari trochanteribus et coxarum latere infero albidis; postici tarsis tibiarumque apice et annulo ante basin fuscis, basi ipsa albida, feminae rarius tibiis extrorsum totis, excepta basi alba, fuscis, trochanteribus maris albidis; interdum quoque tibiis mediis, vel etiam anticis, apice et ante basin colore fuscescente imbutis. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, vel paululum longius, latitudine thoracis, vel paulo latius, convexiusculum, feminae a segmento quarto, basin versus, sensim angustatum, mari segmentis 2—5 aequilatis; marginibus segmentorum elevatis nitidioribus; segmento primo subcanaliculato. *Aculeus* longitudine sextae aut octavae partis abdominis, vaginis nigris pilosellis, terebra castanea.

Marem et feminam *Hartlieb* cepit, mense Septembri, circa *Pless.* Feminam ipse cepi circa *Helmstadium;* duaeque, circa *Niesky* et *Aboam* captae, mecum communicatae sunt; aboënsis minor est, tibiis obscurioribus, aculeo breviore.

Synonyma:

Cryptus carbonator Grav. Uebers. n. 3772.

F A M I L I A IV,

seu subgenus:

SCHIZOPYGA,

a verbis σχίζω, findo, et πυγὴ, anus — ob feminae abdomen, apice subtus longitudinaliter fissum.

Segmentis transversim incisis, duobus ultimis feminae ventre rima fissis; areola nulla; pedibus breviusculis crassiusculis; (aculeo perbrevi).

Caput transversum breve. — *Oculi* ovales prominentes. — *Antennae* graciles, dimidii corporis longitudine, apice subcurvatae. — *Thorax* subcylindricus. — *Scutellum* subtriangulare subtuberculatum. — *Alae* mediocres, areola nulla. — *Pedes* breviusculi, femoribus validis. — *Abdomen* sessile convexum nitidulum, thoracis latitudine, eo autem fere duplo longius, subelongato-cylindricum, apicem versus sensim angustius; segmentis transversim incisis, 6 et 7 ventre longitudinaliter incisis. Segmentum primum linea longitudinali canaliculatum, latitudine paulo longius, basin versus paulo angustatum; tuberculis lateralibus ante basin sitis. — *Aculeus* perbrevis erectus.

De affinitatibus hujus familiae cum *Lissonotis* et *Polysphinctis* supra jam actum est. — A *Clistopygis* et *Ephialtis* illa differt pedibus crassis et aculeo brevi, a Clistopygis praeterea quoque segmentis 6 et 7 feminae ventre incisis. — A *Bassis* habitu toto, pedibus crassis, thorace cylindrico etc. Schizopygae se distinguunt.

---

68. S. PODAGRICA. n.

Pedibus rufis, femoribus nigromaculatis; posticorum tibiis tarsisque albo-nigroque annulatis. m. f. (*mas* facie, coxis anterioribus, trochanteribusque flavis; *femina* coxis et trochanteribus omnibus nigris, aculeo brevissimo).

Longitudo maris 2⅓, feminae 3½ linearum. *Caput* maris ore et facie flavis. *Antennae* filiformes, *maris* dimidii corporis longitudine, subtus fulvae, basin versus flavae; *feminae* dimidio corpore paululum breviores, apice subincurvae, rarius totae fuscae, plerumque subtus ochraceae articulo 1 flavicante. *Thorax* gibbulo-cylindricus. *Alae* mediocres, *mari* hyalinae, radio et stigmate fuscis, squamula et radice pallide-flavis; *feminae* fumatohyalinae, stigmate et radio fuscopiceis, radice straminea, squamula nigra. *Pedes* crassi, *mari* coxis anterioribus flavis, posticis nigris; trochanteribus flavis; femoribus fulvis, anticis subtus flavis, posterioribus apice et linea longitudinali nigris; tibiis mediis apice et ante basin fuscis, basi ipsa alba, posticis nigris, annulo medio alteroque basali albis; tarsis mediis pallidis ungue fusco, posticis nigris, basi articulorum alba; *feminae* coxis et trochanteribus nigris; medii femorum et tibiarum apicibus tarsisque fuscescentibus, horum articulo 1 basi pallida; postici femoribus apice nigro, tibiis nigris, annulo et basi albis aut testaceis,

tarsis fusco-nigris, articulo 1, ut plurimum etiam 2, sordide-albido, apice fusco. *Abdomen* maris capite thoraceque paulo longius, feminae thorace duplo longius; latitudine thoracis, cylindricum; segmentis linea media transversali impressis, margine elevato nitidiore; segmento 1 lineis duabus longitudinalibus elevatis distinctis. *Aculeus* vix exsertus, niger, terebra rufa.

Marem et feminam *Manger* cepit circa *Warmbrunn;* praeterea duae feminae, circa *Vindobonam* et *Parmam* captae, ad me transmissae sunt. *Warmbrunnensis* a reliquis differt antennis totis fuscis.

Varietas:

1. *Femoribus totis rufis, tibiis posticis nigris annulo medio albo.* f. — *Longitudo* vix ultra 2 lineas. *Pedes* coxis et trochanteribus nigris; femoribus rufis, anterioribus paulo pallidioribus posticis summo apice fuscescente; tibiis anticis stramineo-rufis, mediis piceis annulo medio albente, posticis nigris annulo medio albo; tarsis anticis stramineorufis, mediis subpiceis, posticis totis nigrofuscis. — Caetera ut in femina genuina.

Hanc feminam *Hope* cepit circa *Netley*.

69. S. TRICINGULATA. n.

Segmentis 3—5 rufis, margine nigro; pedibus fulvis, coxis nigris, trochanteribus flavis; tibiis posticis albidis, apice et ante basin fuscis. m.

Statura et proportio partium omnino *Polysphinctae varipedis*, n. 64, corpore attamen paulo graciliore.

Longitudo 2½ — fere 3 linearum. *Caput* palpis pallidis. *Antennae* basin versus subtus subtestaceae. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio fuscopiceis, radice et squamula albidis. *Pedes* rufo-fulvi; coxis nigris, anterioribus apice flavo; trochanteribus flavis; tibiis posticis sordide-albidis, apice et ante basin nigrofuscis; tarsis posticis fuscis, articulo 1 basi pallida. *Abdomen* segmentis 3—5 rufis, margine nigro.

Mares duos *Manger* cepit circa *Warmbrunn.*

Varietates:

1. *Segmento 5 toto nigro; geniculis posticis nigris.* m. — *Longitudo* 2½ linearum. — Caetera plane mari genuino respondent.

Hunc marem cepi, die 26 Septembris, prope *Trajectum ad Viadrum,* in loco herbaceo frutetoso aprico volitantem.

2. *Abdomine toto nigro, geniculis posticis nigris.* m. — Haec varietas a *P. podagrica* antecedente differt, corpore graciliore, facie nigra. —

Pedes dilute-rufi; antici coxis basi nigris; medii coxis nigris, tibiis apicem versus fuscis, tarsorum articulis apice fuscescentibus; postici coxis et geniculis nigris, tibiis albis, apice et ante basin nigris, tarsis nigris, basi articulorum alba. — Caetera omnia ut in mare genuino.

Duos mares cepi, mense Augusto, circa *Salzbrunn*, in fruticetis.

3. *Abdomine toto nigro.* m. — *Longitudo* $2\frac{3}{4}$ linearum. — *Statura* varietatis 2. — *Pedes* etc. ut in specie genuina.

Hoc individuum *Hope* cepit circa *Netley*.

70. S. ANALIS. n.

Abdomine rufo, margine segmentorum 1—3 anoque nigris; pedibus rufis, nigromaculatis; aculeo subexserto. f.

Statura et proportio partium *podagricae*, n. 68; corpore autem paulo graciliore.

Longitudo $3-3\frac{1}{2}$ linearum. *Caput* ore pallidetestaceo. *Antennae* subtus pallidetestaceae, apicem versus sensim totae fuscae. *Alae* fumatohyalinae aut subhyalinae, irideae, stigmate et radio fuscopiceis, radice albida, squamula nigra. *Pedes* crassi rufi; coxis posterioribus vel basi summa vel fere totis nigris; femoribus posterioribus geniculis nigris, tibiis mediis apice nigris, posticis testaceis aut exalbidis, apice et ante basin nigris; tarsis posticis nigris, basi articulorum

testaceo - albida. *Abdomen* segmento 1 nigro, lateribus aut dorso rufo; 2 et 3 rufis, margine nigro; 4 et 5 totis rufis; 6 et 7 totis nigris. *Aculeus* subexsertus subsursum - curvatus niger.

Unam feminam cepi circa *Vratislaviam;* duae aliae circa *Warmbrunn* captae sunt.

71. S. MINUTA. n.

Pedibus fulvis; posterioribus nigromaculatis. f.

Statura et proportio partium speciminum graciliorum hujus familiae; corpore autem ipso graciliore quam in varietate 2 *S. tricingulatae*, n. 69.

Longitudo paulo ultra 2 lineas. *Caput* palpis pallidestramineis. *Alae* fumatohyalinae, stigmate et radio piceis, radice straminea, squamula nigra. *Pedes* fulvi; antici coxis nigris; medii coxis et trochanteribus nigris, tarsis tibiarum apice geniculisque nigricantibus; postici nigri, femorum basi rufa, tibiarum basi et medio stramineis, tarsorum articulo 1 basi straminea. *Abdomen* capite thoraceque duplo longius, thorace angustius, linearicylindricum; segmentis marginibus subelevatis, 2—5 basi obscuro - fuscis. *Aculeus* longitudine segmenti ultimi, vaginis compressis.

Feminam unicam *Hartlieb* cepit, mense Maji, prope *Vratislaviam.*

FAMILIA V,

seu subgenus:

CLISTOPYGA,

a verbis κλειστὸς, clausus, et πυγὴ, anus — ob feminae abdomen, subtus apice haud fissum, sed integrum et quasi clausum.

Segmentis transversim incisis, ultimis feminae ventre integris; areola nulla; antennis gracilibus; pedibus mediocribus; (aculeo mediocri).

Caput transversum breve. — *Oculi* magni prominentes orbiculato-ovales. — *Antennae* graciles, longitudine mediocri, apice curvatae. — *Scutellum* convexum subquadratum. *Alae* mediocres subamplae; areola nulla. — *Pedes* mediocres. — *Abdomen* convexum sessile elongatum subcylindricum, apice subcrassius, latitudine thoracis, eo autem duplo longius, nitidum; segmentis transversim incisis, ultimis ventre integris. Segmentum primum latitudine paulo longius, basin versus paulo subangustatum, tuberculis lateralibus ante basin sitis. — *Aculeus* exsertus, circiter abdominis longitudine, aut paulo brevior.

De relationibus hujus familiae ad tres antecedentes (*Lissonotas*, *Polysphinctas* et *Schizopygas*) sub illis quaedam monui. — A *Pimplis*, *Ephialtis* et *Rhyssis* feminae hujus subgeneris (mares autem nondum mihi noti sunt) differunt aculeo brevi, segmentis duobus ultimis ventre integris, defectu cellulae cubitalis intermediae.

---

72. C. INCITATOR.

Thorace flavolineato et castaneo-maculato; scutello apice albo; pedibus fulvis, posticis fuscomaculatis; orbitis oculorum albis; aculeo dimidii abdominis longitudine. f.

Longitudo 3—4 linearum. *Caput* labro rufo; palpis et orbitis oculorum omnibus albidis. *Antennae* filiformes graciles, dimidio corpore longiores, vel totae vel subtus tantum ferrugineae aut pallidepiceae. *Thorax* gibbocylindricus; linea ante alas, plerumque colli margine laterali, lineolaque parva infra alas, albidis; dorso vel nigro, punctis duobus flavis ante collum, vel lineis duabus longitudinalibus subobsoletis flavis, spatio autem inter lineam lateralem et proximam dorsalem badio, vel maculis duabus longitudinalibus castaneis; pectore et prothoracis lateribus dilutecastaneis; metathoracis lateribus interdum macula obsoleta castanea, lineola infra scutellum albida. *Scutellum* nigrum aut rufum, apice semper albido. *Alae* mediocres hyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula albidis. *Pedes* mediocres fulvi; anteriores coxis et latere infero trochanterum femorum et tibiarum pallidioribus seu stramineis, coxis plerumque extrorsum nigris, medii tibiis extrorsum apicem versus et ante basin tarsisque fuscis; postici trochanteribus et coxis pallide-stramineo- et fusco-variis, interdum fere totis nigris,

tibiis fuscis, medio et basi pallidis, tarsis fuscis, articulorum basi plerumque pallida. *Abdomen* thorace duplo longius, ejusque latitudine, cylindricum; segmentis marginibus subelevatis, 6 et 7 lateribus plerumque obsolete-castaneis. *Aculeus* vix dimidii abdominis longitudine, vaginis pilosellis aut sublaevibus.

Unam feminam cepi, die 31 Maji, in corylo prope *Gottingam;* alteram, eamque coxis magis nigris, *Sturm* cepit circa *Norimbergam;* tertiam, eamque minorem, scutelli et thoracis dorso haud castaneo-maculatis, *Nees ab Esenbeck* circa *Sickershausen;* quartam, abdomine toto nigro, *Hope* circa *Netley*.

Synonyma:

Ichn. incitator Fabr. Ent. II p. 172, n. 163.
„ Thunb. Ichn., n. 470.
Pimpla incitator Fabr. Piez. p. 117, n. 24.

73. C. HAEMORRHOIDALIS. n.

Scutello anoque rufis, thorace pedibusque rufo-flavo-nigroque variis, facie flava, aculeo dimidii abdominis longitudine. f.

Statura et proportio partium omnino antecedentis.

Longitudo 3 — fere 4 linearum. *Caput* orbitis oculorum omnibus ore et facie flavis, hac linea tenui longitudinali nigra. *Antennae* subtus

ferrugineorufae, supra ferrugineae, basin versus fuscae. *Thorax* rufus; collo nigro, marginibus flavis; sutura ante alas, lineis duabus dorsalibus longitudinalibus, versus scutellum conniventibus, medio interruptis, lineola infra alas, linea laterali longitudinali prothoracis et metathoracis, lineolaque sub scutello, flavis. *Scutellum* rufum, apice, interdum quoque lateribus, flavum. *Alae* subhyalinae, stigmate et radio nigrofuscis, radice et squamula flavis. *Pedes* pallidestraminei; anteriores femoribus extrorsum subfuscescentibus, tibiis extrorsum fuscescentibus medio exalbido, tarsorum articulis apice fuscescente; postici coxis subtus fuscis, femoribus extrorsum subfuscescentibus, tibiis fuscis, medio albis, basi albidostramineis, subtus apicem versus rufis, tarsis albidis, articulorum apice fusco. *Abdomen* segmento 1 margine summo rufocastaneo; 2—5 lateribus et fascia ante marginem rufocastaneis; sequentibus totis rufocastaneis. *Aculeus* dimidii abdominis longitudine, vaginis nigris subpilosellis, terebra rufa.

Feminas duas *genuenses a Spinola* mihi transmisit.

FAMILIA VI,

seu subgenus:

PIMPLA.

Segmentis plerumque transversim impressis, intermediis longitudine latioribus, ultimis feminae rima ventrali longitudinali incisis; areola triangulari; (aculeo mediocri, rarius longo).

Caput transversum breve. — *Oculi* ovales, multis subreniformes seu juxta antennas subemarginati. — *Antennae* plerisque graciles, nonnullis subcrassiusculae, longiores aut breviores, porrectae aut apice curvatae. — Antennae et *partes oris* fusius descriptae sunt sub P. instigatore et flavicante. — *Thorax* gibbus aut gibbulus. — *Scutellum* plus minus convexum aut subtuberculatum, forma variabili, subtriangulare, subquadratum, subsemicirculare, suborbiculatum. — *Alae* mediocres aut subamplae; areola triangulari, regulari aut irregulari, plerisque sessili. — *Pedes* mediocres, rarius subcrassiusculi. — *Abdomen* sessile, feminis plurimis oblongum seu oblongo-ovatum, maribus plurimis angustius quam feminis, plerumque subcylindricum aut sublineare, interdum a basi usque ad segmentum sextum sensim subincrassatum (e. g. *P. turionellae*); thoracis latitudine, vel paulo angustius aut paulo latius; thorace longius, interdum duplo aut plus duplo longius; rarius laeve (e. g. *P. flavicanti*), plerumque subtiliter et confertim punctum. Plurimis vel segmenta ipsa transversim impressa sunt, interstitiis transversalibus elatioribus nitidioribus, vel segmenta incisuris profundioribus separantur, marginibus segmentorum elatioribus nitidioribus, rarius impressuris et incisuris illis deficientibus (e. g. *P. flavicanti* et *laevi*).

Segmenta 2—7 plurimis sunt transversalia, mari interdum subquadrata; duo ultima feminae ventre rima longitudinali subfissa. Segmentum primum subquadratum, aut latitudine paulo longius, rarius paulo brevius, basi paulo angustiore, excavato-depressa, tuberculis lateralibus obsoletis, ad basin sitis. — *Aculeus* plerisque abdomine brevior, rarius ejus longitudine aut longior (v. c. *roboratori* et *stercoratori*).

Relationes Pimplarum ad *Tryphones*, *Phytodietos*, *Glyptas*, *Lissonotas*, *Polysphinctas* et *Clistopygas*, sub his jam recensui. — Pimplae proxime accedunt ad *Ephialtas*, non tam per feminas aculeo longiore, quales sunt feminae *P. roboratoris*, *stercoratoris*, etc. quae semper segmentis transversalibus ab Ephialtis discedunt, quam per mares, abdomine longiore graciliore, segmentis subquadratis, e. g. *P. alternantis*, *rufatae* etc. qui Ephialtarum maribus nonnullis, abdomine breviore, v. c. *Eph. inani*, adpropinquant, et in familiam Ephialtarum transeunt. *Pimpla pictipes* antea etiam Ephialtis consociata erat. — *Trachyderma* medium tenet inter Pimplas et *Metopios*, his respondens abdomine scabro opaco, pedibus antennisque crassioribus, illis forma capitis et scutelli.

SECTIO I.

Corpore rufo, punctis aut maculis nigris, scutello flavo.

E sectione 5 varietas 4 *P. stercorariae*, thorace et abdomine piceo-stramineis, huic sectioni respondet.

Sectio V / Scutello nigro,
h. VI

74. P. FLAVICANS.

Fulva, pectore et thoracis lateribus nigro-maculatis. m. f. (*fem.* aculeo dimidii abdominis longitudine).

Longitudo maris 2⅔—7, feminae 4—6 linearum. *Caput* fulvum aut flavum, vertice rufo-fulvo, rarius nigro-notato; oculis et ocellis cinereo-fuscis; mandibulis apice nigro. *Antennae* filiformes, dimidio corpore longiores, porrectae, apice paululum curvatae, fulvoferrugineae, rarius fuscoferrugineae; articulo 1 plerumque subtus pallidiore aut flavo. (Descriptionem accuratiorem oris et antennarum leges infra, in nota). *Thorax* gibbus, rarissime totus rufofulvus; plerumque picturis aut maculis, majoribus minoribusve, in pectore et lateribus, interdum pectore toto, ut plurimum quoque regione circa scutellum, nigris; lineola infra alas, alteraque sub scutello, flavis, interdum fulvis; lineis duabus longitudinalibus dorsi dilute-fulvis, interdum obsoletis, spatio inter has lineas plerumque nigro aut fusco. *Scutellum* flavum, interdum fulvum. *Alae* mediocres, flavicante- aut subfulvofumato-hyalinae, rarius subaqueo-hyalinae; stigmate radice et squamula fulvis, rarius stramineis, radio fulvofuscescente; areola irregulari sessili. *Pedes* crassiusculi fulvi; coxis et trochanteribus anticis subtus plerumque flavis; coxis mediis interdum puncto seu macula nigra; coxis posticis ut pluri-

mum puncto seu macula nigra, interdum fere totis nigris, rarius totis fulvis; femoribus posticis subtus plerumque macula aut linea longitudinali nigra. *Abdomen maris* capite thoraceque longius, interdum thorace duplo longius, rarius capitis thoracisque longitudine, thorace paulo angustius, cylindricum; *feminae* capitis thoracisque longitudine seu paulo longius, thoracis latitudine, oblongoovatum; segmento 1 canaliculato, basi plerumque nigro; 2—6 basi interdum linea transversali, seu punctis duobus, nigris, rarius macula dorsali nigricante; interdum abdomine toto fuscoferrugineo aut fuscotestaceo, marginibus segmentorum flavicantibus, seu segmentis 5—7 aut 4—7 totis fuscis. *Aculeus* dimidii abdominis longitudine vel paulo brevior, niger, terebra fulva aut castanea.

Individua hujus speciei, praeprimis feminina, ubique in Germania frequentia esse videntur. Mares et feminas, mense Iulii, circa *Scheidnich* in frutetis cepi, pluresque, circa *Vratislaviam, Hannoveram, Sickershausen, Niesky,* et in *Regione Pedemontana* captos, accepi. Marem quoque mense Augusto in frutetis circa *Gottingam* cepi; nonnulli, circa *Pless* (mense Septembri) *Altwasser* et in *Gallicia* lecti, ad me transmissi sunt. Femina mihi prodiit, die 5 Iulii, e pupa *Papilionis polychlori;* multas legi, vere et aestate, passim in *Silesia* et circa *Trajectum ad Viadrum,* in fruticetis, interdum quoque in domibus; multaeque aliae, circa *Warmbrunn, Meiningen, Norim-*

bergam, *Vindobonam*, *Genuam*, *Parmam*, et in *Volhynia* lectae, mihi transmissae sunt. Mense Iulio *ab Uechtritz* feminam cepit in Chaerophyllo bulboso.

Synonyma:

Ichn. Atalantae Poda p. 106, n. 8; e pupis *Papilionis Atalantae.*
Ichn. Geoffroi p. 333, n. 28; e pupa larvae communis.
Ichn. speculator Scopoli Carn. n. 753; in Corylo lectus.
„ Villers p. 185, n. 156.
„ Christ p. 367.
„ Olivier p. 213, n. 36.
„ Schrank Boica n. 2085.
Ichn. acuminator Müll. prodr. n. 1821.
Ichn. quadripunctatus Schrank Austr. n. 754.
„ Villers p. 202, n. 219, in Gallia.
„ Gmel. ed. Linn. p. 2711, n. 191.
„ Olivier p. 223, n. 102.
Ichn. nigroculus Schrank Austr. n. 753.
„ Villers p. 202, n. 218.
„ Gmelin ed. Linn. p. 2711, n. 190.
„ Olivier p. 223, n. 101.
Ichn. vinctus Schrank Austr. n. 755.
„ Villers p. 202, n. 220, in Gallia.
„ Gmel. ed. Linn. p. 2711, n. 192.
Ichn. scutellatus Fourcroy p. 402, n. 28; e larvis papilionum.
„ Villers p. 155, n. 59.

Ichn. scutellatus Walckenaer p. 63, n. 70.
Ichn. incisus Gmel. ed. Linn. p 2708, n. 352.
Ichn. albiscutatus Gmel. ed. Linn. pag. 2708, n. 347?
Ichn. crassipes Rossi n. 787; in sylvestribus, frequentans flores (occurrit etiam in Hercynia, teste Illigero ad Rossium l. c.).
„ Olivier pag. 198, n. 170; in Gallia meridionali.
„ Walckenaer p. 63, n. 72.
„ Scharfenberg p. 965, n. 20. b. larva habitat, mensibus Maji et Iunii in larvis *Geometrae grossulariatae;* imago habitat, mense Iulii, in hortis etc., prodibat quoque, mense Augusti, e folliculis *Bombycis neustriae.*
Ichn. vulpes Christ tab. 37, fig. 3.
Ichn. superbus Christ tab. 37, fig. 1? (longitudine 10 linear.).
Ichn. varius Olivier p. 197, n. 166; e pupa *Bombycis chrysorrhoes.*
„ Panzer ad Schaeff. Icon. tab. 61, fig. 10, et tab. 198, fig. 3.
Ichn. flavicans Fabr. Ent. p. 182, n. 202.
Ichn. melanops Schrank Austr. n. 752.
„ Villers p. 201, n. 217.
„ Gmel. ed. Linn. p. 2711, n. 189.
„ Olivier p. 223, n. 100; in Gallia australi.
„ Schrank Boica n. 2091.
Ichn. sticticator Thunb. Ichn. n. 174.
Pimpla flavicans Fabr. Piez. p. 119, n. 33.

Cryptus varius Grav. Uebers. n. 3767—3769.
„ *variatorius* Fabr. Piez. p. 78, n. 31.

Nota:

Descriptio accuratior antennarum et oris hujus speciei, a *Neeseo ab Esenbeck* mecum communicata, haec est:

Antennae rectae filiformes crassiusculae, pube adpressa rigidula tectae, articulis 37; radicula tenui subconica; scapo brevi crassiusculo subovato, extrorsum obliquo, cavo; pedicello subcylindrico exserto; articulo accessorio annuliformi, paulo angustiori, distincto; reliquis articulis cylindricis decrescentibus, quinto longiori, exterioribus pluribus diametro non altioribus aut subtransversis, ultimo parvo conico obtuso, praecedenti magis contiguo.

Clypeus transversus brevis distinctus; margine supero linea impressa arcuata, ad oculos excurrente, determinato, infero breviore subconcavo; facie antica sursum obtuse-carinata, hinc declivi. — *Labrum* exsertum breve declive semicirculare ciliatum. — *Mandibulae* breves, modice curvae, basi dilatatae, subtetragonae, facie exteriori plana punctulata pilosa, interiori angustiori bicarinata; apice acute incisae, dentibus aequalibus acutiusculis. — *Maxillae* labii longitudine, idque amplectentes: *Stipes* coriaceus, oblique-lanceolatus, compressus, facie infera laevi glabra: *Mala* stipitis longitudine, membranacea bifida; lacinia infera antrorsum obliqua, in lobum rotundatum, parum

ascendentem, dilatata, superiori triangula, margine supero rotundato ciliato. — *Palpi maxillares* mala duplo longiores, ratione breves, pubescentes, quinquearticulati; articulo 1 subclavato truncato, 2 compressiusculo obconico, apice extrorsum obliquo, margine interiori acuto, 3 cylindrico subangulato, 4 obconico, crassitie decrescentibus, 5 conico attenuato, tamen obtusiusculo; ratio longitudinis 3. ½. 5. 4. — *Labium: Mentum* coriaceo-corneum obovatum convexum laeve pubescens, margine supero integro, utrinque denticulo minutissimo infra palpos: *Lingua* menti fere longitudine, rectiuscula emarginata, laciniis deflexo-conniventibus sinuato-truncatis, ut in plerisque, obiter inspectis, triangulis obtusis nudis. — *Palpi labiales* linguam non multo superantes, pubescentes quadriarticulati; articulo 1 clavato truncato, 2 dilatato, fere triangulo, compressiusculo, 3 obconico brevissimo, praecedente multo tenuiori, ultimo oblongo, basi attenuato, obtuso.

Ad *synonyma* hujus speciei haec quaedam monenda sunt:

Ichn. speculator Thunb. Ichn. n. 344, totus ater, cum *speculatore* Scopolii haud confundendus est. — *Ichn. acuminator* Fabr. et reliquorum auctorum *Banchus* est, *picto* affinis, indeque ab *acuminatore* Mülleri satis diversus. — *Ichn. quadripunctatus,* ad hanc speciem adhibitus, ab auctoribus quidem abdomine petiolato describitur, caeteris autem huic speciei optime respondet; eoque

minus haesitavi quin eum cum nostra specie conjungam, cum Schrank dixerit, *Ichn. vinctum*, qui sine ullo dubio ad nostram speciem redigendus est, *quadripunctato* simillimum esse. — Olivier Illiger et Walckenaer ad *Ichn. crassipedem* Rossi laudant Ichn. Geoffroi n. 25, qui autem potius ad nostrum *Paniscum virgatum* adhiberi debet. *Bassus testaceus* Fabr. autem, quem Illiger, l. c. interrogative ad hanc speciem allegat, *Mesolepto testaceo* nostro respondet. Caeterum autem *Ichn. crassipes* Fourcroii, seu Ichneum. Geoffroii n. 18, quem Olivier *Ichn. grossipedem* nuncupavit, et *Ichn. crassipes* Gmelini et Villersii, huic speciei alieni sunt. — Ab *Ichn. superbo* Christii citato differt ejusdem nominis Ichneumon, a Schrankio descriptus et a Gmelino et Villersio receptus, qui melius ad nostram *Rhyssam clavatam* quadrat. — *Ichn. varius* Pontoppidani, Mülleri, Gmelini, et *Banchus varius* Fabricii et Walckenaeri, tam ab *Ichn. vario* Olivieri, ad nostram speciem laudato, quam inter se differunt. *Ichn. varius* Thunbergi est *Bracon varius* Fabricii.

SECTIO II.

Abdomine toto aut segmentis quibusdam totis rufis, scutello nigro.

E *sectione* 5 varietates 3 et 4 *P. graminellae*, segmentis 1—4 piceis, et individua quaedam *P. roboratoris* et *arundinatoris*, segmentis quibusdam fere totis castaneis, ad hanc sectionem adpropinquant.

75. P. MELANOCEPHALA. n.

Fulva, capite et prothorace nigris, aculeo brevi. f.

Statura crassior est quam in specie sequente. *Longitudo* 4 linearum. *Caput* palpis stramineis. *Antennae* filiformes, dimidio corpore longiores, ferrugineae, apicibus summis articulorum nigris, articulis 1 et 2 totis nigris. *Thorax* gibbus, metathorace et lineola sub scutello rufofulvis. *Alae* mediocres hyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula rufis; areola triangulari irregulari sessili. *Pedes* fulvi, posteriores unguibus nigris. *Abdomen* thorace duplo longius, ejus autem latitudine, apicem et basin versus sensim paulo angustatum, fulvum, punctum, segmentorum marginibus elevatis. *Aculeus* niger, longitudine quartae partis abdominis.

Duae feminae, circa *Warmbrunn* et *Genuam* captae, mecum communicatae sunt.

76. P. MELANOPYGA. n.

Fulva aut rufa, capite thorace anoque nigris, aculeo brevi. f.

Longitudo 3¾ — 4 linearum. *Antennae* porrectae filiformes, dimidio corpore vix paulo longiores, silaceae, basin versus sensim fuscae, articulis 1 et 2 nigris. *Thorax* gibbulus. *Alae*

mediocres hyalinae, radio et stigmate piceis, radice et squamula pallide-flavis; areola irregulari, sessili aut subsessili. *Pedes* mediocres testaceo-fulvi, coxis anticis basi fuscis. *Abdomen* capite thoraceque longius et paulo latius, apicem et basin versus sensim paululum angustatum, segmentorum marginibus elevatis nitidioribus; segmentis 1—4 rufis aut testaceis; 5 vel nigro, marginibus rufis, vel basi luteo, ante marginem fusco; sequentibus nigris. *Aculeus* subpilosellus niger, longitudine quartae partis abdominis.

Duae feminae, circa *Norimbergam* et in *Hungaria* captae, mihi transmissae sunt; haec major est, segmentis 1 — 4 rufis.

77. P. ABDOMINALIS n.

Abdomine antennis pedibusque rufis, basi nigris, aculeo dimidii abdominis longitudine. f.

Longitudo 2½ — 3 linearum. *Antennae* filiformes, dimidii corporis longitudine, rufae, articulo 1 nigro. *Thorax* gibbulus. *Alae* breviores quam in reliquis speciebus hujus sectionis, fulvo-fumatohyalinae; stigmate stramineo, radio piceo, basin versus pallidiore, radice pallidestraminea, squamula nigra apice rufo; cellulae interioris nervo infero exteriore fere sub angulo recto fracto, areola triangulari irregulari sessili. *Pedes* mediocres rufi, coxis et trochanterum basi nigris; femoribus

mediis subtus macula nigricante, posticis nigris apice rufo. *Abdomen* subcylindricum, capite thoraceque paulo longius, thoracis latitudine seu paululum angustius; segmento 1 canaliculato nigro, margine rufo; sequentibus rufis laevibus, 2 linea transversali subinciso. *Aculeus* longitudine dimidii abdominis niger.

Paucas legi feminas, mense Augusto, circa *Warmbrunn* in umbellatis et gramine.

SECTIO III.

Prothorace et scutello rufis.

---

78. P. RUFICOLLIS. n.

Prothorace scutello pedibus abdominisque cingulis rufis, aculeo longitudine corporis. f.

Statura et proportio partium *P. roboratoris,* n. 84, feminae, sed corpore graciliore, aculeo longiore.

Longitudo 3½ linearum. *Caput* palpis sordidestramineis. *Thorax* gibbulus; prothoracis dorso et lateribus, linea sub scutello, interdum etiam macula laterali metathoracis, rufis aut castaneis. *Scutellum* rufum aut castaneum. *Alae* hyalinae, stigmate stramineo, radio fusco, radice et squamula albis, areola irregulari subsessili. *Pedes* rufi; trochanteribus anterioribus flavicantibus; tarsis posterioribus, interdum quoque tibiarum posticarum latere externo, fuscis. *Abdomen* thoracis latitudine, eo autem duplo longius, basin et apicem versus sensim paulo angustatum, punctum, segmentorum marginibus elevatis laevibus; nigrum; segmentis 2 — 7 lateribus et fascia ante marginem palliderufis aut badiis, ultimis fere totis rufis aut badiis. *Aculeus* pilosellus; longitudine corporis, seu paulo longior.

Duae feminae, circa *Vindobonam* et *Norimbergam* captae, ad me transmissae sunt.

[illegible] Epeira umbratica.

79. P. OCULATORIA.

Prothorace et scutello rufis flavolineatis, abdomine castaneo-cingulato; pedibus fulvis, posticorum tibiis tarsisque pallidioribus fusco-maculatis; capite flavomaculato. m. f. (*fem.* aculeo brevi; *mas* facie flava).

Statura maris paulo gracilior quam feminae. — *Longitudo* 3 — 4⅔ linearum. *Caput maris* ore facie et orbitis oculorum superis aut omnibus flavis; *feminae* palpis et orbitis oculorum omnibus flavis, mandibulis flavis apice nigro, clypeo flavo aut ferrugineo, facie vel nigra, puncto medio rufo punctisque duobus flavis infra antennas, vel tota fulva aut rufa. *Antennae* filiformes porrectae, dimidio corpore paulo longiores, fulvae, supra obscuriores, articulis 1 — 4 — 5 supra nigris, sensim fuscescentibus; mari interdum fuscae, subtus articulo 1 flavo, sequentibus ferrugineis; ultimis fuscis totis. *Thorax* gibbulus; collo nigro, linea laterali flava; prothorace rufo aut rufo-fulvo, linea ante alas, lineola sub alis, lineisque duabus dorsalibus longitudinalibus, mari quoque macula laterali et pectorali, flavis; metathorace nigro, macula laterali rufa, punctis duobus ante petiolum, interdum confluentibus, lineaque transversali sub scutello, flavis. *Scutellum* rufum aut rufo-fulvum, apice et marginibus lateralibus flavis. *Alae* mediocres subhyalinae, stigmate stramineo aut piceo, radio fusco, radice et squamula flavis;

areola irregulari subsessili aut petiolata, nervo exteriore plerumque tenuissimo. *Pedes* mediocres graciles; anteriores mari toti pallidestraminei, feminae straminei, subtus plerumque pallidiores, tarsorum articulorum apicibus fuscescentibus aut fuscis; postici coxis et trochanteribus testaceo- aut flavo-rufoque aut rufonigroque- aut testaceonigroque variegatis, femoribus fulvis, mari pallidioribus, tibiis pallidis, apice et annulo ante basin fuscescentibus, tarsis pallidis, articulorum apicibus fuscis. *Abdomen maris* thorace triplo aut plus duplo longius, eoque paululum angustius, cylindricum, *feminae* paulo brevius quam mari, thoracis latitudine, subcylindricum, basin et apicem versus paulo angustatum; nigrum, segmentorum incisuris profundis, cingulo ante marginem elevatum singuli segmenti, interdum subobsoleto, testaceo aut rubricoso, quo colore etiam plerumque latera segmentorum tinguntur; segmento 7 interdum, rarius quoque 6, toto rubricoso. *Aculeus* longitudine tertiae aut quartae partis abdominis, vaginis nigris pilosellis, terebra rufa aut straminea.

Plures mares feminamque *Manger* legit circa *Warmbrunn;* feminam ipse cepi die 4 Iulii circa *Oedelem*, nonnullaeque aliae, circa *Vindobonam*, *Genuam* et in *Etruria* captae, mihi transmissae sunt. — *Hartlieb* die 18 Martii *nidum ovulorum araneae*, autumno anni praecedentis in gramine repertum, dono mihi dabat, e quo tres hujus speciei ichneumones, scilicet duo mares et una fe-

mina, eodem die exclusi erant. Larvae eorum fere omnia ovula comederant, (paucis tantum incolumibus, e quibus deinde araneolae proveniebant), totamque mutationem in nido ipso subierant. Examine nidi instituto, quorundam ovulorum putamina vacua alba membranacea inveniebam, e quibus nempe araneolae provenisse videbantur; larvae ichneumonum enim sine dubio ovula tota comederant, cum sola contenta ovulorum paucorum, quorum putamina restabant, larvis tribus nullo modo suffecissent. *Araneolae* erant capite fusco nitido; thorace suborbiculato, latitudine paulo longiore, fulvo, vitta longitudinali fusca; abdomine orbiculato-ovato fusco, basi summa, lineolis duabus longitudinalibus dorsalibus brevibus ante basin, ventreque toto, pallide flavis; pedibus piceo-fuscis.

Varietates:

1. *Segmento* 1 *nigro; 2 et 3 rufocastaneis, dorso et margine nigris;* 4 — 6 *rufocastaneis, margine nigro; 7 toto rufocastaneo.* f. — *Longitudo* 4 linearum. — Caetera ut in femina genuina.

Hanc feminam *Hartlieb* cepit, die 7 Februarii, sub muscis circa *Vratislaviam.*

2, *Abdomine nigro, ano solo castaneo.* f. — *Longitudo* paulo infra vel paulo ultra 4 lineas. *Caput* palpis, clypeo et orbitis oculorum omnibus stramineo-flavis, facie rufa. *Antennae* ferrugi-

neae aut testaeeae, superne basin versus sensim obscuriores; articulis 1 — 5 fuscis, subtus pallidioribus, articulo 1 interdum toto fusco. *Thorax scutellum* et *alae* ut in specie genuina; lineis flavis dorsalibus prothoracis autem plerumque obsoletis. *Pedes* anteriores straminei aut testacei, subtus pallidiores, coxis fuscomaculatis; postici coxis testaceo-rufo- et nigro-maculatis, trochanteribus stramineis basi fusca, femoribus fulvis aut rufis geniculo flavicante, tibiis sordide-stramineis, apice et ante basin fuscescentibus, tarsorum articulis sordide-stramineis apice fusco. *Abdomen* nigrum, segmento 7 badio, individuo majori etiam margine summo segmenti sexti, et linea transversali obsoletissima ante marginem segmenti secundi, badiis. *Aculeus* ut in femina genuina.

Unam feminam, eamque majorem, cepi, mense Augusto, circa *Salzbrunn;* alteram *Hartlieb* circa *Vratislaviam* cepit.

Synonyma:

Ichn. lineatorius Villers p. 157, n. 69; in *Gallia australi.* Abdomen nigrum, apice rubrum (itaque nostra varietas 2); interdum totum nigrum (talem varietatem nondum vidi).

„ Olivier p. 175, n. 53.

Ichn. oculatorius Fabr. Ent. Suppl. p. 221, n. 57.

„ Walckenaer p. 55, n. 30 (ubi autem verbum *noir* ante *ecusson* ponendum est).

Cryptus oculatorius Fabr. Piez. p. 78, n. 30.

Nota:

Ichn. lineatorius Thunb. Ichn., n. 562, thorace abdomineque nigris, scutello et segmentorum marginibus flavis, huc haud spectat.

80. P. ORNATA. n.

Scutello et prothoracis dorso castancis, flavolineatis; pedibus rufis, posteriorum tibiis et tarsis fusco-alboque annulatis; oculorum orbitis internis flavis aut rufis; aculeo longitudine dimidii abdominis. f.

Statura et proportio partium *Pimplae rufatae*, n. 82, aculeo autem longiore.

Longitudo 4 — fere 5 linearum. *Caput* palpis clypeo et orbitis oculorum internis et superis rufis aut stramineis. *Antennae* fuscae, subtus ferrugineae aut rufae, articulo 1 interdum toto fusco. *Thorax* macula laterali et dorso prothoracis rufis aut castaneis, interdum illa obsoleta, hoc autem medio nigro; sutura ante alas, lineola infra alas, alteraque sub scutello, flavis. *Scutellum* castaneum, margine flavo, interdum macula disci nigra. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio nigris, radice et squamula stramineis, areola irregulari subsessili. *Pedes* rufi; medii tibiis fuscescentibus, basi et medio sordide-albidis aut testaceis, introrsum totis testaceis, tarsis vel sordide-albidis, articulorum apicibus fuscis, vel fuscis,

basi articulorum sordide-alba; postici articulis tarsorum tibiisque nigrofuscis, basi sordide-albidis, tibiis medio obscuro-ferrugineis. *Aculeus* fere dimidii abdominis longitudine, terebra badia.

Quaedam feminae, circa *Vratislaviam*, *Berolinum* et *Monspessulanum* captae, mihi missae sunt; *monspeliensis* est reliquis minor, maculaque nigra in medio coloris rufi thoracis et scutelli insignis.

Varietas:

1. *Scutello nigro, marginibus flavis.* f. — *Longitudo* 3¾ — 4½ linearum. *Caput* palpis fuscis, orbitis oculorum internis et superis tenuibus stramineis. *Antennae* subtus pallide-testaceae, articulo 1 interdum toto nigro. *Thorax* linea ante alas, lineola infra alas, alteraque sub scutello, flavis; maculis duabus dorsalibus rubricosis; metathorace interdum punctis duobus parvis albis. *Scutellum* marginibus laterum et apicis flavis, medio vel toto nigro vel rubricoso macula nigra. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice straminea, squamula piceofusca. Caetera speciei genuinae respondent.

Individua duo, circa *Vratislaviam* et *Genuam* capta, mecum communicata sunt; *genuense* majus est, punctisque duobus albis metathoracis et scutello medio rubricoso macula nigra a *vratislaviensi* differt.

Nota:

Varietas descripta exacte medium tenet inter hanc et sequentem speciem; eodemque jure pro varietate *P. angentis* haberi posset, cui forma et proportione partium plane respondet. Color rubricosus dorsi thoracis, quo ab illa differt, variabilis enim esse videtur.

SECTIO IV.

Scutello pallide-notato; thorace nigro, interdum flavolineato; abdomine nigro, interdum albido- aut castaneo-subcingulato.

Scutellum rarius (mari *Pimp. rufatae*) totum flavum est, ut plurimum solo apice flavo, rarissime totum nigrum (varietati *Pimplae varicornis*), quo haec sectio in quintam transit. *Abdomen* interdum segmentorum marginibus summis exalbidis aut castaneis.

E *sectione* 5 varietas *Pimplae turionellae*, scutello albonotato, in hanc sectionem transit; e *sectione* 6 varietas *P. instigatoris*, scutello albonotato.

---

81. P. ANGENS. n.

Pedibus rufis, posticorum tibiis tarsisque fusco-albоque annulatis; linea ante alas et apice scutelli flavis. m. f. (*mas* facie flava; *fem.* orbitis oculorum internis flavis, aculeo tertiae partis abdominis longitudine).

Statura et proportio partium *P. varicornis*, n. 83; aculeo longiore.

Longitudo maris $4\frac{1}{5}$, feminae 3—4 linearum. *Caput* maris ore facie et orbitis oculorum superis testaceo-eburneis; feminae palpis albidis aut fuscis, clypeo interdum lateribus stramineo, orbitis oculorum internis albis aut flavis tenuissimis. *Antennae* subtus stramineae; feminis saepius ferrugineae aut fuscescentes, interdum articulo 1 toto nigro. *Thorax* linea ante alas, lineola infra alas, alteraque infra scutellum, albis aut flavicantibus; feminae interdum picturis illis ferrugineis aut minoribus, ita, ut linea ante alas in punctum contracta, lineola infra scutellum in puncta duo dissoluta, lineola infra alas autem plane obsoleta sit. *Scutellum* apice, feminis interdum quoque margine laterali, flavicante aut albido. *Alae* hyalinae aut subfumatohyalinae; stigmate et radio fuscis aut ferrugineis; radice albida, feminae interdum ferruginea; squamula maris albida, feminae vel tota testacea aut fusca, vel nigra apice exalbido; areola subregulari aut irregulari, sessili. *Pedes*

maris rufofulvi; anteriores subtus flavicantes; postici tibiis stramineo-flavis, apice et ante basin fuscis, tarsis fuscis articulorum basi alba; coxis omnibus basi nigris; *feminae* rufi; coxis plerumque basi nigris, anticis interdum fere totis nigris; trochanteribus individuorum majorum basi nigris; tibiis anterioribus plerumque apice et ante basin subfuscescentibus, posticis exalbidis, apice et ante basin fuscis, rarius medio ferrugineis, tarsis posticis fuscis, basi articulorum albida, rarius ferruginea, mediis quoque interdum articulorum apice fusco. *Aculeus* plurimis longitudine trientis abdominis, nonnullis fere dimidii abdominis longitudine.

Marem unicum *fennicum Sahlbergio* debeo. — Feminas duas cepi, mensibus Iulii et Augusti, circa *Warmbrunn* et *Scheidnich*, in fruticetis; aliae quaedam, circa *Norimbergam Vindobonam Niesky* et in *Tauria* lectae, mihi transmissae sunt.

Varietas:

1. *Tibiis posticis fere totis fuscis.* f. — *Longitudo* 5 linearum. *Caput* solis orbitis frontalibus albidis. *Tibiae* posticae fuscae, basi et macula media lateris interni sordidealbis. — Caetera sicut in feminis plurimis genuinis.

Feminam unicam cepit *ab Uechtritz*, mense Iulii, circa *Altwasser*, in floribus Heraclei sphondylii.

82. P. RUFATA.

Pedibus rufis, posticorum tibiis tarsisque obscuris, pallide-annulatis; lineis dorsalibus thoracis et apice scutelli flavis. m. f. (*mas facie flava*; *fem.* aculeo quartae partis abdominis longitudine).

Statura et proportio partium omnino speciei insequentis; mas autem gracilior est.

Longitudo maris 3—4⅔, feminae 2½—6 linearum. *Caput maris* ore facie et orbitis oculorum supernis flavis, mandibularum apice nigro; *feminae* palpis stramineo-rufis aut fuscescentibus, ut plurimum orbitis oculorum internis, nonnunquam etiam externis, tenuissime flavis, rarissime clypeo ferrugineo. *Antennae* fuscae, subtus mari flavae aut silaceae, feminae ferrugineae, semper autem apice summo articulorum nigrofusco; articulo 1 mari subtus flavo, feminae rarius toto nigro, plerumque subtus testaceo; articulis ultimis feminae interdum totis rufis. *Thorax* linea ante alas, interdum apice subhamata, lineis duabus longitudinalibus dorsalibus, lineola infra alas, alteraque infra scutellum, flavis, dorsalibus et lineola infra alas mari interdum obsoletis, omnibus feminae interdum ferrugineis; mari rarius maculis duabus pectoralibus testaceis, feminae rarius macula laterali ante coxas posteriores rufescente. *Scutellum* apice flavo. *Alae* hyalinae seu fumatohyalinae, stigmate et radio nigris aut piceis, radice et squa-

mula flavis, hac feminae interdum ferruginea; areola subregulari aut irregulari, interdum subquinqueangulari, subsessili. *Pedes* rufi aut fulvi; antici, nonnunquam quoque medii, subtus pallidiores, mari ut plurimum flavi; postici tibiis vel fulvis vel ferrugineis vel nigrofuscis, annulo lato albo aut flavicante ante basin, tarsis maris vel fuscis, basi articulorum albida, vel albis, apice articulorum fusco, feminae ferrugineis aut fuscescentibus, basi articulorum, praesertim primi, pallidiore aut albicante, trochanteribus interdum pallideflavis; medii tibiis plerumque annulo flavo ante basin. *Abdomen* capite thoraceque duplo longius, interdum plus duplo longius, thoracis latitudine, cylindricum, feminae ut plurimum cylindricofusiforme; segmentorum marginibus elevatis subnitidioribus; segmento 1 canaliculato, sequentibus rarissime ante marginem, vel margine ipso, badiis. *Aculeus* longitudine quartae partis abdominis, pilosellus, compressiusculus; terebra badia compressiuscula, apice subdeorsum inclinata, caeterum sicut in specie sequente.

Mares et feminas cepi, mense Iunio, circa *Vratislaviam* in gramine; aliique, circa *Warmbrunn*, *Genuam* et, mense Iunio, in *Hercynia* lecti, ad me transmissi sunt; praeterquam autem mares singulos, circa *Hannoveram Norimbergam* et *Sickershausen* captos, feminasque singulas e *Fennia Hungaria Anglia* et *Regione Pedemontana* accepi; mensibus Maji et Iulii ipse quasdam feminas legi, circa *Gottingam*, in frutetis.

Varietas:

1. *Prothoracis dorso toto nigro.* f. — *Longitudo* 3½—5¼ linearum. *Thorax* niger, plerumque linea infra scutellum, interdum medio interrupta, flava. *Alae* squamula straminea aut fusca. *Pedes* rufi aut fulvi; antici coxis vel basi nigris, vel nigris apice fulvo; postici tibiis vel fulvis vel extrorsum nigricantibus, annulo ante basin albo, basi ipsa semper nigra aut fusca, tarsis vel totis ferrugineis, vel nigricantibus aut fuscoferrugineis articulo primo basi pallidiore. — Caetera sicut in plurimis feminis genuinis.

Nonnullae feminae, circa *Warmbrunn Sickershausen* et, mense Iunio, in *Hercynia* captae, mecum communicatae sunt; una mihi prodiit e pupa *Phalaenae grossulariatae*, die 23 Iulii.

Synonyma:

Ichn. rufatus Gmel. ed. Linn. p. 2684, n. 240 (ad varietatem hujus speciei spectat).

Nota:

Varietas descripta exacte medium tenet inter hujus speciei individua genuina et speciem sequentem, tam forma et proportione quam colore.

83. P. VARICORNIS.

Pedibus rufis; apice scutelli flavo. m. f. (*mas* facie et prothorace flavolineatis; *fem.* coxis anterioribus basi nigris, aculeo longitudine quartae partis abdominis).

Longitudo 3¾—6½ linearum. *Caput* palpis fuscescentibus aut testaceis, articulorum apice summo fusco; *feminae* rarius orbitis oculorum internis subtilissime ferrugineis aut flavis; *mari* ore et clypeo flavis, apice mandibularum nigro, facie vel flava, macula aut linea longitudinali nigra, interdum quoque praeterea punctis duobus nigris infra antennas, vel orbitis oculorum internis et linea, a radice antennae versus oculum proximum oblique descendente, flavis aut ferrugineis, rarius orbitis internis solis flavis. *Antennae* filiformes, corpore breviores, porrectae, ferrugineae, subtus pallidiores aut stramineo-testaceae, articulorum apice summo fusco; articulo 1 subtus flavo, feminis interdum toto nigro. *Thorax* gibbus nitidus, *feminae* plerumque lineola transversali obsoleta ferruginea aut flavicante infra scutellum; *mari* lineis duabus longitudinalibus dorsi, puncto infra alas, plerumque lineola aut punctis duobus sub scutello, flavicantibus aut fulvis. *Scutellum* apice flavicante aut fulvo, feminae interdum ferrugineo. *Alae* mediocres, subhyalinae aut fumatohyalinae; radio et stigmate fusconigris; radice straminea, feminae interdum ferruginea; squamula maris flava

aut straminea, feminae fusca, interdum latere rufo; areola subregulari, sessili aut subpetiolata. *Pedes* mediocres, rufi aut fulvi; anteriores mari subtus plerumque flavicantes, coxarum basi nigra, feminae coxis anticis nigris, interdum apice rufo, mediis plerumque basi nigris. *Abdomen* feminae capite thoraceque duplo longius, mari plerumque plus duplo longius; thoracis latitudine, subfusiformi-cylindricum, marginibus segmentorum elevatis subnitidioribus; segmento 1 canaliculato, reliquis rarius ante marginem aut margine ipso badiis. *Aculeus* longitudine quartae partis abdominis, subcompressus; *vaginis* nigris pilosellis, subclavatis, apice deorsum inclinatis, interne concavis, basi segmento ultimo adnatis; *terebra* ipsa rufa aut badia, compressiuscula, nitidissima laevissima, apice deorsum inclinato lineisque transversalibus incisis lateribus et subtus subserrato, subtus per totam longitudinem rima angusta canaliculata, basi, uti videtur, e parte antica ventrali prominente segmenti sexti orta, situ naturali et quieto in rima longitudinali segmentorum 6, 7 et 8 accessorii, abscondita et, apice segmenti ultimi, a vaginis ipsis recepta. Praeterea plerumque ex apice segmenti ultimi duo corpuscula subclavata, apice seta longa instructa, exseruntur.

Mares et feminas legi, circa *Gottingam*, passimque in *Silesia*, mensibus Maji—Septembris, praesertim in fruticetis, rarius in gramine et umbellatis; nonnullos etiam, circa *Vindobonam*, *Norimbergam*, *Parmam* et in *Volhynia* lectos,

accepi. Mares singulos legi circa *Ahdenstedt* et *Cudovam*, mensibus Iulii et Augusti, in fruticetis et in gramine; alii quidam, circa *Niesky*, *Hannoveram*, in *Hercynia* et *Etruria* capti, ad me transmissi sunt. Feminas singulas cepi, mensibus Septembris et Octobris, circa *Vratislaviam* et *Trajectum ad Viadrum;* nonnullae, circa *Halam Saxonum*, *Pless*, *Sickershausen*, *Genuam*, nec non in *Hungaria* et *Regione Pedemontana* captae, mecum communicatae sunt. Unam feminam ipse educavi: Larva ejus hibernaverat in pupa *Bombycis libatricis*, in pupam mutabatur die 23 Aprilis, imago prodibat die 8 Maji.

Varietas:

1. Mas: *thoracis dorso toto nigro;* femina: *scutello toto nigro.* — *Scutellum* maris punctis duobus obsoletissimis flavis. — Caetera individuis plurimis genuinis respondent.

Marem *Besser* e *Volhynia* transmisit; de patria feminae incertus sum.

Synonyma:

Ichn. Roesel II. Vesp. t. XII, f. 2, 3 (m. f.). Femina ponit ovum singulum in larvam, ad mutationem subeundam jam paratam, aut in nympham adhuc mollem papilionis.

Ichn. Brassicariae Poda p. 105, n. 7.

Ichn. cunctator Scopoli Carn. n. 752; habitat in pupa *Papilionis Crataegi* et *Noctuae brassicariae*. (f.)
„ Christ, p. 357. (f.)
„ Olivier, p. 213, n. 35. (f.)
„ Scharfenberg p. 961, n. 15. Femina ponit ovum in pupam adhuc mollem *Papilionis Crataegi* aut *polychlori*; larva exclusa subit totam metamorphosin in illa pupa; post quietem trium hebdomadum e nympha imago provenit, versus finem mensis Iulii. (m. et f.).
Ichn. Schaeff. Elem. t. 72, fig. 2. (f.).
Ichn. cunctatorius Villers p. 149, n. 42. (f.).
Ichn. melanoxanthus Gmel. ed. Linn. pag. 2708, n. 345. (m.).
Ichn. annulosus Gmel. ed. Linn. p. 2709, n. 353. (f.).
Ichn. cylindricus Gmel. ed. Linn. pag. 2712, n. 270. (f.).
Ichn. varicornis Fabr. Ent. II, p. 180, n. 193. (m.).
Pimpla varicornis Fabr. Piez. p. 119, n. 31. (m.).

Nota:

Poda l. c. putat, *Ichneumonem compunctatorem* (compunctorem) Linnei ad hanc speciem referri posse; sed, propter vaginas clavatas *Ichn. Brassicariae*, eum ad hanc speciem adhibere malui. De *Ichn. compunctore* et *compunctatore* auctorum conferre velis notas ad *Mesostenum gladiatorem* et *Pimplam instigatorem*.

Scharfenberg l. c. mentionem facit varietatis *antennis nigricantibus;* dubito autem, an Ichneumon, *pedibus antennisque totis nigris*, quem *Scharfenberg* l. c. pag. 962 cum hac specie conjungit, mera ejus varietas, nec potius species diversa, sit. — Cave caeterum, ne cum hoc *Ichn. cunctatore* Scopolii confundas Mülleri, in Prodromo n. 1834 descriptum, ejusdem nominis Ichn., *lividum*, *abdomine petiolato* etc. satis discrepantem, nec *Ichn. cunctatorem* Fabr. *abdomine subfalcato petiolato rufo*, generi *Ophionum* adscriptum.

Ichn. cylindricus Gmelini allegatus haud confundi debet cum altero ejusdem nominis Ichneumone ejusdem auctoris pag. 2700, n. 286, qui *aculeo longiore*, *abdominis medio ferrugineo-cingulato* differt.

SECTIO V.

Scutello abdomine et thorace nigris, abdomine interdum castaneocingulato, coxis posticis rufis.

Scutellum varietatis *Pimplae turionellae* albonotatum est, varietatis *P. roboratoris* castaneonotatum, quo haec sectio ad quartam transit. — *Abdomen* ut plurimum nigrum est, aut solis marginibus summis segmentorum castaneis aut rufis; rarius segmentis quibusdam fere totis castaneis, incisuris solis nigris (individuis quibusdam *P. roboratoris* et *arundinatoris*); varietatibus 3 et 4 *P. graminellae* segmenta 1—4 tota picea sunt; his autem haec sectio ad secundam adpropinquat. Varietas 4 *P. stercorariae*, thorace et abdomine piceo-stramineis, in hac sectione quasi est repetitio sectionis primae. — *Coxae posticae*, pro parte nigrae, individuorum nonnullorum varietatis 2 *P. roboratoris*, transitum produnt in sectionem sextam.

E *sectione* 4 varietas *Pimp. varicornis,* scutello toto nigro, e *sectione* 6 autem varietas *Pimplae alternantis,* coxis posticis totis rufis, ad hanc sectionem quintam adpropinquant.

84. P. ROBORATOR.

Abdomine castaneocingulato, pedibus fulvis, antennis apice ferrugineis. m. f. (*fem.* aculeo longitudine corporis).

Longitudo maris $3\frac{2}{3}$ — fere 5, feminae 4—6 linearum. *Caput* labro plerumque badio. *Antennae* dimidii corporis longitudine, porrectae, apice paulo curvatae et ferrugineae. *Thorax* gibbus. *Alae* mediocres fumatohyalinae; stigmate nigro aut fusco, basin versus albo; radio fusco; radice et squamula albido-stramineis; areola irregulari subsessili. *Pedes* mediocres subgraciles, fulvo-rufi; coxis anterioribus subtus castaneis aut nigris; femoribus tibiisque anticis plerumque subtus flavicantibus, mari quoque interdum tibiis posterioribus flavicantibus; rarius genubus omnibus et tibiarum summa basi flavicantibus. *Abdomen* thoracis latitudine, eo autem duplo longius, cylindricum, aut basin et apicem versus subangustatum, dorso subdepresso, punctum, marginibus segmentorum elevatis nitidis; rarissime rufum aut castaneum, segmentis 1 et 7 fuscis, 2—6 margine nigro; ut plurimum segmento 2 obscuro-castaneo, basi et summo margine nigro; 3 et 4 badiis, summo margine, feminae praeterea ut plurimum basi, nigris; sequentibus vel nigris vel badiis, summo margine substramineo, 5 feminae interdum nigro

macula laterali badia; interdum nigrum, segmentis 2 — 5 fascia badia. *Aculeus* longitudine corporis, aut paululum brevior, niger, pilosellus, terebra laevi badia.

Marem et feminam, e *Gallia meridionali, Reusmann* mecum communicavit; par alterum, e *Lusitania*, vidi in Museo *Comitis de Hoffmannsegg;* plures singulas feminas e *Tauria*, *Etruria* et *Regione Pedemontana* accepi.

Varietates:

1. *Scutello puncto apicali castaneo.* f. — Caetera sicut in plurimis feminis genuinis.

De patria hujus feminae nescius sum; haud vero Germania est.

2. *Abdomine toto nigro.* f. — *Longitudo* 3—5 linearum. *Alae* stigmate rarissime toto straminco. *Pedes* rufi; coxis anterioribus, ut plurimum etiam trochanteribus anticis, nigris; coxis posticis rarius introrsum nigris; tibiis basi summa pallidioribus aut albidis. — Caetera sicut in plurimis feminis genuinis.

Plures feminae mecum communicatae sunt, circa *Vindobonam*, *Norimbergam*, *Taurinum*, *Parmam*, *Florentiam* et in *Tauria* lectae. Duarum Parmensium una est omnium maxima, altera omnium minima, ambae autem coxis posticis introrsum nigris distinctae.

Synonyma sp. genuinae:

Ichn. roborator Fabr. Ent. II p. 170, n. 153; habitat in Barbaria.

„ Coquebert II, p. 50, tab. XI fig. 6 (segmentis 1—5 castaneis, incisuris nigris).

„ Thunb. Ichn., n. 377.

Cryptus roborator Fabr. Piez. p. 116, n. 14.

Synonyma var. 2:

Ichn. extensor Linn. Faun., n. 1613. — Syst. XII p. 935, n. 37; habitat in Scania.

„ Müll. Fridr., n. 616. — Prodr., n. 1813.

„ Fabr. Syst. p. 337; n. 58. — Ent. II p. 168, n. 146.

„ Gmelin ed. Linn. p. 2693, n. 37.

„ Villers p. 169, n. 103.

„ Christ p. 372.

„ Olivier p. 189, n. 128.

„ Cederhielm p. 161, n. 497.

„ Dwigubsky p. 166, n. 577.

„ Lamarck p. 137, n. 4.

„ Thunb. Ichn., n. 462.

Pimpla extensor Fabr. Piez. p. 115, n. 11; aculeo corpore longiore; habitat in Europae nemoribus.

Nota:

De affinitatibus hujus speciei cum *P. brevipenni* et *stercoratore* conferre velis notas his speciebus subjunctas.

Ichn. extensor Fourcroyi est Ichn. Geoffroyi, n. 86 p. 359, quem quidem plurimi auctores ad *extensorem* adhibent, qui autem colore corporis brunneo, abdomine petiolato, etc. satis differt, potiusque ad *Braconem clavatum* (*Cryptum clavatum* Panz. Faun. fasc. 102, tab. 16) referri debet, qui in domis apud nos haud raro obvenit, cujusque larva in larvis Anobii pertinacis degit. — Nec *Ichn. extensor* Schrank Boica, n. 2068, tibiis anticis tarsisque anticis nigris, ad nostram speciem spectat.

85. P. CALOBATA. n.

Abdomine castaneocingulato; pedibus rufis; tibiis apice et ante basin fuscis, posticis medio et basi albis. f. (aculeo corpore paulo breviore).

Statura et proportio partium feminae antecedentis, sed corpore toto graciliore. Caeterum haec species medium tenet inter antecedentem et *P. didymam*, n. 87.

Longitudo 4 linearum. *Caput* palpis pallidis. *Antennae* subtus sordidestramineae. *Alae* fumatohyalinae, stigmate stramineo, radio supra fusco, radice et squamula albidis, areola irregulari subsessili. *Pedes* rufofulvi; tibiis apice et ante basin subfuscescentibus, posticis subtus sordidefulvis, supra albidis apice et ante basin fuscis; tarsis posticis fuscis, articulorum basi exalbida. *Ab-*

domen capite thoraceque duplo longius, thoracis latitudine, badium; segmento 1 nigro; sequentibus margine elevato nitido nigro, 2 praeterea basi fusca. *Aculeus* corpore paulo brevior niger pilosellus.

Unicam feminam *Manger* cepit circa *Warmbrunn.*

86. P. ARUNDINATOR.

Abdomine castaneocingulato, pedibus fulvis, antennis apice ferrugineis. f. (aculeo dimidii abdominis longitudine).

Statura et proportio partium *P. roboratoris*, n. 85, aculeo autem breviore.

Longitudo 3¾—5 linearum. *Antennae* ferrugineofuscae, apicem versus ferrugineae, basi fusconigrae. *Alae* fumatohyalinae, stigmate et radio fuscopiceis, rarius piceo-testaceis, radice et squamula stramineis; areola irregulari subpetiolata. *Pedes* rufo-fulvi. *Abdomen* capite thoraceque duplo fere longius, thorace paulo latius, oblongum, segmentorum marginibus elevatis; segmento 1 lineis duabus elevatis, nigro, interdum apice castaneo; 2—5 castaneis seu piceoferrugineis, marginibus nigris, 5 interdum toto fusco; sequentibus nigris. *Aculeus* longitudine dimidii abdominis, vaginis nigris pilosis, terebra badia.

Tres feminae, circa *Vindobonam*, *Genuam* et in *Tauria* captae, mecum communicatae sunt.

Synonyma:

Pimpla arundinator Fabr. Piez. p. 116, n. 15; in Austriae arundinetis.

Ichn. arundinator Thunb. Ichn. n. 347.

87. P. DIDYMA. n.

Pedibus rufis, tibiis posticis apice nigris; maculis duabus faciei flavis. f. (aculeo longitudine abdominis).

Statura et proportio partium *P. graminellae,* n. 91; aculeo autem longiore.

Longitudo 3½—4½ linearum. *Caput* palpis et mandibulis pallide-stramineis, his apice nigro; labro castaneo; maculis duabus parvis obliquis eburneis, interdum confluentibus, infra antennas. *Antennae* vel totae fuscae, vel ferrugineae articulo 1 nigro. *Thorax* puncto parvo stramineo ad radicem alarum. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio fusconigris, squamula et radice stramineis; areola irregulari subpetiolata. *Pedes* rufi, anteriores pallidiores, coxis et trochanteribus anticis totis, nec non trochanteribus mediis vel totis vel apice, stramineis; postici tarsis et tibiarum apice nigris, summa tibiarum basi flavescente. *Aculeus* pilosellus, abdomine vix paulo brevior.

Individuum maximum *Nees ab Esenbeck* circa *Sickershausen* cepit; duo alia, in *Regione Pedemontana* capta, *Bonelli* transmisit.

88. P. SPURIA. n.

Pedibus rufis, posticorum tarsis et tibiarum apice nigris. f. (aculeo longitudine dimidii abdominis).

Statura et proportio partium omnino *P. instigatoris* feminae.

Longitudo 3½—5 linearum. *Antennae* graciles, apicem versus sensim graciliores. *Alae* mediocres, fumatohyalinae, stigmate radio et squamula nigris, radice straminea; areola irregulari subsessili. *Pedes* rufo-fulvi; antici coxis et trochanteribus basi nigris; postici tarsis et tibiarum apice sericeo-nigricantibus, tibiarum basi ferrugineo-fusca. *Abdomen* vel totum nigrum, vel marginibus summis segmentorum subcastaneis; incisuris minus profundis, tuberculis lateralibus marginibusque segmentorum minus prominentibus quam in reliquis hujus sectionis speciebus, proxime sequentibus duabus exceptis. *Aculeus* longitudine dimidii abdominis.

Nonnullae feminae, circa *Vindobonam Sickershausen Genuam*, nec non in *Volhynia* et *Tauria*, captae, mecum communicatae sunt.

89. P. LAEVIS. n.

Abdomine laevi; pedibus rufis, posticorum tarsis et tibiarum apice fuscis. f. (aculeo dimidio abdomine longiore).

Statura et proportio partium feminae antecedentis; sed aculeo et abdomine paulo longioribus, antennis crassioribus nec apicem versus gracilioribus, differt; praetereaque abdomine laevi, incisuris tuberculis lateralibus et marginibus elevatis segmentorum omnino fere obsoletis, a reliquis omnibus speciebus hujus sectionis distincta est.

Longitudo paulo ultra 4 lineas. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate radio et squamula nigris, radice picea; areola irregulari triangulari sessili. *Pedes* rufi, postici tarsis et tibiarum apice summo infuscis. *Abdomen* opacum laeve, vix vestigio incisurarum tuberculorum et marginum elevatorum. *Aculeus* subpilosellus, dimidio abdomine paululum longior.

Feminam unicam *Bonelli* e *Regione Pedemontana* ad me transmisit.

90. P. MANDIBULARIS. n.

Abdomine laevi; macula mandibularum flava; pedibus rufis, posticorum tarsis tibiisque supra fuscis. f. (aculeo dimidio abdomine longiore).

Statura et proportio partium speciei antecedentis; abdomine attamen paulo longiore et inci-

suris punctisque segmentorum paulo distinctioribus, minus vero distinctis quam in *P. spuria*, n. 88.

Longitudo 4 1/5 — 5 1/5 linearum. *Caput* palpis testaceis, mandibularum medio flavo. *Antennae* filiformes, dimidio corpore longiores. *Thorax* puncto stramineo ad radicem alarum. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio piceofuscis, radice straminea, squamula fusca; areola triangulari sessili. *Pedes* rufi; antici interdum basi coxarum nigra; postici tibiis basi summa fusca, annulo pallido, obsoletiore aut distinctiore, ante basin, apice, vel latere toto supero usque ad annulum pallidum, fusco, tarsis fuscis. *Abdomen* thoracis latitudine, eo autem fere duplo longius, subtiliter punctum, opacum aut subopacum; segmentis apice subelevatis nitidulis, margine summo ut plurimum castaneo. *Aculeus* dimidio abdomine longior, nonnunquam fere longitudine abdominis, subpilosellus niger, terebra nigra aut badia.

Quaedam feminae, circa *Vratislaviam* et *Warmbrunn* captae, mecum communicatae sunt.

91. P. GRAMINELLAE.

Pedibus rufis; tibiis pallidioribus, posticis apice et ante basin fuscis; coxis anticis basi nigris; antennis apice rufis. f. (aculeo dimidio abdomine breviore).

Haec species affinis est feminis *P. stercoratoris*, n. 92, et *P. Turionellae*, n. 93, differt autem

ab illa, terebra breviore, ab hac, antennis brevioribus et crassioribus.

Longitudo 2½—4½ linearum. *Antennae* filiformes, dimidii corporis longitudine seu paulo longiores brevioresve, articulis ultimis rufis aut ferrugineis, 2—4 interdum subtus subtestaceis. *Thorax* gibbulo-cylindricus, rarius puncto testaceo ad radicem alarum. *Alae* mediocres, fumatohyalinae, stigmate et radio fuscis aut piceis, radice et squamula stramineis aut flavis, rarius ferrugineis, squamula rarissime fusconigra; areola irregulari sessili. *Pedes* mediocres, rarius crassiusculi, rufi; coxis anticis nigris, apice rufis, rarius rufis basi nigra; tibiis pallidioribus, posticis apice et ante basin fuscis, nonnunquam medio et basi sordide-albicantibus; tarsis unguibus fuscis, posticis plerumque pallidis, articulorum apice fusco. *Abdomen* thorace duplo aut plus duplo longius, ejus autem latitudine vel paulo latius, apicem et basin versus sensim paulo angustatum. *Aculeus* rarius dimidii abdominis longitudine, plerumque brevior, vaginis nigris pilosellis; terebra castanea, ventre e segmenti sexti basi orta.

Plures feminas cepi passim in *Silesia*, mense Augusto in umbellatis, quasdam mense Iulio in gramine et fruticetis; interdum quoque hae aliaeque Pimplarum feminae parietes externos tectorum sepesque visitant. Nonnullae, circa *Halam Saxonum*, nec non in *Austria* et *Volhynia* et circa *Netley*, captae, mihi transmissae sunt.

Varietates.

1. *Antennis supra totis fuscis.* m. f. — *Longitudo* maris paulo ultra 4 lineas, feminae 3½—5 linearum. *Antennae* rarius totae nigrae aut fuscae, plerumque articulis 3—7 aut 3 et sequentibus subtus testaceis aut rufis, ultimis plerumque totis fuscis. *Thorax* plerumque paulo gibbosior quam in specie genuina. *Pedes* rufi; coxis anticis, mari quoque interdum mediis, nigris apice rufo; tibiis anterioribus interdum basi et medio pallidioribus, posticis vel rufis, apice, ut plurimum etiam ante basin, subfuscescentibus, vel nigris, basi et medio albidis rarius testaceis, rarissime externe fere totis nigris; tarsis posticis vel rufis, apice articulorum fusco, vel nigris, basi articuli primi, interdum basi articulorum omnium, albida. *Abdomen* maris subcylindricum. *Aculeus* dimidii abdominis longitudine, seu paulo brevior paulove longior. — Caetera sicut in feminis genuinis.

Marem unicum *Manger* cepit circa *Warmbrunn;* alterum vidi in museo *Comitis de Hoffmannsegg.* Feminas plures, nonnullas cum genuinis eodem loco et die, passim in *Silesia,* nec non circa *Trajectum ad Viadrum,* mensibus Iulii Augusti et Septembris, in umbellatis et frutetis legi; quaedam aliae, circa *Sickershausen,* nec non in *Hercynia Austria Tauria* et circa *Netley,* captae, mecum communicatae sunt.

2. *Coxis anticis totis nigris.* f. — *Longitudo* 5 linearum. *Caput* palpis et clypeo ferrugineis.

Antennae articulis 1 et 2 nigris; reliquis fuscis, subtus rufis. *Thorax* paulo gibbosior quam in specie genuina. *Alae* stigmate radio et squamula fuscis, radice testacea. *Coxae* anticae totae nigrae. *Aculeus* dimidii abdominis longitudine. — Caetera plurimis feminis genuinis respondent.

Feminam unicam, cum genuina, cepi mense Augusto in umbellatis prope *Cudovam*.

3. *Segmentis* 1—4 *piceis, tibiis tarsisque posticis alborufoque annulatis.* f. — *Longitudo* 2½ linearum. *Pedes* postici tibiis albis, apice et ante basin rufis, tarsis albis, apice articulorum rufo. *Abdomen* segmentis 1—4 piceis. *Aculeus* longitudine dimidii abdominis.

Hanc feminam *Roentgen* cepit circa *Niesky*.

4. *Segmentis* 1—4 *piceis, tibiis tarsisque posticis albonigroque annulatis.* f. — *Longitudo* 2¼—3 linearum. *Antennae* articulis 1 et 2 totis nigris, reliquis subtus piceis aut subtestaceis. *Thorax* dorso metathoracis interdum piceo. *Alae* subfumatohyalinae seu hyalinae, stigmate et radio fuscis aut piceis, radice et squamula albidis; areola irregulari subsessili. *Pedes* diluterufi; antici coxis nigris apice rufo; postici tibiis albis, apice et ante basin fuscis, tarsis albis, articulorum apice fusco. *Abdomen* segmentis 1—4—5 piceis, interdum margine nigris; sequentibus nigris aut fuscis. *Aculeus* dimidio abdomine paulo brevior paulove longior.

Tres feminas accepi, circa *Warmbrunn* et *Genuam* captas.

Synonyma:

Ichn. graminellae Schrank Boica n. 2128; apparet mense Iunii. Larva degit in larvis *Tineae graminellae.*

Nota:

Feminae hujus speciei, inprimis varietatis primae individua aculeo longiore, tibiis tarsisque posticis albo nigroque annulatis, transeunt ad feminas speciei sequentis, quae tamen fere semper aculeo longiore differunt. Mares harum duarum specierum autem colore faciei optime dignoscuntur. Sed quaeritur, numne individuum masculum, quod cum feminis *Pimplae Graminellae* conjunxi, potius sit *Pimplae turionellae*, n. 93, maris varietas, antennis paulo fortioribus? Mares enim turionellae differunt a feminis suis, antennis paulo crassioribus; feminae turionellae autem, antennis multo gracilioribus, a feminis graminellae optime distinguuntur.

92. P. STERCORATOR.

Pedibus rufis; tibiis pallidioribus, posticis albidis, apice et ante basin nigris; coxis anticis basi nigris. m. f. (*mas* facie flava; *femina* aculeo longitudine abdominis).

Statura et proportio partium omnino praecedentis; mas autem facie flava differt, femina aculeo longiore.

Longitudo maris 3—4, feminae $2\frac{1}{5}$ — fere 5 linearum. *Caput* maris facie et clypeo flavis; feminae palpis sordidealbidis aut fuscis. *Antennae* subfiliformes, dimidii corporis longitudine seu paulo longiores, *mari* fusconigrae, subtus pallidetestaceae articulo 1 pallideflavo, articulis ultimis totis fuscis; *feminae* vel totae nigrae, vel articulis 3 et sequentibus subtus pallidetestaceis, sensim obscurioribus, vel ultimis solis ferrugineis. *Thorax* plerumque puncto albido aut stramineo ad radicem alarum. *Alae* plus minus fumatohyalinae; stigmate maris nigro aut fusco, feminae testaceo aut fusco; radio piceo aut fusco, radice et squamula stramineis; areola irregulari, sessili aut subpetiolata, interdum oblique-transversa. *Pedes* rufi; anteriores tibiis plerumque pallidioribus, coxis anticis basi plus minus nigris; postici tibiis albidis aut testaceis, apice et ante basin nigris aut fuscis, introrsum rarius totis rufis, tarsis nigris aut fuscis, articulo 1 basi albida aut testa-

cea; *mari* tibiis tarsisque posticis albis, apice tibiarum et articulorum tarsorum, nec non annulo ante tibiarum basin, nigris. *Abdomen* thoracis latitudine, subcylindricum aut subfusiformi-cylindricum, mari thorace duplo longius, feminae plerumque paulo brevius; marginibus segmentorum elevatis nitidioribus. *Aculeus* longitudine abdominis, seu paulo brevior, interdum abdomine longior (si nempe femina, abdomine valde contracto, morte subpressa est, quod saepe accidit); vaginis pilosellis.

Mares nonnullos, cum feminis eodem loco et die, mense Augusto, in fruticetis circa *Gottingam* legi, singulos quosdam mares, mensibus Iulii et Augusti, circa *Warmbrunn* et *Scheidnich*, in fruticetis. Feminae maribus multo frequentiores sunt; multas legi, mensibus Maji et Iunii et per totam aestatem, in fruticetis umbellatis et graminibus, passim in *Silesia*, nec non circa *Helmstadium, Gottingam* et in *Hercynia;* multaeque, circa *Vindobonam Friburgum Hannoveram Niesky Aboam Netley* et in *Volhynia* lectae, ad me transmissae sunt.

Varietates:

1. *Coxis anticis totis rufis.* f. — *Statura* et proportio partium sicut in feminis genuinis, aculeo et antennis autem plerumque paulo brevioribus. — *Longitudo* 3 — 4 linearum. *Antennae* rarius totae nigrae; plerumque articulo 1 nigro,

sequentibus fuscis, subtus plerumque testaceis aut ferrugineis, ultimis totis ferrugineis aut rufis. *Coxae* anticae vel totae rufae, vel puncto nigro basali. *Tarsi* postici rarius toti fusci. *Aculeus* interdum longitudine abdominis, plerumque paulo brevior, rarius tantum dimidio abdomine paulo longior. — *Caetera* sicut in feminis plurimis genuinis.

Nonnullas legi feminas, quasdam cum genuinis eodem loco et die, mensibus Iunii — Septembris, circa *Scheidnich*, *Pepelwitz*, *Gottingam*, *Helmstadium*, in fruticetis; aliae quaedam, circa *Trajectum ad Moenum*, *Halam Saxonum*, *Sickershausen*, *Genuam*, *Netley* (eaque antennis totis nigris, tarsis posticis totis fuscis) et in *Volhynia* et *Hungaria*, captae, mecum communicatae sunt.

2. *Coxis anticis totis nigris.* f. — *Longitudo* 2¾ — 4¼ linearum. *Caput* palpis fuscis aut albidis. *Antennae* vel totae nigrae; vel apicem et basin versus subtus ferrugineae, articulis mediis totis nigrofuscis, primo nigerrimo. *Alae* vel subfumatohyalinae, stigmate et radio nigrofuscis, vel hyalinae laete-irideae, radio et stigmate stramineis; radice et squamula, ambobus individuis, stramineis; areola irregulari subsessili. *Pedes* coxis anticis totis nigris; tibiis anterioribus interdum apice et ante basin subfuscescentibus, posticis apice et ante basin nigris aut fuscescentibus, medio et basi albis aut rufis; tarsis posticis nigris aut fuscis, basi articuli primi rufa aut alba. *Acu-*

leus vel dimidio abdomine paulo longior, vel longitudine abdominis.

Unam feminam cepi, cum individuo varietatis antecedentis, die 25 Iunii, prope *Scheidnich* in fruteto; alteram, eamque minorem, palpis pallidis, antennis apicem et basin versus ferrugineis, alis hyalinis, tibiis et tarsis posticis alboannulatis, tibiis anterioribus subfuscomaculatis, aculeo longiore, *Sahlberg* e *Fennia* transmisit.

3. *Tibiis posticis rufis.* f. — *Longitudo* fere 3 linearum. *Caput* palpis pallidis. *Antennae* apice ferrugineae. *Alae* stigmate pallidestramineo. *Pedes* rufofulvi; antici coxis basi nigris; postici tibiis testaceo-rufis, apice et ante basin obsolete-fuscis. — Caetera quemadmodum in plurimis feminis genuinis.

Unicam feminam *Manger* cepit circa *Warmbrunn.*

4. *Thorace et abdomine stramineopiceis.* f. — *Longitudo* fere 2 linearum. *Caput* fuscum, oculis nigris. *Antennae* fuscae. *Alae* hyalinae irideae, stigmate radice et squamula pallidestramineis, radio supra fusco. *Abdomen* marginibus segmentorum fuscescentibus. *Aculeus* longitudine abdominis, fuscus, pilosellus, terebra straminea.

Unicam feminam *Manger* circa *Warmbrunn* cepit.

Synonyma maris:

Ichn. Leske p. 63, n. 238.
Ichn. variegatus Gmel. ed. Linn. p. 2701, n. 289 (*Ichn. variegatus* Schrankii haud ad hanc sed ad *Pimplam examinatorem* spectat).
Ichn. aurifrons Gmel. ed. Linn. p. 2702, n. 299.
Ichn. stercorator Fabr. Ent. II p. 172, n. 162; habitat *Kiliae*.
„ Thunb. Ichn., n. 449.
Pimpla stercorator Fabr. Piez. p. 117, n. 22.

Synonyma feminae:

Ichn. Frisch II p. 23, 24, tab. IV. fig. 3, 5, 6.
Ichn. Geoffroi p. 351, n. 67.
Ichn. scanicus Fourcroy p. 416, n. 68 (*Ichn. scanicus* Villersii nostra *P. scanica* est).
Ichn. visitator Scopoli Carn., n. 750; supra arborum et plantarum folia jugiter discurrit (nostrae varietati tertiae respondet).
„ Villers p. 185, n. 154; in *Gallia australi.*
„ Christ p. 367.
„ Olivier p. 213, n. 34.
Ichn. inquisitor Scopoli Carn., n. 754; vagatur ruri et circa hortos.
„ Villers p. 185, n. 157; passim in Gallia australi.
„ Christ p. 367 (haud *Ichn. inquisitor* Oliv.; qui est americanus).
Ichn. perquisitor Olivier p. 213; n. 37.

Ichn. albipes Gmel. ed. Linn. p. 2701, n. 287 (haud *Ichn. albipes* reliquorum auctorum).
Ichn. annulatus Gmel. ed. Linn. p. 2702, n. 302 (*Ichn. annulatus* Fabr. autem e genere *Banchorum* est).
Ichn. pennator Fabr. Ent. p. 171, n. 156.
„ Lamarck p. 138, n. 7.
Pimpla pennator Fabr. Piez. p. 116, n. 17; habitat *Kiliae.*

Nota:

Conferre velis notam ad speciem antecedentem. — Feminae non solum ad feminas speciei illius transire videntur, sed etiam ad feminas *Pimplae roboratoris*, n. 84; saltem varietas tertia *stercoratoris* medium tenet inter hanc et illam.

Geoffroi l. c. mentionem facit varietatis paulo minoris, lineis duabus ante alas femorumque basi albis, de qua autem haud rationem reddere possum. *Schrank* illum Geoffroii Ichneumonem laudat ad suum *Ichn. variegatum* (nostram *Pimplam examinatorem*), cui tamen minus respondet.

De *Ichneumone pennatore* et *stercoratore* Iurinei, p. 107, haud dijudicare possum, cum auctor eos non solum pro speciebus duabus distinctis habeat, sed amborum mares et feminas vidisse contendat.

Frisch l. c. non solum hujus speciei feminam, sed etiam Icheumonem (Pimplam) masculum, ex-

hibuit, quem pro illius mare habet; cum autem hic Frischii mas coxis nigris gaudeat, potius eum ad *Pimplam examinatorem* adhibendum esse existimo. Si vero auctor narrat, feminam hujus Ichneumonis, ope terebrae, ova sub epidermidem folii salicis ponere, quo facto gallam enasci, in qua larva exclusa degat ejusque substantiam comedat, deinde autem larvam in nympham commutari, e qua breve post tempus Ichneumon proveniat, plane observator, alias oculatissimus, historiam evolutionis hujus Ichneumonis aliusque insecti, forsan Cynipis cujusdam, confudit. Forsan larva Ichneumonis in larva Cynipis degerat.

93. P. TURIONELLAE.

Pedibus fulvis; tibiis posticis nigris, annulo albo. m. f. (*mas* articulo 1 antennarum subtus albido; *femina* aculeo longitudine dimidii abdominis).

Statura et proportio partium *Pimplae instigatoris;* interdum autem abdomine et aculeo paulo longioribus, fere sicut in *Pimpla Graminellae,* n. 91, quae quidem praeterea pedibus validioribus et antennis gracilioribus differt. Forsan tamen plures species affines, v. c. haec *Turionellae* et *spuria,* n. 88, varietates unius ejusdemque speciei sunt.

Longitudo 2 — 4 linearum. *Caput* palpis feminae fuscescentibus aut pallidioribus, maris palli-

destraminei. *Antennae* graciles; feminae apicem versus graciliores, rarius totae nigrae, ut plurimum articulis 3—5 rufis aut ferrugineis, sequentibus sensim obscurioribus, seu articulis 1 et 2 nigris, reliquis fuscis subtus ferrugineis; mari nigrae, articulo 1 subtus albo aut puncto albo testaceove. *Alae* plus minus fumatohyalinae, rarius hyalinae, stigmate et radio nigris aut fuscis; radice albida, feminis majoribus picea; squamula albida aut ferruginea, rarius nigra; areola irregulari subsessili. *Pedes* anteriores fulvi, plerumque annulo pallidiore ante basin tibiarum, unguibus nigricantibus, coxis anticis plerumque basi nigris, mediis rarius nigromaculatis; postici rufi aut fulvi, interdum genubus nigris, tibiis basi nigra, rarius fusca aut ferruginea, apice nigro aut fusco, subtus interdum ferrugineo aut rufo, annulo albo ante basin, tarsis fuscis, interdum basi alba. *Abdomen* laevius quam in plurimis hujus sectionis cospeciebus, exceptis *P. spuria laevi* et *mandibulari,* interdum segmentorum marginibus summis subcastaneis aut testaceis. *Aculeus* longitudine trientis abdominis, rarius fere dimidii abdominis longitudine.

Nonnullos mares, cum feminis eodem loco et die, cepi mensibus Iulii et Septembris, circa *Scheidnich Reinerz* et *Barterodam*, in umbellatis et fruticetis; par etiam *Bonelli* e *Regione Pedemontana* misit. Feminae autem maribus multo frequentius occurrunt; passim eas legi in *Silesia,* nec non circa *Barterodam* et in *Hercynia,* men-

sibus Maji — Septembris, in umbellatis fruticetis et graminibus, quasdam mense Octobri, in rubetis prope *Scheidnich;* multae mihi transmissae sunt, circa *Vindobonam, Norimbergam, Niesky, Halam Saxonum, Sickershausen, Genuam, Parmam, Aboam* et in *Volhynia* lectae.

Varietates:

1. *Coxis anterioribus totis nigris, trochanteribus anticis basi nigris.* f. — Caetera feminis plurimis genuinis respondent.

Hanc feminam *Richter* in *Sudetis* cepit.

2. *Tibiis posticis vel ferrugineis, annulo albo, vel fuscis, annulo rufo.* f. — Caetera ut in feminis plurimis genuinis.

De loco natali harum duarum varietatum dubius sum.

3. *Scutello albonotato.* m. f. — *Longitudo* maris $2\frac{1}{4}$ — $4\frac{1}{3}$, feminae 4 — fere 5 linearum. *Thorax* maris rarius linea transversali flava sub scutello. *Scutellum* feminae sordide-album aut flavum, basi nigra; maris vel fere totum, vel solo apice, flavum, vel tantum punctis duobus apicalibus flavis. *Alae* maris areola triangulari, irregulari aut subregulari, sessili aut subsessili. *Pedes* maris coxis posticis plerumque macula lateris interioris nigra, majore minoreve, mediis nonnunquam apice flavescente, anticis interdum fere to-

tis flavis; femoribus anterioribus interdum subtus flavo-stramineis, posticis geniculo fusco; tibiis anterioribus fulvis aut pallidestramineis, annulo pallidiore ante basin, posticis nigris, annulo et spinis apicalibus albis; tarsis anterioribus pallidestramineis, ungue fuscescente aut nigricante, posticis totis nigris. — Caetera sicut in specie genuina.

Hujus varietatis unam feminam, eamque majorem, cepi circa *Gottingam*, alteram cepit *Hope* circa *Netley*; plures autem mares, mensibus Augusti et Septembris, in frutetis et graminibus, circa *Cudovam*, *Warmbrunn* et *Trajectum ad Viadrum* legi. Alios quosdam mares, circa *Vratislaviam* et *Taurinum* captos, accepi.

Synonyma:

Ichn. Turionellae Linn. Faun., n. 1615; habitat in *Phalenae Turionellae* larvis. — Syst. XII p. 935, n. 40; tibiae quatuor posteriores fuscae, annulo albo; sed mas hac nota destituitur. (Licet plures auctores haec verba Linnei repetierint, tamen eis haud adsentior, nam omnes mares nostri hac nota cum feminis conveniunt).

„ Fuessl. Helv. p. 49, n. 960; in floribus haud rarus.

„ Fabr. Syst. p. 338, n. 60. — Ent. II p. 169, n. 148.

„ Müll. Prodr., n. 1814.

Ichn. Turionellae Gmelin ed. Linn. p. 2693, n. 40; in larvis phalaenarum.
„ Villers, p. 169, n. 105; in Gallia australi.
„ Christ p. 372.
„ Olivier p. 189, n. 130.
„ Cederhielm p. 161, n. 498.
„ Walckenaer p. 61, n. 60.
„ Scharfenberg p. 958, n. 7; habitat in larvis *Phal. Tin. Turionellae*, et *Phal. Bomb. Pini.*

Ichn. Geoffroi p. 327, n. 13 (exclusa varietate coxis nigris, potius ad *P. examinatorem* adhibenda).

Ichn. geniculatus Fourcroy p. 397, n. 13.
„ Villers p. 188, n. 167.
„ Olivier p. 207, n. 5 (exclusa varietate coxis nigris, *P. examinatorem* exhibente).

Ichn. contemplator Müll. Prodr., n. 1838.

Ichn. fuscicornis Schrank Berchtesg., n. 92. (De *Ichn. fuscicorni* auctorum conferas notam ad *Mesoleptum fuscicornem*, II p. 89).

Ichn. Leske p. 63, n. 246 (Errat Gmelin, qui hunc Leskei Ichneumonem, p. 2701, n. 295, cum *Ichn. fuscicorni*, quem ad nostrum *Mesoleptum fuscicornem* adhibui, conjungit, cum ambae species colore abdominis et tibiarum satis differant).

Ichn. leucogonos Gmel. ed. Linn. p. 2705, n. 331.

Ichn. turionator Thunb. Ichn. 476.

Cryptus Turionellae Fabr. Piez. p. 87, n. 72.

Cryptus insignatorius Grav. Uebers., n. 3766 (est nostrae *Pimplae Turionellae* var. 3 femina).

Nota:

Conferas notam ad *Pimplam Graminellae*, n. 91. Caeterum vero varietatis secundae individuum annulo tibiarum posticarum rufo prope etiam accedit ad *P. spuriam*.

Ichn. inquisitor Scopoli Carn., n. 754, quem Villers Christ et Olivier receperunt; a femina nostrae *Turionellae* stigmate ferrugineo alarum differt, melius itaque ad speciem antecedentem adhibetur.

94. P. FLAVIPFS. n.

Pedibus flavis; posticorum tibiis tarsisque nigroannulatis, coxis et femoribus fulvis; antennis subtus basin versus flavis. m.

Statura et proportio partium omnino maris antecedentis.

Longitudo 2½—3½ linearum. *Caput* palpis albidis. *Antennae* fuscae; subtus articulis 1 et 2 flavoalbis, sequentibus testaceis, sensim obscurioribus, ultimis interdum totis fuscis. *Thorax* puncto parvo alboflavo ad radicem alarum. *Alae* hyalinae irideae, stigmate stramineo, radio stramineo aut fusco, basin versus flavicante, radice et squamula albidis, areola irregulari subsessili.

Pedes anteriores albidoflavi, unguibus fuscis; postici coxis et femoribus fulvis, illis summa basi his summo apice plerumque nigricantibus, tibiis albis, apice et ante basin nigris, tarsis nigris, basi articulorum albida, seu albis, apice articulorum nigro. *Abdomen* cylindricum aut subcylindricum, thorace longius, interdum plus duplo longius, ejus autem latitudine.

Quosdam mares legi, mense Iulii, circa *Vratislaviam*, in gramine et fruticetis; alii nonnulli, in *Gallia Hungaria* et *Gallicia* capti, mihi missi sunt.

95. P. PICTIPES. n.

Labro albo; pedibus fulvis, tibiis tarsisque posticis nigrovariegatis. m.

Statura et habitus *Ephialtes inanis*, a quo autem haec species abdomine magis tuberculoso, segmentis brevioribus, tibiis anticis haud arcuatis differt, propius accedens ad antecedentem.

Longitudo fere 3 linearum. *Caput* palpis labro et mandibulis albis, his apice et basi fuscis. *Antennae* corpore dimidio paulo longiores, porrectae, fuscae, articulo 1 subtus albido. *Thorax* gibbulocylindricus. *Alae* mediocres hyalinae, stigmate et radio piceis, radice et squamula stramineo-albis; areola minuta transversa subpetiolata. *Pedes* mediocres subgraciles; anteriores albido-flavi, femoribus supra fulvis, unguibus nigris; postici

coxis fulvis basi nigra, trochanteribus albido-flavis, femoribus fulvis geniculo summo fusco, tibiis albidis, apice et puncto ante basin nigro-fuscis, tarsis nigro-fuscis, articulo primo basin versus albido. *Abdomen* linearicylindricum, thorace angustius et duplo longius, puncto-scabrum; segmentorum tuberculo laterali subturgido, margine elevato laevi nitido.

Hunc marem *Roentgen* circa *Niesky* cepit.

Nota:

Conferas notam ad *Pimplam carbonariam*, n. 108.

SECTIO VI.

Scutello thorace et abdomine nigris, hoc interdum rufo-cingulato; coxis posticis nigris.

Scutellum varietatis *Pimplae instigatoris* albonotatum est, quo haec sectio quartae respondet. — *Thorax* interdum (*P. examinatori*) punctum flavum habet ad radicem alarum. — *Abdomen* interdum segmentorum marginibus est rufescentibus aut castaneis, aut albidorufescentibus. — *Coxae posticae* interdum pro parte rufae sunt, v. c. *P. alternanti* et individuis quibusdam *P. examinatoris* et *brevicornis;* quin immo in var. 1 *P. alternantis* totae rufae, quibus haec sectio arctissime cum quinta jungitur.

E *sectione* 5 individua quaedam varietatis 2 *Pimplae roboratoris*, coxis posticis pro parte nigris, in hanc sectionem transeunt.

---

96. P. VETULA. n.

Facie grisea, antennis subtus rufis; pedibus rufis, coxis nigris, trochanteribus anterioribus exalbidis. m.

Statura maris sequentis et affinium, sed abdomine paulo breviore, pedibus gracilioribus.

Longitudo 2 linearum. *Caput* palpis et macula mandibularum diluterufis, facie griseosericea. *Antennae* fuscae, subtus diluterufae. *Alae* hyalinae, stigmate et radio piceis, radice et squamula albidis; areola irregulari subsessili. *Pedes* diluterufi; coxis nigris, anterioribus apice exalbidis; trochanteribus anterioribus exalbidis, posticis rufis basi nigricante; tibiis posticis apice summo fuscescente; tarsis unguibus fuscis. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, thorace paulo angustius, segmentorum margine summo testaceo.

Unicum marem cepi die 1 Iunii prope *Pepelwitz* in fruteto.

97. P. ALTERNANS. n.

Pedibus fulvis, coxis nigromaculatis, tibiis posticis tricoloribus; antennis subtus testaceis. m. f. (*mas* antennis subtus basi flava; *fem.* aculeo brevi).

Haec species a duabus proxime sequentibus differt pedibus paulo brevioribus paululumque validioribus, aculeo quoque paululum breviore.

Longitudo maris 2—3⅓, feminae 2¼—4⅕ linearum. *Caput* palpis flavis, feminae interdum fuscis. *Antennae* filiformes, corpore breviores; *mari* fuscae; subtus testaceae aut rufae, summis articulorum apicibus fuscis, articulis 1 et 2 flavis; *feminae* supra fuscae aut ferrugineae; subtus articulo 1 nigro aut ferrugineo, interdum apice flavicante, 2 et 3 flavis aut testaceis, sequentibus testaceis. *Thorax* gibbulus, plerumque puncto stramineo-flavo ad radicem alarum. *Alae* mediocres, plus minus fumato-hyalinae, mari nonnunquam hyalinae; stigmate piceostramineo, mari rarius fusco, feminae rarius rufescente; radio fusco aut piceo; radice et squamula albidis aut flavescentibus; areola irregulari sessili aut subsessili. *Pedes* mediocres; *mari* anteriores vel toti flavi, vel coxis nigris, femoribus supra fulvis; postici coxis nigris, interdum apice rufo, trochanteribus flavis, femoribus fulvis, tibiis rufis, a medio ad basin apiceque summo nigris, annulo lato albo ante basin, subtus plerumque ante apicem fuscis, tarsis nigris, basi articulorum alba; *feminae* rufi seu fulvi; coxis anterioribus vel sola basi vel fere totis nigris, posticis vel totis nigris vel extrorsum plus minus rufis; trochanteribus et femoribus dilutioribus, anticis subtus interdum flavicantibus; tibiis mediis aut anterioribus semiannulo albido ante basin, posticis nigris, annulo albo ante basin, alteroque rufo ante apicem; tarsis anticis fulvis, mediis ferrugineis basi articulorum albida, posticis nigris basi articulorum alba. *Abdomen* thorace duplo vel paulo

plus duplo longius, *mari* lineari-cylindricum, thorace paululum angustius, *feminae* subcylindricum, thoracis latitudine; punctum, marginibus segmentorum elevatis nitidioribus, mari fulvostramineis, feminae ferrugineis aut fulvoferrugineis rarius totis nigris. *Aculeus* abdominis quadrantis longitudine, pilosellus, terebra badia.

Mares et feminas cepi mense Augusto circa *Warmbrunn*, in gramine; duo alia paria, circa *Norimbergam* et *Genuam* capta, missa sunt. Praeterea feminas nonnullas legi, mensibus Maji — Septembris, in gramine et fruticetis, circa *Gottingam, Trajectum ad Viadrum* et *Pepelwitz;* unamque *austriacam*, nec non quosdam mares, circa *Niesky* et in *Regione Pedemontana* lectos, accepi.

Varietas:

1. *Coxis omnibus totis rufis.* f. — Haec femina a *Pimplae Turionellae*, n. 93, femina, praeter colorem tarsorum posticorum, praecipue antennis crassioribus differt; a *P. graminellae* femina antennis longioribus et colore tarsorum. — *Longitudo* $2\frac{3}{4}$ — $4\frac{1}{2}$ linearum. *Antennae* vel sicut in feminis genuinis, vel solis articulis 2—4 subtus testaceis. *Pedes* antici fulvi aut rufi, subtus plerumque flavicantes, coxis rarius basi nigra; medii rufi, tibiis semiannulo albo ante basin, basi ipsa interdum nigra, tarsis fuscis aut rufis, basi albis; postici rufi, tibiis plerumque sicut in specie genuina, rarius latere externo toto fusco, annulo albo ante basin, tarsis sicut in genuinis. *Aculeus*

abdominis trientis aut quadrantis longitudine. — Caetera feminis genuinis respondent.

Nonnullas feminas cepi mensibus Iunii et Iulii prope *Scheidnich* in quercetis; duae aliae, circa *Warmbrunn* et in *Regione Pedemontana* captae, mecum communicatae sunt.

Nota:

Haec species et duae proxime sequentes adeo inter se affines sunt, ut aegre eas sejunxerim.

98. P. SCANICA.

Segmentis castaneo-marginatis; pedibus fulvis; tibiis pallidioribus, posticis tricoloribus; coxis et trochanteribus basi nigris; antennis subtus ferrugineis, basi flavicantibus. m. f. (aculeo dimidio abdomine breviore).

Statura et proportione partium haec species medium tenet inter antecedentem et sequentem.

Longitudo 2⅓ — 4 linearum. *Caput* palpis stramineis aut albidis. *Antennae* filiformes, dimidio corpore longiores seu corpore paulo breviores, porrectae, fuscae, subtus ferrugineae aut testaceae, rarius flavae, articulis 1—3 subtus plerumque flavicantibus. *Thorax* gibbulus, interdum sericeus, puncto ferrugineo aut stramineo aut albido ad radicem alarum. *Alae* mediocres fumato-hyalinae, rarius hyalinae, stigmate et radio piceis aut fuscis, radice et squamula piceis aut stramineis, rarius albidis; areola irregulari subsessili.

Pedes mediocres; antici coxis nigris, apice ut plurimum macula flava, trochanteribus nigris, subtus flavis, femoribus fulvis, subtus flavis, tibiis maris plerumque totis flavis, feminae introrsum flavis, extrorsum rufis aut fuscis semiannulo albido ante basin, nonnunquam obsoleto, tarsis sordide-fulvis; medii coxis et trochanteribus nigris, his apice flavis, femoribus tibiisque ut in anticis, tarsis albidis, articulorum apice fusco; postici coxis et trochanteribus nigris, his interdum subtus apice flavis, femoribus fulvis aut rufis, tibiis nigris, annulo albo ante basin, altero rufo ante apicem, hoc interdum obsoleto, tarsis albis, apice articulorum nigro. *Abdomen* subtiliter punctum, depressiusculum; mari capite thoraceque duplo longius, thoracis latitudine seu paulo angustius, cylindricum; feminae capite thoraceque longius seu duplo longius, thoracis latitudine, subcylindricum; marginibus segmentorum elevatis nitidis castaneis, rarius subfulvis aut summis marginibus albentibus, lateribus segmentorum plerumque colore marginum imbutis. *Aculeus* vel dimidio abdomine brevior, vel trientis abdominis longitudine.

Mares et feminas legi, in umbellatis graminibus et fruticetis, mensibus Iulii et Augusti, passim in *Silesia*, iisdem locis et diebus; etiam circa *Niesky Sickershausen* et *Parmam* uterque sexus captus est. Praeterea autem plures feminas singulas, maribus frequentiores, circa *Gottingam Oedelem* et *Helmstadium*, mensibus Maji — Augusti legi et, circa *Trajectum ad Moenum*, *Parisios*,

Genuam, nec non in *Tauria* et *Regione Pedemontana* captas, accepi.

Varietas:

1. *Femoribus posterioribus, interdum etiam anticis, subtus plus minus nigris aut fuscis.* m. f. *mas* praeterea *tibiis posticis nigris annulo albo,* colore rufo omnino deleto. — Caetera sicut in plurimis individuis genuinis.

Mares duos cepi, die 2 Iulii in fruticetis circa *Scheidnich* cum maribus quibusdam genuinis. Femina *Richtero* prodiit die 10 Iunii e pupa phalaenae.

Synonyma:

Ichn. Geoffroi II p. 352, n. 68.
Ichn. plaesseus Fourcroy p. 417, n. 69.
Ichn. scanicus Villers p. 190, n. 174. (*Ichn. scanicus* Fourcroyi p. 416, n. 68, est Ichn. Geoffr. p. 351, n. 67, ad *Pimplam stercoratorem*, n. 92, quam conferre velis, adhibitus).

Synonyma dubia:

Ichn. maculator Fabr. Syst. p. 337, n. 59. — Ent. II p. 87, n. 71.
„ Gmelin ed. Linn. p. 2693, n. 152.
„ Villers p. 177, n. 126.
„ Christ p. 363.
„ Olivier p. 189, n. 129.
„ Thunb. Ichn., n. 379.

Cryptus maculator Fabr. Piez. p. 87, n. 71.
Ichn. arlequinatus Villers p. 191, n. 179. (Auctores dubie citati coloris nigri tibiarum posticarum nullam mentionem faciunt).

Nota:

Conferas speciem antecedentem et sequentem.

99. P. EXAMINATOR.

Pedibus rufis, coxis et trochanteribus nigris; posticorum tarsis tibiisque nigris, his annulo albido. m. f. (aculeo longitudine dimidii abdominis).

A duabus antecedentibus haec species differt pedibus et aculeo paulo longioribus.

Longitudo maris $1\frac{2}{3}$ — $4\frac{1}{2}$, feminae $2\frac{1}{2}$—6 linearum. *Caput* palpis maris albidis aut testaceoflavis; rarius piceis. *Antennae* maris vel totae nigrae, vel subtus apicem versus ferrugineae articulis 1 et 2, seu articulo 1 solo, albidis. *Thorax* feminae, rarius quoque maris, lineola seu puncto albido aut stramineo, interdum obsoleto, ante alas. *Alae* fumatohyalinae, mari interdum subfumatohyalinae aut hyalinae; stigmate et radio nigris aut fuscis, rarius piceis; radice straminea, feminis plerumque ferruginea, rarius fusca; squamula maris straminea aut fusca, feminae ferruginea aut fusca, plerumque puncto albido, rarius tota albida; areola irregulari, sessili aut subsessili.

Pedes anteriores rufi aut fulvi, coxis et trochanteribus nigris, mari interdum subtus flavis, tibiis plerumque annulo pallido aut albido ante basin, interdum externe, supra et infra annulum, fuscis aut nigricantibus, anticis interne plerumque flavicantibus, mari interdum totis flavis; postici coxis nigris, rarissime macula rufa aut latere externo toto rufo, trochanteribus nigris, mari plerumque apice rufo, femoribus rufis aut rufo-fulvis, interdum geniculo nigro, feminis rarissime fere latere toto externo nigro, tibiis nigris aut nigrobadiis, annulo albo, latiore vel angustiore, rarius rufo aut fere omnino obsoleto, ante basin, mari interdum ante apicem rufis, tarsis maris nigris, feminae fuscis aut fuscoferrugineis. *Abdomen maris* capite thoraceque longius pauloque angustius, subcylindricum, *feminae* capite thoraceque paulo longius, interdum thorace duplo longius, thoracis latitudine, vel subcylindricum vel oblongoovatum; segmento 1 basi scrobiculato, omnibus margine subelevatis nitidioribus, margine summo plerumque obsolete-castaneo, maribus interdum testaceo. *Aculeus* longitudine dimidii abdominis seu paulo brevior.

Mas et femina *Richtero* proreperunt e pupis *Tineae padellae*, die 6 Iulii; femina *Hartliebio* e pupa *Bombycis fuliginosae*, mense Majo. Mares cum feminis legi passim in *Silesia* et circa *Gottingam*, mensibus Maji — Octobris, praecipue in fruticetis, sed etiam in umbellatis et graminibus; etiam e *Lusatia*, *Anglia*, *Austria*, *Hungaria* et

Volhynia ambo sexus ad me transmissi sunt. Singulas feminas legi mense Iulio circa *Oedelem*, unamque e *Norimberga* accepi. Mares hujus speciei feminis sunt frequentiores; praeter illos, cum feminis captos, plures legi singulos passim in *Silesia*, nec non circa *Trajectum ad Viadrum*, *Helmstadium*, *Oedelem*, *Barterodam*, pluresque mihi missi sunt, in *Hercynia*, circa *Trajectum ad Moenum*, *Sickershausen*, *Genuam*, *Taurinum*, *Parmam*, *Florentiam*, et in *Regione Pedemontana* atque *Tauria* lecti.

Varietates:

1, *Trochanteribus vel omnibus rufis, vel anterioribus flavis.* m. — Reliquis notis hi mares plurimis genuinis respondent.

Individuorum, trochanteribus rufis, basi anteriorum, rarissime quoque summa basi posticorum, nigra, tria cepi, mensibus Maji Iunii et Iulii, circa *Scheidnich*, *Gottingam* et *Oedelem*, in frutetis; quartum, *genuense*, *a Spinola* transmisit. — Individuorum trochanteribus anterioribus flavis, posticis nigris, duo cepi circa *Warmbrunn*, cum genuinis.

2. *Abdomine fusco, pedibus anterioribus flavis, tibiis posticis tricoloribus.* m. — *Longitudo* fere 2 linearum. *Antennae* fuscae. *Alae* hyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula albidis. *Pedes* anteriores pallide-flavi, femoribus dilute-fulvis, coxis mediis fusconigris; postici

coxis et trochanteribus nigris, his apice pallido, femoribus fulvis, tibiis fulvis, annulo lato albo ante basin, basi ipsa et summo apice nigris, tarsis fuscis. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius, thoracis latitudine; segmento 1 nigro, reliquis fuscis margine summo stramineo.

Hoc individuum *Manger* cepit circa *Warmbrunn.*

Synonyma feminae:

Ichn. Geoffroy II, p. 327, n. 13 (exclusa varietate coxis fulvis, quae ad *Pimplam Turionellae,* n. 93, spectat).

Ichn. geniculatus Fourcroy p. 397, n. 13.

„ Villers p. 188, n. 167.

„ Olivier p. 207, n. 5.

Ichn. variegatus Schrank Berchtesgad. p. 327, n. 91.

„ Schrank Boica n. 2096 (ob colorem antennarum forsan etiam ad *Pimplam Turionellae,* n. 93, adhiberi posset. — Ichneum. Geoffroyi n. 67, quem auctor allegat, ad *P. stercoratorem,* n. 92, spectat cui quoque *Ichneum. variegatus* Gmel. n. 289, p. 2701, respondet).

Cryptus examinator Fabr. Piez. p. 85, n. 62; in *Austria.*

Synonyma maris:

Ichn. Frisch II, p. 23 et 24, tab. IV, fig. IV (conferas quae in nota ad *P. stercoratorem* n. 92, monui).

Ichn. Leske pag. 63, n. 239 (Gmelin in ed. Linn. p. 2700, n. 279, hunc Leskii Ichneumonem cum *Ichn. leucopalpo* conjunxit, quem ego quidem ad *Ephialten carbonarium* adhibeo).
Ichn. rufescens Gmel. Linn. ed. p. 2701, n. 290 (haud *Ichn. rufescens* Rossii et Villersii).
Ichn. examinator Thunb. Ichn. n. 475.

Nota:

Conferas notam ad *Pimplam alternantem*, n. 97. —

Individuum feminae coxis posticis externe rufis, cum aliis individuis, coxis posticis totis nigris, circa Vratislaviam captum, transit ad *Pimplam Turionellae*, n. 93, et quidem ad ejus individua, coxis anterioribus totis nigris, quibuscum illud caeterum exactissime convenit.

100. P. BREVICORNIS. n.

Pedibus fulvis, coxis et trochanteribus nigris, tibiis posticis apice et ante basin fuscescentibus. m. f. (aculeo longitudine abdominis).

Antennis brevioribus et validioribus haec species a reliquis cospeciebus bene distinguitur.

Longitudo maris 2½, feminae 2—3 linearum. *Caput* palpis fuscis aut stramineis. *Antennae* filiformes, dimidii corporis longitudine, seu paulo breviores, plerumque subtus aut apicem versus fer-

rugineae. *Thorax* gibbulus. *Alae* mediocres, hyalinae seu plus minus fumatohyalinae; stigmate stramineo aut piceo, radio piceo aut fusco, radice et squamula pallide-stramineis; areola irregulari subsessili. *Pedes* mediocres subgraciles, fulvo-rufi aut testacei; coxis nigris, posticis feminae interdum extra, rarius quoque intra, rufis; trochanteribus nigris, apice plus minus rufis, interdum rufis basi nigra, posticis feminae interdum totis rufis: femoribus posticis feminae rarius apicem versus fuscis; tibiis posticis apice et annulo ante basin fuscis aut fuscescentibus, annulo interdum feminis obsoleto; tarsis ungue fusco. *Abdomen* capite thoraceque longius aut duplo longius, punctum, marginibus segmentorum elevatis nitidis laevibus; *mari* cylindricum, thoracis latitudine, *feminae* cylindrico-fusiforme, thoracis latitudine seu paulo latius. *Aculeus* vel abdomine dimidio longior, vel longitudine abdominis, rarius abdomine paulo longior; vaginis nigris pilosellis.

Mares duos duasque feminas *a Steven* e *Tauria* transmisit. Ipse duas feminas cepi die 5 Iulii in umbellatis prope *Helmstadium,* tertiam die 3 Septembris prope *Reinerz*; aliae quaedam, circa *Warmbrunn Vindobonam* et *Genuam* lectae, mihi transmissae sunt. — *Tauricae* duae ab omnibus reliquis differunt coxis posticis rufomaculatis, trochanteribus posticis totis rufis, tibiis posticis annulo fusco carentibus, aculeo longiore; femina prope *Reinerz* capta unica est antennis totis nigris, femoribus posticis fuscescentibus.

Varietates:

1. *Trochanteribus totis rufis.* f. — *Longitudo* 3—3½ linearum. *Alae* stigmate et radio piceis aut fuscis. *Abdomen* thorace duplo longius et paulo latius. *Aculeus* vix abdomine paulo longior. — Caetera ut in plurimis feminis genuinis.

Unam feminam cepi die 26 Septembris prope *Trajectum ad Viadrum* in Pino sylvestri, alteram circa *Vratislaviam.*

2. *Tibiis posticis totis rufis.* m. — *Longitudo* 3½—4 linearum. *Alae* radio et stigmate fuscis, hoc puncto albo. *Pedes* tibiis basi pallida, posticis interdum apice subfuscescente, tarsis posticis pallidis, apice articulorum summo fusco. — Caetera cum maribus genuinis conveniunt.

Duo individua, circa *Genuam* et *Monspessulanum* capta, mecum communicata sunt.

3. *Tibiis posticis nigris annulo albo.* m. — A mare *Pimplae examinatoris*, n. 99, cui pictura affinis est, hic mas, antennis brevioribus et crassioribus, femoribus posticis abdomineque paulo gracilioribus, distinctus est. — *Longitudo* 3 linearum. *Palpi* et *antennae* totae fuscae. *Pedes* postici tibiis albidis, apice et ante basin nigrofuscis, tarsis nigrofuscis, articulo 1 basi albida. — Caetera sicut in maribus genuinis.

Unum cepi mense Augusto circa *Salzbrunn* in fruticetis.

Nota:

Feminae tauricae, coxis posticis rufomaculatis, statura etc. quoque congruunt cum individuis minoribus *Pimplae roboratoris*, n. 84, varietatis abdomine toto nigro; colore pedum autem, coxis posticis nempe rufonigroque dimidiatis, inter *roboratorem* et *brevicornem* medium tenent.

101. P. VIDUATA. n.

Pedibus fulvis, coxis et trochanteribus nigris, femoribus posticis crassiusculis; antennis subtus ferrugineis. m.

Longitudo 4—4½ linearum. *Antennae* corpore breviores, filiformes, fuscae, articulis 1 et 2 nigris, sequentibus subtus rufoferrugineis, ultimis totis ferrugineis. *Thorax* gibbulus. *Alae* hyalinae aut subfumatohyalinae, stigmate et radio piceofuscis, radice straminea, squamula nigra aut fuscoferruginea, areola triangulari irregulari sessili. *Pedes* femoribus posticis crassiusculis, fulvi, trochanteribus et coxis nigris; postici interdum annulo tibiarum subpallido ante basin, tarsis fuscis basi pallida. *Abdomen* subcylindricum, thoracis latitudine, eo autem duplo longius, punctum opacum, segmentis linea transversali impressis.

Tria accepi individua, circa *Hannoveram, Trajectum ad Moenum* et in *Austria* capta.

102. P. ATERRIMA. n.

Nigra, femoribus tibiisque anterioribus subtus stramineis (aculeo fere longitudine dimidii abdominis).

Statura et proportio partium exacte ut in *P. examinatore*, n. 99.

Longitudo maris 6, feminae 7 linearum. *Alae* fumatohyalinae, stigmate radio radice et squamula fuscis aut nigris; areola triangulari sessili aut subsessili. *Pedes* nigri; antici femoribus subtus stramineis, tibiis maris fere totis, feminae solo latere inferiore, stramineis. *Abdomen* cylindricum, thoracis latitudine, eo autem duplo longius. *Aculeus* fere longitudine dimidii abdominis.

Marem et duas feminas *Hope* cepit circa *Netley*, feminam tertiam a *Sanvitale* circa *Parmam*.

Varietas:

1. *Pedibus anterioribus castaneis; coxis et trochanteribus nigris; posticis nigris, femoribus introrsum castaneis.* f. — *Longitudo* 5½ linearum. *Alae* subfumato-hyalinae. — Caetera ut in feminis genuinis.

Individuum unicum *Manger* cepit circa *Warmbrunn*.

Nota:

Varietas descripta medium tenere videtur inter hanc speciem et *P. examinatorem*, n. 99.

103. P. INSTIGATOR.

Femoribus tibiisque fulvis. m. f. (aculeo abdomine dimidio breviore).

Statura maris gracilior quam feminae. — *Longitudo* maris 3⅔ — fere 7, feminae 3¾ — fere 9 linearum. *Caput* palpis interdum flavicantibus. *Antennae* corpore paulo breviores, porrectae, apicem versus subgraciliores et interdum subcurvatae, feminae graciliores quam mari; huic rarius subtus fuscoferrugineae, articulis 1 et 2 autem semper nigris. *Thorax* gibbus. *Alae* mediocres, plus minus fumatohyalinae, minoribus hyalinae; stigmate nigro aut fusco, rarius piceo, radio fusco, radice picea aut fusca; squamula rarius tota nigra, plerumque puncto albido, mari interdum tota stramineo-albida; areola irregulari subsessili. *Pedes* mediocres; fulvi aut rufi; coxis et trochanteribus nigris, his interdum apice rufo; postici tarsis nigris, nonnunquam articulo primo, rarius quoque secundo, rarissime omnibus, fusco-fulvescentibus, femoribus tibiisque rarissime apice nigris. *Abdomen maris* capite thoraceque longius et paulo angustius, subcylindricum, *feminae* capite thoraceque longius, thoracis latitudine, vel subcylindricum ut in mare, vel oblongoovatum; segmento 1 basi impresso, margine subelevato; sequentibus margine paulo elevato nitidiore, praesertim feminis, maribus rarius margine summo eastaneo. *Acu-*

leus dimidio abdomine brevior, rarius fere dimidii abdominis longitudine.

Mares et feminae *Hartliebio* prodibant e pupis *Bombycis aurifluae* et *chrysorrhoes;* femina *Fehrleo* e pupa *Bombycis Ermineae;* femina *Richtero* e pupa *Bombycis libatricis*, in qua larva solitaria degerat. — Mares et feminas legi, mensibus Iunii—Septembris, circa *Vratislaviam Warmbrunn Oedelem* et *Gottingam*, praesertim in fruticetis, rarius in gramine et umbellatis. Etiam circa *Vindobonam, Norimbergam, Trajectum ad Moenum, Hannoveram, Sickershausen*, nec non in *Gallia, Regione Pedemontana, Hungaria* et *Volhynia* ambo sexus capti ad me transmissi sunt. Insuper quasdam feminas singulas cepi, mense Augusto, circa *Cudovam*, in umbellatis; quaedam ex *Anglia Etruria* et *Tauria* mecum communicatae sunt; unam *Fehrle*, prope *Vratislaviam*, ad strues lignorum cepit. Mares singulos passim in *Silesia*, nec non circa *Helmstadium* et *Barterodam*, mensibus Iunii—Septembris, legi; nonnullos, circa *Halam Saxonum* et *Genuam* lectos, accepi.

Varietas:

1. *Scutello albo-notato.* m. — *Longitudo* 5—paulo ultra 6 lineas. *Antennae* articulo 1 rarissime subtus linea testacea. *Scutellum* vel macula alba, vel punctis 2 apicalibus albis aut pallidetestaceis. *Alae* radice picea aut fusca, macula alba, squamula alba, rarius nigra apice albo. *Pedes*

coxis anterioribus rarissime puncto fulvo, trochanteribus anticis plerumque apice aut subtus rufis. — Caetera sicut in plurimis maribus genuinis.

Unum individuum cepi, cum pluribus genuinis, die 12 Iulii prope *Scheidnich* in fruticetis; duo alia mense Augusto, circa *Cosel* et *Cudovam*, in fruticetis et umbellatis; nonnulla, circa *Warmbrunn Genuam* et *Netley* lecta, transmissa sunt.

Synonyma maris:

Ichn. Geoffroi II, p. 327, n. 14.
Ichn. inguinalis Fourcroy p. 397, n. 14.
„ Villers p. 154, n. 58.
„ Olivier p. 207, n. 6 (conferas notam ad *Tryphonem rapinatorem*, n. 79).
Ichn. illecebrator Rossi Mant. II, tab. VI, fig. I (Antennis nimis brevibus et crassis. — Femina, fig. H, huc haud spectat, sed ad nostram speciem sequentem),
Ichn. Resinellae Schrank Boica n. 2126; in larva *Phalaenae Resinellae*. (Huc autem haud referri potest *Ichn. Resinellae* Linnei et reliquorum auctorum, pedibus flavis, antennis basi luteis).
Ichn. instigator Panzer ad Schaeff. tab. 105, fig. 5.

Synonyma feminae:

Musca bipilis secunda Mouffet pag. 63.
Ichn. Reaumur II, tab. 35, fig. 23.
Ichn. Degeer II, p. 845, n. 2, tab. 29, fig 6—8; prodibat e pupa *Phal. Bombycis Vinu-*

lae. (Imago recens nata Degeeri lateribus abdominis erat membranaceoalbis).

Ichn. Geoffroi II, p. 325, n. 8; in pupis papilionum, ut plurimum solitarius.

Ichn. punctator Müll. Prodr. n. 1831.

„ Schrank Beitr. p. 126.

„ Schrank Boica n. 2122; circa *Poettmes.* (Sed *Ichneum. punctator* Linn. Christ, Gmel. Thunb. alia est species, Indiae indigena).

Ichn. hypochondriacus Retz. n. 267, pag. 68. (Auctor interrogat, num forsan Ichneum. Degeeri I, p. 332 et 580, tab. 23, fig. 16 [a quibusdam auctoribus ad *Ichn. saturatorium* adhibitus, a quo tamen satis differt] mas sit Ichneumonis Degeeri II, p. 845, n. 2, quem supra jam allegavi. Ambobus autem, praeterea quod in larvis Bombycis Vinulae degant, nil commune est).

Ichn. compunctor Fourcroy p. 395, n. 8.

„ Villers p. 187, n. 164.

„ Panzer ad Schaeff. tab. 20, fig. 7. (Haud debet confundi cum *Ichn. compunctore* reliquorum auctorum, de quo conferas synonyma et notam ad *Mesostenum gladiatorem*, n. 225).

Ichn. compunctator Schrank Austr. n. 721.

„ Villers pag. 180, n. 138? (sub hac specie auctor duas species distinctas confudit, nempe hanc nostram et aliam, aculeo longitudine corporis insignem).

Ichn. compunctator Gmel. ed. Linn. pag. 2696, n. 162.

„ Olivier p. 221, n. 87 (*Ichn. compunctator* Panzer ad Kob est noster *Cryptus tarsoleucus* n. 19. — Ejusdem nominis Ichn. apud Christium p. 368, *Ephialtes manifestator* esse videtur. *Ichn. compunctator* Poda p. 106, n. 9, forsan ad nostram *P. instigatorem* referri potest. — De his omnibus conferas notam ad *Mesostenum gladiatorem*, n. 225).

Ichn. illecebrator Villers p. 194, n. 192?

„ Olivier p. 216, n. 58? (Conferre velis speciem sequentem).

Ichn. bisulcus Gmel. ed. Linn. p. 2698, n. 263.

Ichn. impressus Gmel. ed. Linn. p. 2698, n. 264.

Ichn. fornicator Rossi n. 766.

„ Olivier p, 189, n. 126. (Sed *Ichn. fornicator* Fabr. huc haud spectat, sed Banchus est, quod Illiger jam in nota ad Rossium l. c. monuit).

Ichn. faber Christ t. 38, f. 3? (pedibus posticis crassis, femoribus globosis).

Ichn. instigator Fabr. Ent. II, p. 164, n. 126.

„ Thunb. Ichneum. n. 482. (Ad hanc speciem haud referri potest *Ichneum. instigator* Rossii et Olivieri, ob aculeum longitudine corporis; conferatur *Ichneum. instigator* Rossii in nostris Supplementis n. 211).

Cryptus instigator Fabr. Piez. p. 85, n. 61.

Cryptus instigator Gravenh. Uebers. n. 3765 (ubi tamen verba gehört ad angegeben delenda sunt, nam icon. Schaefferi allegata marem hujus speciei exhibet; excludendus quoque est *Ichneumon conjunctor* Panzer ad Sch. tab. 224, fig. 10, quippe qui coxis et trochanteribus rufis differt).

Nota:

1. De antennis et ore descriptionem accuratiorem, qualem *Nees ab Esenbeck* mecum communicavit, hic subjungo:

Antennae rectae, filiformi—setaceae, articulis 37; radicula brevissima; scapo brevi ovato crasso; pedicello exserto obconico, apice extrorsum obliquo concavo, in concavitate articulum antennae primum brevissimum, fere disciformem, recipiente; reliquis cylindricis decrescentibus, quinto longissimo, exterioribus subaequalibus, extremo praecedente longiore obtuso.

Hypostoma convexum, utrimque crasse punctatum, spatio medio triangulum angustum, apice infero truncato, referente, laeviusculo, punctis subtilibus subseriatis. — *Clypeus* discretus linea semicirculari, parum convexus, apice rotundatus. — *Labium* transversum. — *Mandibulae* validae, parum curvatae, basi crassiores, margine infero tumidiusculo, apice bifidae, dentibus brevibus obtusiusculis inaequalibus, infero minore. — *Maxillae* longitudine labii, idque includentes: *Stipes*

oblique lanceolatus laevis glaber: *Mala* stipite vix brevior, ejus apici introrsum oblique apposita, obovata compressa coriacea, in medio biarticulata, articulo infero obconico, introrsum in lobulum obtusum tenuiorem prominente, supero suborbiculari, basi transversali affine, ciliata, vittis duabus albopellucidis, cum spatio aequali opaco alternantibus, notato. — *Palpi maxillares* mala duplo longiores, filiformes pubescentes, articulis 5 subaequalibus, 1 obconico teretiusculo, 2 obverse-cuneiformi compresso, apice introrsum obliquo, breviore, 3 subcylindrico, basi angustiore, 4 et 5 cylindricis, basin versus parum attenuatis, aequalibus, his rufescentibus molliusculis, apicali truncato. — *Labium: Mentum* lineare compressum convexum laeve subpubescens, basi gibbum, apice tridentatum, dentibus lateralibus subulatis tenuissimis, medio altiore ascendente lato emarginato: *Lingua* mento dimidio brevior, recurva membranacea lutescens firma, arcuatim striata, apice truncato-retusa, laevis, lobis deorsum conniventibus, brevissimis obtusis subciliatis. — *Palpi labiales* lingua duplo longiores, pubescentes, quadriarticulati; articulo 1 obconico, basi subincurvo, apice introrsum oblique-truncato, longiori, 2 brevissimo lato, fere obcordato, 3 vix longiore, at angustiore, obconico, 4 primum longitudine aequante, oblongo angusto obtuso.

2. Pimpla, quae praecipue larvas *Bombycis monachae* destruit, cujusque larvam pupam et mu-

tationem *Joerdens*, pag. 28 descripsit et in tabulae fig. 6—10 iconibus illustravit, ad hanc speciem redigenda esse videtur.

104. P. ILLECEBRATOR.

Tibiis anterioribus femoribusque fulvis. m. f. (aculeo dimidio abdomine paulo longiore).

Statura et proportio partium omnino speciei antecedentis, sed aculeo longiore.

Longitudo maris 5, feminae fere 8 linearum. *Alae* fumatohyalinae, stigmate radio radice et squamula fuscis. *Pedes* fulvi, coxis et trochanteribus nigris; postici praeterea tarsis tibiisque nigris, his basin versus feminae subfuscescentibus, mari rufis basi ipsa nigra. *Aculeus* dimidio abdomine paulo longior.

Marem, in *Regione Pedemontana* captum, *Bonelli* mecum communicavit; feminas duas, circa *Vindobonam* et *Genuam* captas, *Dahl* et *a Spinola* ad me transmiserunt.

Synonyma feminae:

Ichn. illecebrator Rossi Mant. II, tab. VI, fig. H. (Antennis nimis brevibus et crassis).

Nota:

De *Ichn. illecebratore* Oliv. Vill. et Rossii l. c. fig. I, conferas Synonyma speciei antecedentis.

F A M I L I A VII,

seu subgenus:

E P H I A L T E S.

Abdomine longo, plerisque tuberculoso; segmentis anterioribus, ut plurimum quoque intermediis, latitudine longioribus, ultimis feminae rima ventrali longitudinali; areola triangulari; (aculeo longo).

Caput transversum breve. — *Oculi* ovales, interdum obsolete subreniformes. — *Antennae* mediocres aut subgraciles, porrectae, aut apice paululum curvatae. — Hae et *oris partes* accuratius in notis ad Eph. manifestatorem et mediatorem descriptae sunt. — *Thorax* gibbus aut gibbulus aut subgibbulo-cylindricus, laevis. — *Scutellum* convexiusculum, speciebus sectionis primae longius subtriangulare, speciebus sectionis secundae brevius subquadratum. — *Alae* mediocres aut subamplae; areola triangulari irregulari, sessili aut subpetiolata. — *Pedes* subelongati aut mediocres. *Abdomen* sessile, thoracis latitudine aut paulo angustius, thorace duplo aut, idque saepius, plus duplo longius; cylindricum aut filiforme, rarius basin versus sensim parum angustatum (v. c. *Eph. albicincto, mediatori, divinatori*); nitidum aut nitidulum, plerumque tuberculis aut rugis transversalibus, marginibusve elevatis, nitidioribus, distinctioribus aut obsoletioribus; segmentis omnibus ut plurimum latitudine longioribus; saepius autem ultimis quadratis, rarius transversis, rarissime autem ipso segmento secundo quadrato; ultimis feminae ventre rima longitudinali fissis. Segmentum primum latitudine longius, basin versus sensim paulo angustatum, canalicula-

tum aut saltem basi foveolatum, tuberculis lateralibus ante basin sitis. — *Aculeus* abdomine longior, vaginis subpilosellis.

De relationibus Ephialtarum ad omnes, jam recensitas, familias generis *Pimplae,* supra locutus sum. — *Rhyssae,* Ephialtis affines, et antea cum his in unam familiam conjunctae, thorace ruguloso etc. differunt.

SECTIO I.

Scutello et thorace nigris.

Thorax interdum puncto seu linea ante alas albo; in *E. hectico* etiam suturis lateralibus albidis.

---

105. E. TUBERCULATUS.

Segmentis intermediis quadratis; pedibus rufis, tibiis et tarsis posticis fuscescentibus. m. f. (aculeo longitudine corporis, seu longiore).

Statura pedes antennae crassiores quam in speciebus sequentibus.

Longitudo 4 — 8 linearum. *Caput* palpis maris pallidis, feminae interdum rufescentibus; labro feminae fusco aut ferrugineo. *Antennae* maris corporis fere longitudine, feminae dimidii corporis longitudine seu paulo longiores; filiformes, porrectae. *Thorax* gibbulus seu gibbulo-cylindricus, feminae interdum puncto parvo testaceo ad radicem alarum. *Alae* mediocres, plus minus fumatohyalinae, mari hyalinae; stigmate et radio nigrofuscis, rarius piceis; radice et squamula vel totis fuscis aut ferrugineis, vel puncto stramineo, rarius fere totis stramineis; areola triangulari subirregulari, sessili aut subsessili. *Pedes* mediocres, maris fulvi, feminae rufi; coxis anticis feminae interdum basi, vel totis, nigris; postici tarsis nigrofuscis, tibiis vel totis vel extrorsum fuscis aut nigricantibus, femoribus feminae plerumque apice summo fusconigro. *Abdomen* feminae capite thoraceque duplo longius, thoracis latitudine, cylindricum, mari gracilius et longius; nigrum, segmentis margine et tuberculo laterali elevatis nitidioribus; intermediis quadratis seulatitudine paulo

longioribus, mari longioribus quam feminae; primo canaliculato, 6 et 7 feminae ventre subprotuberantibus. *Aculeus* longitudine corporis, vel paulo longior, vaginis nigris subpilosellis, terebra nigrofusca; apice sublanceolato-compresso, lineis subtilibus transversalibus inciso.

Marem unicum cum femina varietatis 1 in copula cepit *Nees ab Esenbeck* circa *Sickershausen*. — Feminas nonnullas cepi aestate ad strues lignorum prope *Vratislaviam*, nec non domi ad fenestras; aliae quaedam, circa *Gottingam, Warmbrunn, Bautzen, Halam Saxonum, Vindobonam,* nec non in *Fennia* et *Volhynia* lectae, mecum communicatae sunt.

Varietas:

1. *Pedibus posticis totis fulvis.* f. — *Longitudo* 3½—11 linearum. *Alae* hyalinae seu subfumato-hyalinae; stigmate piceo seu ferrugineo-fulvo, rarius fuscopiceo, radio fusco aut subpiceo, radice et squamula stramineis aut fulvis. *Pedes* toti fulvi. *Abdomen* nigrum, rarius badium. *Aculeus* longitudine corporis, seu paulo longior, rarius corpore fere duplo longior, terebra interdum fulva. — Caetera feminis genuinis plurimis respondent.

Nonnullas feminas legi, circa *Gottingam* et *Barterodam*, in arbustis et umbellatis, mensibus Maji Augusti et Septembris; aliae, circa *Hannoveram, Herzbergam, Sickershausen* (cum mare genuino in copula), *Parisios* (haec, omnium maxima, aculeo longissimo et pedibus longioribus a reliquis

individuis distincta), *Genuam, Taurinum, Netley,* et in *Volhynia*, captae, mihi transmissae sunt.

Synonyma:

Ichn. Geoffroi p. 324, n. 7; habitat in arboribus.
Ichn. tuberculatus Fourcroi, p. 395, n. 7.
„ Villers p. 187, n. 163.
„ Olivier p. 206, n. 2.
Ichn. leucopterus Gmel ed. Linn. p. 2699, n. 273.
Ichn. hyalinus Gmel. ed. Linn. p. 2700, n. 285. (Hujus speciei descriptio brevis Leskeana haec est: *niger, pedibus rufis, alis hyalinis, aculeo abdomine longiore.* Gmelin, qui hanc speciem e catalogo Leskeano recepit, perperam scripsit: *abdomine aculeo longiore.* — Caeterum autem hic *hyalinus* ad plures alias species, v. c. ad *Lissonotam impressorem, setosam* et ad *Eph. manifestatorem* adhiberi potest).

Synonyma dubia:

Ichn. manifestator Sulz. Kennz. tab. 18 fig. 117 (longitudo 12 linearum. Conferas synonyma *manifestatoris*, n. 107).
„ Christ tab. 38, fig. 1 (longitudo 14 linearum).
„ var. longitudine 8 linearum, abdomine fusco nigroque alterne cincto. — Scharfenberg p. 956, n. 4. (forsan ad individuum nostrum abdomine badio spectat).

Ichn. crispus Christ tab. 88 fig. 1. (longitudo 9 linearum; alae nigricantes).
Ichn. instigator Olivier p. 181, n. 86. (conferatur Suppl. nostrorum n. 211).
Ichn. fluctuans Christ p. 365, tab. 38, fig. 4. (icone perperam exhibita).

Nota:

Haec species et *E. manifestator* et *carbonarius*, n. 107 et 108, inter se peraffines sunt. Praeprimis autem feminae, maribus multo frequentiores, sensim ex una specie in alteram transeunt, ut vix limitibus firmis arceri possint. Nimirum *tuberculati* individua quaedam, segmentis paulo angustioribus et longioribus, tuberculis lateralibus minus prominentibus, adpropinquant ad *manifestatoris* individua segmentis paulo brevioribus subtuberculatis; praesertim vero individua duo genuina austriaca, pedibus paulo longioribus, exacte medium tenent inter varietatem *tuberculati* descriptam et verum *manifestatorem*. Haud minus quoque inter individua *carbonarii* multa occurrunt segmentis intermediis brevioribus subtuberculatis, abdomineque toto crassiore et breviore, jam ad *tuberculatum* prope accedentia; alia autem, praecipue inter majora, abdomine proceriore, indeque segmentis singulis angustioribus et longioribus, puncto pallido ad radicem alarum minore, transeunt ad *manifestatoris* individua puncto parvo ad alarum radicem distincta.

106. E. MESSOR. n.

Pedibus rufo-fulvis, tibiis posticis arcuatis. f. (aculeo longitudine corporis).

Statura, imprimis proportione et tuberculis segmentorum, haec species medium tenet inter antecedentem et sequentem; tibiis posticis arcuatis ab utraque differt.

Longitudo fere 7 linearum. *Caput* palpis fulvis. *Thorax* puncto parvo testaceo ad radicem alarum. *Alae* testaceo-hyalinae, stigmate et radio fulvis, radice et squamula stramineis, areola triangulari sessili. *Pedes* rufofulvi; postici tarsis fuscis, tibiis arcuatis, supra fuscescentibus. *Abdomen* thorace triplo longius, eoque paulo angustius, cylindricum, segmentis 3 et 4 latitudine paulo longioribus, 5—7 quadratis, omnibus tuberculis lateralibus subprominentibus. *Aculeus* longitudine corporis, terebra badia.

Unicam feminam *Besser* e *Volhynia* transmisit.

107. E. MANIFESTATOR.

Segmentis intermediis elongatis; pedibus rufo-fulvis, tibiis posticis nigricantibus. m. f. (aculeo corpore longiore).

Statura et proportio partium speciei sequentis.

Longitudo maris 6—11, feminae 9—15 linearum. *Caput* palpis fuscis aut ferrugineis, labro interdum obscuro-ferrugineo. *Antennae* filifor-

mes, longitudine dimidii corporis, vel paulo longiores, porrectae, plerumque apice paulo curvatae. *Thorax* interdum puncto parvo aut minuto, testaceo aut ferrugineo, ad radicem alarum. *Alae* mediocres, plus minus fumatohyalinae, stigmate aut nigro aut fusco aut fulvo aut piceo-stramineo, radio fusco, radice et squamula ferrugineis aut stramineis, areola subregulari triangulari, sessili aut vix subpetiolata. *Pedes* subgraciles elongati, fulvi aut rufi; postici tarsis tibiisque, interdum quoque geniculis, fuscis, tibiis plerumque basin versus ferrugineis, praesertim latere interno. *Abdomen* capite thoraceque plus duplo seu triplo longius, thoracis latitudine seu parum angustius, cylindricum, nigrum, rarissime fuscum; segmento 1 canaliculato, reliquis tuberculo laterali obsoleto et marginibus elevatis nitidioribus, 1—5 latitudine longioribus, saepe latitudine duplo longioribus. *Aculeus* corpore longior, rarius corporis longitudine, vaginis subpilosellis; terebra fusca aut rufo-castanea, rarius nigra aut straminea, apice subcompresso-lanceolato, lineis transversalibus subtilibus inciso.

Mares et feminas *Roentgen* cepit circa *Niesky*. Feminae plures, circa *Sickershausen, Hannoveram, Trajectum ad Moenum, Norimbergam, Vindobonam, Warmbrunn, Genuam,* nec non in *Regione Pedemontana, Hungaria, Volhynia* et *Fennia* lectae, ad me transmissae sunt. *Besser* feminas observavit ad parietes tectorum, terebram in fissuras lignorum immittentes. Ipse feminas

cepi circa *Vratislaviam*, ad strues lignorum et domi ad fenestras. Die primo Octobris autem plures feminas hujus speciei, nec non *E. carbonarii*, n. 108, et *mediatoris*, n. 115, observavi prope *Scheidnich*, in trunco fere demortuo salicis, ova posituras. Sedulo in trunco decorticato, foraminibus multis, sine dubio larvarum aliorum insectorum habitaculis, perforato, circumambulabant, omnius metus expertes, nec, si digito eas tangerem aut mulcerem, avolantes, sed aliquanto tantum ad latera declinantes. Antennis, continuo tremulis et undequaquam tentantibus, foramina disquirebant et examinabant. Pedibus autem anterioribus quatuor supra foramen electum se collocantes, corpus, quam alte fieri poterat, elevantes, abdomen ipsum autem perpendiculariter a trunci superficie erigentes, terebram ita deorsum inflectebant, ut sub ventre et thorace porrigeretur et apice foramen, supra quod ipsae stabant, intraret. Tum terebram totam in foramen immittebant. Haud raro quoque, foramine scilicet satis amplo, abdomen totum in foramen intrabat, ita ut de insecto ipso nil nisi caput thorax et pedes liberi essent. Saepe etiam de foramine bellum inter duas feminas oriebatur; nec vero mandibulis aut aliis armis vulnerantibus certabatur, sed tantum pulsibus impetuosis corporis aut plagis pedum, donec viribus inferior cederet. Si autem femina foramen quoddam plene jam occupaverat, nullis ictibus depelli poterat, et competitrici aggredienti, ipsi multo fortiori, atrociter resistens, sedem suam obtinebat.

Varietas.

1. *Tibiis posticis ferrugineis.* f. — Caeterum feminis pluribus genuinis respondens.

Individuum unicum e *Regione Pedemontana* transmisit *Bonelli.*

Synonyma:

Ichn. Reaumur VI p. 307, tab. 29, fig. 16.
„ Degeer I, tab. 36, fig. 9.
„ Geoffroi II, p. 323, n. 5; habitat in sylvis (exclusa tamen varietate minore, ad speciem sequentem spectante).
Ichn. manifestator Linne in Actis Suec. 1736 p. 125, n. 3 (fem.) p. 126, n. 20 (mas). Fauna, n. 1608. — Syst. XII, p. 934, n. 32; babitat in arenosis, in locis glareosis. In fasciculo foliorum salicis foramen dentibus rodebat; antennis insertis recognoscebat latentem larvam. *Rolander.*
„ Poda p. 105, n. 3.
„ Sulzer Kennz. tab. 18, fig. 117 (? abdomine nimis brevi; forsan ad *tuberculatum,* n. 105, adhibendus, aut ad *Lissonotam setosam*, n. 14, a quibus vero etiam longitudine 12 linearum et abdomine basin versus angustiore differt).
„ Scopoli Carn., n. 751; in locis sterilibus.
„ Müll. Fridr., n. 615.
„ Stroem in Trond. Selsk. Sk. III p. 420, n. 45. — Translat. p. 378, n. 45 (? potius

ad speciem sequentem spectare videtur, cum auctor eum speciebus minoribus adscripserit).

Ichn. manifestator Fuessl. Helv. p. 49, n. 956; in specierum plurium larvis.

„ Fabr. Syst. p. 336, n. 51. — Ent. II, p. 162, n. 117; in locis glareosis.

„ Müll. prodr., n. 1809.

„ Schrank Aust., n. 719.

„ Fourcroy p. 394, n. 5.

„ Gmelin ed. Linn. p. 2691, n. 32.

„ Villers, p. 166, n. 98.

„ Razoumowsky p. 215, §. 248.

„ Rossi II, n. 763, in sylvis et cultis (ob longitudinem 6—7 linearum forsan ad speciem sequentem redigendus. Mas, linea alba ante oculos, femorum basi nigra, huc non spectat sed forsan ad *Lissonotam sulphuriferam*, n. 18).

„ Christ p. 361, tab. 38 fig. 1 (? Abdomen nimis breve et crassum est. Icon forsan melius ad *E. tuberculatum*, n. 105, adhiberi posset).

„ Olivier p. 186, n. 112.

„ Panzer Fauna Fasc. 19, tab. 21; in hortis et dumetis. (Auctor, in Revisione p. 83 dicit: *valvis* (*vaginis*) *aculei retrorsum hispidis*. Cum autem pili apicem aculei versus spectent, censeo, pro *retrorsum* potius *antrorsum* legendum esse).

Ichn. manifestator Marsham Trans. Linn. III, n. 7, p. 23, tab. 4; antennis examinat foramina, quae alia insecta, imprimis Hylaei maxillosi, in demortuum lignum terebraverunt; dein aculeum immittit in haec foramina, et ova ponit in larvas latentes.

„ Cederhielm p. 160, n. 493.

„ Dwigubsky p. 165, n. 575.

„ Walckenaer p. 59, n. 54.

„ Latreille Crust. XIII, p. 181, n. 10. — Dict, XI, p. 537.

„ Panzer ad Schaeff. tab. 110, fig. 3. (In Schrankii Fauna Boica haec icon ad *Ichn. compunctorem*, n. 2067, laudatur, de quo conferas notam ad *Mesostenum gladiatorem*, n. 225. — Müller, in Prodromo, ad *manifestatorem* adhibet quoque Schaefferi Ic. tab. 50, fig. 5, quae autem *Lissonotam setosam*, n. 14, exhibet).

„ Scharfenberg III, p. 956, n. 4; habitat, mense Maji, in hortis et sylvis, investigans larvas latentes in caudicibus quercuum et fagorum, ovaque ponit in illas larvas. (Auctor l. c. mentionem facit varietatis, longitudine 8 linearum, abdomine alternatim fusco nigroque cincto. Haec varietas forsan est *Ephialtes tuberculati*, n. 105, varietas abdomine badio, quam supra descripsi).

„ Lamarck p. 137, n. 2.

Ichn. manifestator Thunb. Ichn., n. 481.
Pimpla manifestator Fabr. Piez. p. 113, n. 3.
Ichn. melanopus Gmel. p. 2700, n. 280. — Leske p. 62, n. 215. (mas), n. 220 (femina).
Ichn. compunctor Schrank Boica, n. 2067 var. A. (De *Ichneum. compunctore* auctorum conferas notam ad *Mesostenum gladiatorem*, n. 225).
Ichn. compunctator Christ p. 368, tab. 39 fig. 1. (? differt a mare *manifestatoris* orbitis oculorum internis tenuissime flavicantibus. Icon perperam exhibita est, nec descriptioni respondet).
Ichn. gracilis Gmel. ed. Linn. p. 2699, n. 267 (mas).

Nota:

Conferas notas ad *tuberculatum*, n. 105 et ad *carbonarium*, n. 108.

Descriptionem accuratiorem antennarum et oris *Nees ab Esenbeck* his verbis mecum communicavit:

Antennae filiformes rectae subrecurvae, articulis 40; radicula brevi pateraeformi; scapo crasso brevi, oblique ovato, extrorsum fere ad basin oblique truncato, concavo, recipiente pedicellum brevem cylindricum, cum articulo quarto accessorio parum eminentem; reliquis articulis cylindricis decrescentibus, in medio parum contractis, arcte contiguis, pubescentibus, quinto longissimo, ultimo conico-obtuso.

Clypeus brevis transversus, linea parum arcuata impressa discretus, margine antico in medio sinuato. — *Labrum* breve coriaceum, ratione angustum, obsolete-obcordatum, sinum clypei replens, eundemque parum supereminens, ciliatum. — *Mandibulae* breviusculae subtetragonae, parum arcuatae, extus planae, basi paulo latiores, apice excisae, dentibus acutis brevibus aequalibus. — *Maxillae* labium amplectentes, illique aequales: *Stipes* subrectangulus corneus, longitrorsum carinatus, apice introrsum obliquus, laevis glabriusculus. *Mala* stipite paulo brevior, membranacea biarticulata (bipartita); articulo infero subtriangulo, angulis rotundatis, supero obovato (seu potius subrotundo), ad insertionem angustato, ciliato. — *Palpi maxillares* mala triplo longiores, setacei pilosi quinquearticulati; articulo 1 subclavato truncato; 2 crassiori obconicocultrato; 3—5 tenuioribus subspongiosis compresso-cylindricis, basin versus subangustatis, ultimo acutiusculo; ratio longitudinis 3. $4/5$. $1/2$. — *Labium: Mentum* corneum obovatum breve, parum compressum, pubescens, apice tridentatum, dentibus lateralibus acutis, medio latiori, profunde emarginato, laciniis obtusis: *Lingua* ascendens, menti longitudine, aut fere longior, membranacea firma subquadrata, apice profunde incisa, laciniis deflexis conniventibus, deorsum sinuato-truncatis (ut, a parte superiori visae, fere triangulae videantur), angulo supero rotundato, infero acutiusculo, margine nudo. — *Palpi labiales* lingua vix duplo longiores,

filiformes pubescentes cornei quadriarticulati; articulo 1 clavato truncato; 2 et 3 brevioribus, late-obconicis, aut, ob apicis obliquitatem, fere triangulis, compressiusculis, diametro non longioribus, inter se aequalibus; 4 primo longiore, subcylindrico-clavato obtuso.

108. E. CARBONARIUS.

Pedibus fulvis, tibiis posticis fuscescentibus; lineola seu puncto albo ad radicem alarum. m. f. (aculeo longitudine corporis, aut longiore).

Statura et proportio partium speciei antecedentis; pedibus tamen plerumque paulo brevioribus.

Longitudo maris 3—4¼, feminae 3—8 linearum. *Caput* facie plerumque plus minus argenteo-sericea, palpis albidis aut testaceis; labro feminarum majorum ferrugineo, marium et feminarum minorum fusco seu nigricante, rarius ferrugineo. *Antennae* filiformes porrectae, apice subcurvatae, dimidii corporis longitudine, seu paulo longiores, mari rarius fere corporis longitudine; articulis ultimis feminis, imprimis minoribus, plerumque ferrugineis; articulis 1 et 2 mari interdum subtus albentibus. *Thorax* gibbulo-cylindricus, puncto seu lineola alba, interdum minuta, ante alas. *Alae* mediocres, interdum breviores et subangustae, hyalinae seu subflavicanti-hyalinae, stigmate fusco

aut ferrugineo, interdum fulvo, rarius stramineo, radio fusco aut piceo, radice et squamula albido-stramineis, rarius piceo-stramineis; areola irregulari, transversa aut triangulari (minoribus transversa, sensim autem, magnitudine crescente individuorum, in formam triangularem commutata), sessili aut subsessili. *Pedes* subgraciles elongati fulvi, rarius rufi; mari plerumque trochanteribus omnibus subtus flavis, interdum quoque coxis anterioribus vel pedibus anterioribus totis subtus flavis aut albidis, rarius coxis omnibus basi nigris, feminae rarissime pedibus anticis subtus sordide-flavicantibus; postici, rarius etiam medii, tarsis et tibiarum latere exteriore fuscescentibus aut nigricantibus, tibiarum basi summa, vel etiam latere interiore, nonnunquam pallidiore. *Abdomen* capite thoraceque duplo, rarius triplo, longius, rarissime tantum thorace duplo longius, thoracis latitudine seu parum angustius, lineari-cylindricum seu linearifusiforme; segmentis margine elevato nitido, interdum etiam tuberculo laterali utrimque elevato. *Aculeus* corpore longior, rarius corporis longitudine seu abdomine duplo longior; vaginis nigris pilosellis; terebra laevi nitida glabra, rufa seu castanea, rarius nigra, apice subcompresso sublanceolato, lineolis transversalibus obsoletis subinciso.

Mares et feminas legi, mensibus Maji Iunii et Septembris, circa *Gottingam*, in fruticetis; plures quoque, circa *Hannoveram*, *Norimbergam*, *Sickershausen*, *Warmbrunn* et *Genuam* lecti, ad

me transmissi sunt. Marem cepit *Roentgen* etiam circa *Niesky*. Feminae, maribus frequentiores, singulae undique inveniuntur; legi eas passim in *Silesia*, (conferas speciem antecedentem) nec non circa *Barterodam* et *Oedelem*, mensibus Maji — Septembris, in frutetis et ad sepes parietesque; aliae, circa *Halam Saxonum*, *Trajectum ad Moenum*, *Vindobonam*, *Friburgum*, nec non in *Regione Pedemontana*, *Etruria*, *Volhynia*, *Tauria*, *Hungaria* et *Fennia* lectae, mecum communicatae sunt. — Mares nonnulli, coxis basi nigris, prodibant *Neeseo ab Esenbeck* singuli e singulis *Phalaenae grossulariatae* pupis.

Varietates:

1. *Puncto seu lineola alba ante alas omnino extincto*. f. — Caetera sicut in plurimis feminis genuinis.

De patria individuorum paucorum hujus varietatis nil certi constat.

2. *Abdomine castaneo, nigrocingulato*. f. — *Longitudo* 4—5 linearum. *Alae* hyalinae; stigmate radio radice et squamula stramineis. *Pedes* toti fulvi. *Abdomen* castaneo-badium, segmentorum marginibus et tuberculo laterali nigris. *Aculeus* corporis longitudine, terebra rufa. — Caetera ut in plurimis feminis genuinis.

Unam feminam, circa *Friburgum* captam, *Menzinger* ad me transmisit; alteram, *lusitanicam*, vidi in museo *Comitis de Hoffmannsegg*.

3. *Pedibus anterioribus albis.* m. — *Longitudo* 3¾ — 4 linearum. *Caput* palpis albis. *Antennae* paululum crassiores quam in maribus genuinis; articulis 1 — 2 — 3 subtus albis aut flavis. *Alae* hyalinae, stigmate et radio fuscis aut piceis, radice et squamula albis. *Pedes* aliquanto crassiores quam in genuinis; anteriores albidostraminei aut pallideflavi; postici coxis et femoribus fulvis, trochanteribus albidoflavis, tibiis vel albidis, apice extrorsum fusco introrsum fulvo, vel fuscescentibus, introrsum et basi summa exalbidis, tarsis fuscis. *Abdomen* segmentis intermediis quadratis.

Duo individua, unum *austriacum,* alterum *genuense*, mecum communicata sunt; hoc minimum est, tibiis posticis obscurioribus.

Synonyma:

Musca tripilis secunda Mouffet p. 64.
Ichn. Geoffroi II, p. 323, n. 5 var. minor (individua majora potius ad speciem antecedentem spectant).
Ichn. manifestator Stroem in Trond. Selsk. Skr. III, p. 420, n. 45 (conferas hoc synonymum sub specie antecedente).
„ Rossi II, n. 763 (conferas speciem antecedentem).
„ Gravenh. Uebers. n. 3783.
Ichn. carbonarius Christ p. 365, tab. 38, fig. 5 (icone perperam exhibita). *Ichn. carbonarius* Gmel. ed. Linn. alia est species).

Ichn. leucopalpus Gmel. ed. Linn. p. 2700, n. 279 (*Ichneumones* Leskei p. 63, n. 239, et p. 64, n. 257, quos Gmelin cum hac specie conjunxit, differunt colore pedum, nec huc referri debent).

Synonyma var. 2.

Ichn. extricator Villers pag. 193, n. 188; habitat prope *Massiliam*. (Auctor dicit in descriptione: *aculeus abdominis longitudine*, in observatione autem: *aculeus abdominis longitudinem superat. Datur alius, fere omnino similis, sed aculeus ei quadruplo minor*).

„ Olivier p. 216, n. 54; variat aculeo dimidii aut trientis abdominis longitudine. (Sine dubio Olivier et Villers plures species confuderunt).

Nota:

Conferre velis notam ad *E. tuberculatum*, n. 105.

Mares genuini variant abdomine graciliore et paulo crassiore; illi, segmentis intermediis, ratione latitudinis, longioribus, propius accedunt ad speciem sequentem; alii autem, segmentis intermediis fere quadratis, varietati tertiae magis respondent; nonnulli, tibiis posticis pallidioribus, adpropinquant ad *E. inanem*, n. 110, ita ut fere hunc

inanem (forsan quoque *Pimpl. pictipedem*, n. 95) cum *carbonario* conjungere mallem, eo quidem rectius, quod alterum individuorum tibiis posticis pallidioribus *carbonarii* cum *inani*, eodem die et loco, die 25 Augusti in fruteto prope Gottingam, cepi. — Feminis tibiae posticae ut plurimum multo breviores, indeque validiores sunt quam *manifestatori*; quibusdam individuis autem, praeprimis majoribus, tibiae fere eadem longitudine sunt ac illi; minoribus tibiae, posticae praesertim, apice et ante basin fuscescunt; varietati primae lineola seu punctum album ad radicem alarum deest. His illisque haec species transit ad *manifestatorem*.

109. E. GRACILIS.

Labro et antennarum articulo primo albis; pedibus fulvis, posticorum tarsis et tibiis fuscis, his basi alba. m.

Haec species a praecedentis maribus differt abdomine et segmentis singulis longioribus, antennis quoque paulo longioribus; iisdem notis, pedibusque longioribus et gracilioribus, a specie sequente se distinguit.

Longitudo 4½—5 linearum. *Corpus* totum pilis tenuissimis griseis sericeum. *Caput* palpis albis, labro stramineo, facie argenteo-villoso-sericea. *Antennae* articulo 1 subtus eburneo.

Thorax gibbulo-cylindricus, lineola albida ad radicem alarum. *Alae* mediocres hyalinae irideae, stigmate et radio piceis, radice et squamula albidis, areola irregulari sessili. *Pedes* elongati graciles; anteriores pallide-fulvi aut pallide-straminei, coxis et trochanteribus albis, coxis mediis supra fulvis; postici fulvi, trochanteribus albidis, supra fulvofuscescentibus, tibiis extrorsum fuscis basi alba, introrsum albidis apice fusco, tarsis fuscis. *Abdomen* tenue lineari-cylindricum, capite thoraceque fere duplo longius, thorace angustius, subnitidulum; segmentis marginibus subelevatis, 2—5 latitudine duplo longioribus, incisuris adeo profundis ut singula segmenta fere oblongoovata exhibeantur; valvulis duabus analibus exsertis compressis lanceolatis.

Duo individua accepi, circa *Norimbergam* et in *Tauria* lecta.

Synonyma:

Ichn. gracilis Schrank Boica, n. 2102; circa *Burghausen* (*Ichn. gracilem* Gmelini ad *manifestatorem*, n. 107, adhibui).

Nota:

Conferas notam ad speciem antecedentem.

110. E. INANIS.

Pedibus fulvis; anticorum femoribus emarginatis, tibiis arcuatis; posticorum tibiis tarsisque fuscovariegatis; coxis plerumque nigromaculatis. m.

Haec species a confinibus, forma femorum et tibiarum anticorum, satis differt.

Longitudo 2—3 ⅕ linearum. *Caput* facie subcanescente, palpis albis. *Antennae* filiformes, dimidio corpore paulo longiores, subcurvatae; subtus rarius totae fuscotestaceae, plerumque stramineotestaceae articulo primo albo. *Thorax* gibbulo-cylindricus. *Alae* mediocres, hyalinae, rarius subfumatohyalinae; stigmate et radio fuscis, rarius stramineis aut piceo-stramineis, radice et squamula albidis; areola irregulari transversa, sessili aut vix subpetiolata. *Pedes* mediocres subgraciles; antici femoribus infra emarginatis vel quasi erosis, tibiis arcuatis; anteriores pallide-flavi aut fulvi, coxis vel totis flavis, vel supra fulvis, vel basi nigris, trochanteribus flavis aut albidis; postici coxis rarius totis fulvis aut nigris, ut plurimum rufis, basi aut puncto nigro, trochanteribus albidoflavis, femoribus fulvis, tibiis albis, apice et puncto seu macula ante basin fuscis, tarsis vel albidis, articulorum apicibus fuscis, vel fuscis, basi articuli primi albida. *Abdomen* thorace angustius et plus duplo longius, linearicylindricum, subtilissime punctum; segmentorum marginibus elevatis laevioribus niti-

dioribus, tuberculo laterali subobsoleto; segmento primo profunde-canaliculato, 2—5 rarissime basi subfusco-ferrugineis.

Unum marem, eumque unicum, coxis omnibus haud nigromaculatis, segmentis 2—5 basi subferrugineis, ipse cepi, die 25 Augusti prope *Gottingam* in fruticeto. Alii, circa *Warmbrunn*, *Vindobonam*, *Sickershausen* et in *Tauria* lecti, mecum communicati sunt.

Synonyma:

Ichn. inanis Schrank Boica, n. 2107; larva habitat solitaria in larvis *Tortricis micanae*.

Ichn. Rayellae Schrank Boica, n. 2114; larva habitat in larvis *Tineae Rayellae*.

Nota:

Conferas notam ad *E. carbonarium*, n. 108.

111. E. HECTICUS. n.

Pedibus anterioribus pallide-flavis, posticis rufis fuscomaculatis; colli margine et antennis subtus versus basin albis. m.

Statura et pedes graciliores quam in reliquis cospeciebus hujus sectionis; abdomine basin versus sensim angustato.

Longitudo 5½ linearum. *Caput* ore exalbido. *Antennae* filiformes, corpore breviores, articulis 1—4 subtus albidis, sensim sordidioribus. *Tho-*

rax gracilior quam in reliquis, cylindricus, dorso prothoracis depressiusculo subscabriculo; colli parte infera et margine laterali albidis, linea obsoleta ante alas et sutura laterali metathoracis flavicantibus. *Alae* subhyalinae irideae, stigmate et radio fuscopiceis, radice et squamula albidis; areola irregulari triangulari subsessili. *Pedes* graciles; anteriores albidoflavi, tarsis mediis ferrugineis; postici rufi, trochanteribus exalbidis superne fuscis, femoribus superne subfuscescentibus, tarsis et tibiis fuscis, his summa basi exalbida. *Abdomen* procerum, thorace angustius et triplo longius, basin versus sensim angustatum; segmento 1 sublineari, latitudine sexies longiore; sequentibus sensim brevioribus et latioribus, septimo tandem fere subquadrato.

Maris individuum unicum *Manger* cepit circa *Warmbrunn.*

Synonyma:

Ichn. Leske p. 63, n. 237.

112. E. MESOCENTRUS, n.

Pedibus rufis, posticorum tibiis tarsisque fuscis, coxis mediis calcaratis. m.

Statura gracilis et proportio partium *Eph. gracilis,* n. 109, abdomine autem longiore et coxis mediis calcaratis differt.

Longitudo fere 6—7 linearum. *Caput* facie argenteo-villosa, palpis pallideflavis. *Antennae*

filiformes, corpore breviores. *Alae* subfumato-hyalinae irideae, radio fusco, stigmate testaceo, radice et squamula pallide-flavis; areola irregulari triangulari subsessili, (in alterius individui ala sinistra, minutissima et longepetiolata). *Pedes* rufi, anteriores paulo dilutiores; antici coxis interdum basi nigris; medii coxis dente valido acuto prominente extrorsum armatis; postici tarsis et tibiis fuscis aut nigricantibus, his summa basi pallescente, femoribus interdum geniculo fusco. *Abdomen* linearicylindricum, thorace angustius et plus triplo aut quadruplo longius; segmentis latitudine duplo longioribus, confertim punctis, marginibus subelevatis nitidulis.

Unum marem, circa *Trajectum ad Moenum*, quosdam alios, in *Regione Pedemontana* captos, accepi.

SECTIO II.

Scutello thorace et abdomine pallide-notatis.

Thorax plerumque prothorace rufo-nigro-alboque vario. *Abdomen* segmentis albomarginatis.

---

113. E. DIVINATOR.

Segmentis albomarginatis; prothorace et scutello rufis, flavomaculatis; pedibus rufis, tibiis posticis apice fuscis. m. f. (*mas* facie flava; *femina* orbitis oculorum internis flavis, aculeo longitudine abdominis).

Statura et proportio partium omnino *mediatoris*, n. 115; sed abdomine aculeo et antennis brevioribus, his quoque paulo crassioribus.

Longitudo 3—4 linearum. *Caput maris* facie tota oreque pallide-flavescentibus, *feminae* orbitis oculorum, ore, plerumque lineola transversa infra antennas, albis aut flavis, *Antennae* dimidio corpore paulo longiores, porrectae, fuscae, subtus fuscoferrugineae aut testaceae, articulo primo albido. *Thorax* collo nigro, margine laterali plerumque flavicante; prothorace rufo, linea ante alas, lineola infra alas anticas, altera infra scutellum, punctoque infra alas posticas, pallideflavis; metathorace nigro, linea arcuata flava ante petiolum, interdum obsoleta. *Scutellum* rufum apice flavo. *Alae* hyalinae, stigmate et radio piceis aut stramineis, radice et squamula stramineis; areola subirregulari sessili. *Pedes* fulvi aut rufi; tibiis posticis maris pallidestramineis, extrorsum apice et ante basin fuscis, feminae rufis, extrorsum plerumque fuscescentibus, imprimis apice et ante basin; tarsis posticis apice articulorum fusco, rarius

fere totis fuscis; unguibus omnibus fuscis. *Abdomen* thorace fere triplo longius, ejus autem latitudine, mari subcylindricum, feminae segmentis 1—5 sensim crassioribus; segmentorum marginibus albidis interdum pertenuibus, segmento 1 nonnunquam toto nigro, rarius segmentis 4—7 aut 5—7 totis nigris. *Aculeus* abdominis longitudine seu paulo longior, niger, terebra rufa.

Mares duos accepi, circa *Parmam* et *Genuam* captos; feminae maribus frequentiores esse videntur, nam praeter quasdam, cum maribus captas, aliae mecum communicatae sunt, circa *Netley Pisam Taurinum Vratislaviam* et in *Sudetis Silesiae* lectae.

Synonyma:

Ichn. divinator Rossi II, n. 776, habitat in foliis arborum.

Ichn. histrio Panzer Fauna Fasc. 92, tab. 7; captus mense Augusti, in horto.

Nota:

Vix credo, *Ichneumonem histrionem* Fabr. Ent. II, p. 182, n. 201, ad hanc speciem referri posse, cum Fabr. eum in Systemate Piezatorum pag. 69, n. 85, inter Ichneumones (nec inter Pimplas) censeat. Auctor eum in Entomologia his verbis descripsit: *Parvus. Antennae ferrugineae. Caput atrum, ore punctisque duobus verticalibus albis. Thorax ferrugineus; lobo antico laterali nigro, margine scutelloque albis. Alarum basis*

alba. Abdomen atrum nitidum, segmentis margine albis. Pedes rufi, tibiis posticis albis, plantis atris. — *Ichn. histrio* Panz. ad Schaeff. t. 126, fig. 8 marem *Eph. mediatoris*, n. 115 exhibere videtur. — *Ichn. histrio* Thunb. Ichn. n. 238, thorace pedibusque flavis, huc non referri potest. — Etiam *Ichn. histrio* Christ tab. 36, fig. 7, ad hanc speciem haud adhiberi potest; nec ejusdem nominis Ichn. Schrank Boica n. 2060, qui ad *Banchum falcatorem* spectare videtur.

114. E. VARIUS. n.

Segmentis albomarginatis; scutello et prothorace rufo flavoque variegatis; pedibus fulvis; coxis flavis, posticis macula nigra; tibiis flavis, posticis apice fusco. m. f. (*mas* facie albida; *femina* oculorum orbitis albis, aculeo corpore paulo longiore).

Statura paulo gracilior quam in specie antecedente et sequente.

Longitudo fere 4—5 linearum. *Caput* ore et orbitis oculorum omnibus stramineis aut pallide-flavis; facie maris tota alba, feminae punctis duobus flavis infra antennas. *Antennae* filiformes, corpore breviores, fuscae; articulo 1 subtus albido aut sordide-testaceo, sequentibus mari subtus sordide-stramineis, sensim ferrugineis aut pallidioribus. *Thorax* colli margine, linea ante alas, lineola infra alas, interdum quoque macula laterali prothoracis, linea sub scutello, lineaque transversali

arcuata metathoracis, flavis aut albidis; pectore, lateribus thoracis infra alas, dorsoque prothoracis, rufis, rarius badiis; interdum lateribus et dorso metathoracis fere totis rufis. *Scutellum* vel totum vel apice solo flavum aut albidum, disco plerumque rufo. *Alae* hyalinae; stigmate et radio stramineis aut piceis, radice et squamula albidis; areola irregulari sessili. *Pedes* anteriores pallide-flavi; coxis et femoribus maris rarius rufo-fulvis, femoribus feminae fulvis, apice, vel etiam latere inferiore toto, flavis, tarsis mediis apice articulorum fusco; postici coxis pallide-flavis, supra nigris, extrorsum interdum rufis, trochanteribus pallide-flavis aut rufofulvis, femoribus rufis aut fulvis, geniculis flavis, tibiis pallide-flavis, apice, aut extrorsum, fuscis seu fulvis, puncto ante basin fuscescente, distinctiore aut obsoletiore, tarsis albidis, apice articulorum fusco. *Abdomen* segmentorum marginibus albis. *Aculeus* corpore paulo longior.

Quidam mares, in *Regione Pedemontana* lecti, unusque circa *Niesky* captus, mecum communicati sunt. — Duas feminas ipse cepi, mensibus Iunii et Iulii, circa *Scheidnich* et domi ad fenestram; nonnullae aliae, circa *Vratislaviam*, *Pless*, *Parmam*, *Genuam* et in *Volhynia*, lectae, ad me transmissae sunt.

Nota:

Feminae ex Italia et Volhynia missae, pedibus pallidioribus, a germanicis distinguuntur. Indivi-

dua, dorso et lateribus metathoracis rufis, minora sunt, nec vero a reliquis sejungenda, nam individuis intermediis, fascia flava metathoracis superne rufolimbata, in reliqua sensim transeunt.

115. E. MEDIATOR.

Segmentis albomarginatis; prothorace et scutello rufis, albomaculatis. m. f. (*mas* pedibus pallide-flavis, femoribus fulvis, tibiis posticis apice fuscis; facie albida; *fem.* pedibus rufis, tibiis posticis apice fuscis; orbitis oculorum internis albis; aculeo longitudine corporis).

Longitudo 3½—fere 6 linearum. *Caput* ore albido, apice mandibularum nigro; clypeo maris albido, feminae nigro, interdum punctis 2 albidis; facie maris tota albida, feminae nigra orbitis oculorum internis albidis. *Antennae* filiformes, corpore breviores, porrectae, supra fuscae, apicem versus subferrugineae, subtus ferrugineae aut testaceae, articulis 1 et 2 vel 1—4 albidis. *Thorax* gibbulus; collo nigro; prothorace rufo, linea ante alas, lineola infra alas anticas, altera sub scutello, punctoque infra alas posticas, flavis aut albidis; metathorace nigro, linea transversali, seu macula sinuata, albida aut flava, ante petiolum, interdum rufo-marginata. *Scutellum* rufum; apice, rarius quoque lateribus, flavum aut albidum. *Alae* mediocres, subflavicantihyalinae aut hyalinae; stigmate piceo aut stramineo, radio fusco aut piceo, radice et squamula stramineis aut piceis; areola irregu-

lari sessili, interdum subquinqueangulari. *Pedes* mediocres subgraciles; *feminae* rufofulvi; anteriores plerumque subtus tibiis tarsisque, interdum etiam femoribus anticis, albido-flavis; postici ut plurimum tarsis, interdum quoque tibiis, praesertim apice et ante basin, fuscescentibus; *mari* albidoflavi; femoribus posticis totis, anterioribus extrorsum, interdum etiam coxis posterioribus, fulvis; unguibus omnibus, tarsorum posteriorum articulorum apicibus, nec non tibiarum posticarum latere exteriore apicem et basin versus, fuscis. *Abdomen* thoracis latitudine, eo autem triplo aut plus triplo longius, mari linearicylindricum, feminae medio parum latius; marginibus segmentorum subelevatis; segmento 1 subcanaliculato, rarissime toto nigro, sed puncto seu lineola marginali media, ut plurimum etiam puncto minuto anguli apicalis, albo; sequentibus vel omnibus, vel ultimis exceptis, margine medio et puncto parvo anguli apicalis albis, interdum subobsoletis. *Aculeus* corporis longitudine seu paulo longior, niger, terebra rufa.

Tres mares accepi, circa *Warmbrunn Hannoveram* et *Vindobonam* captos; plures autem feminas, ibidem et circa *Vratislaviam*, *Norimbergam*, *Sickershausen*, *Trajectum ad Moenum*, *Genuam*, *Parmam* et in *Volhynia* lectas. Ipse quasdam cepi, circa *Barterodam* et *Scheidnich*, in fruticetis, mense Iunii, aliasque die 1 Octobris cum *manifestatore*, n. 107, cujus morum descriptionem conferre velis.

Synonyma feminae:

Ichn. scurra Panzer Faun. Fasc. 92, tab. 6; habitat in pratis, mense Iulii.

Pimpla mediator Fabr. Piez. p. 117, n. 23; habitat in *Moravia;* (haud *Ichn. mediator* Thunb. Ichn. n. 352).

Synonyma maris:

Ichn. histrio Panz. ad Schaeff. t. 126, fig. 8 (? conferas notam ad *divinatorem*, n. 113).

Nota:

Conferas notas ad *divinatorem*, n. 113, et ad *manifestatorem*, n. 107.

Descriptio accuratior antennarum et oris, auctore *Neeseo ab Esenbeck*, haec est:

Antennae quales in *Pimpla manifestatore;* articulis tantum 38; exterioribus in medio non evidenter attenuatis, apicali magis acuto.

Clypeus circumscriptione uti in *manifestatore*, sed facie supera, ob margines laterales et inferum elevatos, profunde-excavata. — *Labrum* ut in illa. — *Mandibulae* magis depressae quam in illa, caeterum ei congruae; dentibus apicis subinaequalibus, supero parumper majori, magisque acuto. — *Maxillae* ut in *manifestatore:* stipite magis plano. — *Palporum maxillarium* articulo 2 minus dilatato, et fere omnino obconico, apice obliquo; 3 ut in illa, longiori; 1, 2, 4 et 5 longitudine fere aequalibus. — *Labium* ut in *manifestatore;*

mento inter palpos truncato, nec emarginato. — *Palporum labialium* articulo 1 quarto longiori, hoc subspongioso.

116. E. ALBICINCTUS. n.

Segmentis intermediis albomarginatis; prothorace et scutello albopictis; pedibus rufis, anticis subtus flavis, posticorum tibiis tarsisque nigris. f. (aculeo abdomine paulo longiore).

Longitudo 9 linearum. *Caput* orbitis oculorum internis, palpis et mandibularum basi, albis. (*Antennae* desunt). *Thorax* gibbulus; lineola ante alas, altera sub scutello, punctoque infra alas, albidis. *Scutellum* apice albidum. *Alae* mediocres, subfumatohyalinae, stigmate et radio nigris, squamula et radice ferrugineis; areola subirregulari sessili. *Pedes* mediocres subelongati, rufi; antici tarsis tibiis femoribusque subtus flavicantibus; medii tarsis nigricantibus; postici tibiis et tarsis nigris sericeis. *Abdomen* cylindricum, thoracis latitudine, eo autem triplo longius; segmentorum marginibus elevatis nitidioribus; segmento primo canaliculato, linea marginali transversali alba; 2 — 5 margine albo. *Aculeus* abdomine parum longior, niger, terebra badia.

Unicam feminam (circa *Hannoveram* captam ?) *Reusmann* mecum communicavit.

FAMILIA VIII,

seu subgenus:

RHYSSA,

a ῥυσσὴ, rugosa — propter thoracem rugosum.

Abdomine longo, segmentis intermediis latitudine longioribus, ultimis feminae ventre fissis; areola triangulari; thoracis dorso transversim rugoso; (aculeo longo).

Caput transversum breve. — *Oculi* ovales, interdum subreniformes. — *Antennae* filiformes porrectae, longitudine mediocri. — *Thorax* gibbulo-cylindricus; prothoracis dorso lineis transversis parallelis confertis incisis ruguloso; metathorace plerisque longitudinaliter canaliculato. — *Scutellum* plus minus convexum, subquadratum, aut subtriangulare apice obtuso. — *Alae* amplae aut mediocres; areola triangulari aut irregulari, sessili aut petiolata. — *Pedes* elongati, praesertim postici, aut mediocres. — *Abdomen* sessile laeve nitidum; maribus vel 1) thoracis latitudine, eo autem triplo longius, rarius duplo longius (R. approximatori) subcylindricum, dorso convexo, vel 2) thorace angustius et quadruplo longius, lineare depressum; feminis thoracis latitudine, eo autem plus duplo vel triplo longius, subcylindricum, dorso convexo, apicem versus subcompressum. Segmenta marium, modo sub. n. 2 designatorum, omnia latitudine multo longiora sunt, 3—7 margine dorsali profunde incisa. Reliquorum marium et feminarum segmenta 1—2, aut 1—3, latitudine sunt longiora, sensim breviora, sequentia quadrata, ultimum transversum, omnia margine integra, excepta femina *Rhyssae clavatae*, cujus segmenta ultima dorso emarginata sunt. *Apex abdominis feminarum* lamina instructus est parva depressa subtrian-

gulari, infra segmentum septimum prostante. Huic laminae adfixa est appendix, in rimam ventralem segmentorum ultimorum reflexa, plerumque omnino abscondita, interdum autem ventre, instar tuberculi elongati, subprostans, eodem modo conformata, et eadem aculei et terebrae insertione, ac in Porizone harpuro, quem ad haec conferre velis. *Maribus* lamina ista analis, sub segmento septimo prostans, obtusior est quam feminis, et incisura media longitudinali bipartita. Sub hac lamina exseruntur duo corpuscula conchaeformia, superne convexa, inferne concava; in hac concavitate duo alia corpuscula sita sunt, itidem conchaeformia, sed istis superioribus breviora, praetereaque duo corpuscula falcata, forcipem exhibentia; inter corpuscula conchaeformia prostat, longitudine aequali cum illis, stylus linguaeformis, rima longitudinali, uti videtur, bipartitus, superne convexus nitidus laevis, inferne concavus nec nitidus. Omnes hae appendices sine dubio ad genitalia mascula pertinent: Stylus linguaeformis penis esse videtur, corpuscula conchaeformia illius vaginae; forceps autem forsan inservit ad feminam prehendendam et tenendam in actu copulae. Eadem structura ultimorum segmentorum in reliquis quoque maribus et feminis generis Pimplarum conspicitur, sed minus distincte. — *Aculeus* corpore longior est, vaginis nudis, haud pilosellis.

De affinitatibus Rhyssarum cum *Pimplis* et *Ephialtis*, sub his jam locutus sum. Ab omnibus reliquis Pimplarum familiis haec thorace ruguloso

optime distinguitur. — Prope ad hanc familiam, praeprimis ad Rh. persuasoriam, accedunt *Coleocentri*, quorum feminae etiam abdomen habent apicem versus compressiusculum; differunt autem praecipue abdomine breviore, magis compresso, valvula ventrali instructo. — *Porizones* quidem, ratione aculei ejusque insertionis, Rhyssis respondent, caeteris autem notis satis longe ab eis distant. — Vestigium rugarum thoracis, quibus Rhyssae a reliquis Pimplis discernuntur, in nonnullis *Xoridis* se ostendit, praecipue in *X. nitente;* sed hae Xoridarum rugae multo obsoletiores sunt; praetereaque Xoridae, forma cellularum alae, praesertim areola deficiente, capiteque magis globoso, a Rhyssis differunt, licet haud negari possit, mares Xoridae nitentis maribus Rhyssarum abdomine longiore graciliore, tam habitu toto quam abdominis forma, peraffines esse.

117a. R. APPROXIMATOR.

Nigra; facie pedibusque fulvis, horum posticis superne nigricantibus. m.

Longitudo 4½ — 5½ linearum. *Caput* facie palpisque rufis aut cereo-fulvis, labro obscuro-ferrugineo. *Antennae* corpore paulo longiores, filiformes, porrectae, apice summo subcurvatae; articulo 1 subtus ferrugineo aut flavo, reliquis vel totis fuscis vel subtus rufoferrugineis. *Thorax* gibbulocylindricus, puncto flavo aut rufescente ad radicem alarum. *Alae* mediocres subfumatohyalinae, stigmate et radio fusco-nigris, squamula et radice fulvostramineis aut albidis; areola irregulari transversali, vix subpetiolata. *Pedes* graciles; anteriores fulvi, trochanteribus et coxis subtus flavis; postici coxis femoribus et tibiis nigris aut nigricantibus, latere altero rufis, tarsis nigris, trochanteribus stramineis aut rufofulvis. *Abdomen* thoracis latitudine, seu paulo angustius, eoque duplo aut plus duplo longius, cylindricum; segmentis 1—3 aut 1—5 latitudine longioribus, 1 et 2 scabriculis subcanaliculatis.

Unum marem *Roentgen* cepit circa *Niesky*; alterum, eumque majorem, abdomine longiore, antennis pedibusque pallidioribus, *Manger* circa *Warmbrunn*.

Synonyma:

Ichn. approximator Fabr. Ent. p. 162, n. 118; habitat in *Selandia*.

Pimpla approximator Fabr. Piez. p. 113, n. 4.

Nota:

Ichn. approximator Thunb. Ichn., n. 441, abdomine ovato differt.

117 b. R. CURVIPES. n.

Pedibus fulvis, posticorum tibiis et tarsis nigricantibus, tibiis posticis arcuatis; orbitis oculorum internis albidis. f. (aculeo corpore paulo longiore).

Longitudo 6 — 6¾ linearum. *Caput* palpis et oculorum orbitis internis flavo-albidis. *Antennae* filiformes porrectae dimidio corpore longiores, fuscae, subtus subferrugineae. *Thorax* gibbulo-cylindricus. *Alae* mediocres hyalinae irideae, stigmate radio et radice stramineis, squamula fusca; areola parva regulari petiolata. *Pedes* subgraciles fulvi; postici tarsis tibiisque fuscis, his vel totis vel basi sola arcuatis. *Abdomen* capite thoraceque plus duplo longius, thoracis latitudine, laeve, cylindricum, apicem versus compressiusculum; segmento 1 subcanaliculato; 4, 5 et 7 dorso emarginatis. *Aculeus* fuscus, corpore paulo longior.

Unam feminam, circa *Hannoveram*, alteram, in *Volhynia* captam, accepi; haec minor, tibiis posticis sola basi arcuatis.

118. R. AMOENA.

Antennis alboannulatis, corpore albomaculato; pedibus dilutefulvis. m. f. (*mas* facie alba; *fem.* orbitis oculorum albis, aculeo corporis longitudine).

Statura et proportio partium maris omnino ut in specie sequente, feminae ut in *Ephialte mediatore*, n. 115, areola tamen minore.

Longitudo maris $7\frac{1}{2}$, feminae $8\frac{1}{3}$ linearum. *Caput* maris palpis facie et genis eburneis, feminae palpis et genis testaceostramineis, orbitis oculorum faciei et genarum albis. *Antennae* maris rufae articulo 1 subtus albido, 17 et 18 totis albidoflavis; feminae articulis 1—3 rufoferrugineis, sequentibus fusco-nigris, subtus ferrugineis, 16—20 totis albis. *Thorax* transversim rugulosus, nigrofuscus; margine laterali colli, sutura ante alas, puncto infra alas, altero infra scutellum, feminae quoque puncto supra coxas posticas, albidis. *Scutellum* albidum. *Alae* hyalinae irideae, stigmate et radio ferrugineo-fulvis, radice et squamula albidis; areola triangulari irregulari subpetiolata. *Pedes* fulvo-testacei; anteriores mari coxis et trochanteribus albidis, feminae coxis solis inferne albis; postici mari coxis fuscis, trochanteribus

albidis, feminae coxarum macula interna, nec non latere externo tibiarum, tarsisque, fuscis. *Abdomen* capite thoraceque duplo longius, pauloque angustius, subcylindricum, apicem versus parum incrassatum; *mari* nigrofuscum, segmentis 1 et 2 margine albo integro, sequentibus margine albo medio interrupto; *feminae* nigrum, segmento 1 margine albo integro, 2 margine medio interrupto, sequentibus utrimque maculis duabus marginalibus, albis. *Aculeus* corpore longior.

Marem vidi in museo *Klugii*, sub nomine *Ichn. amoeni;* feminam, in valle *Chamonix* captam, *Bonellio* debeo.

119. R. PERSUASORIA.

Albomaculata, segmentis intermediis maculis duabus lateralibus albis; pedibus fulvis, posticis tibiis tarsisque fuscis. m. f. (*mas* facie alba; *fem.* orbitis oculorum albis, aculeo corpore longiore).

Longitudo 6—14 linearum. *Caput maris* palpis facie et orbitis oculorum omnibus, verticalibus tamen interdum interruptis, eburneis aut albis; *feminae* orbitis oculorum omnibus, latioribus aut tenuioribus, albis, rarius subferrugineis, nonnunquam vertice interruptis, rarissime solis internis albis, palpis piceis aut albidis. *Antennae* filiformes porrectae, corpore breviores, plerumque subtus vel totae vel basin versus fuscoferru-

gineae, articulo 1 semper toto nigro. *Thorax* cylindricus seu gibbulo-cylindricus; colli macula laterali punctisque duobus in margine supero, linea ante alas, puncto infra alas, macula aut puncto supra coxas singulas, sutura laterali inter prothoracem et metathoracem, lineola transversali sub scutello, albis; his picturis interdum magis extensis passimque confluentibus, interdum autem imminutis et una alterave omnino extincta; prothoracis dorso subtiliter transversim ruguloso, rarissime macula ferruginea; metathoracis dorso canalicula longitudinali exarato. *Scutellum* apice aut macula majore alba, interdum fere totum album. *Alae* mediocres subfumatohyalinae, stigmate et radio nigris aut fuscis, radice et squamula albidis; areola irregulari triangulari subpetiolata aut sessili. *Pedes* subgraciles elongati, mari paulo breviores, fulvi; coxis interdum badiis aut basi nigris, anticis feminae rarius fere totis nigris, anterioribus mari plerumque, nonnunquam etiam feminae, subtus albidis, posticis interdum feminae linea longitudinali albida flavescente inferiore; femoribus tibiisque anterioribus interdum subtus flavicantibus; tarsis et tibiis posticis fuscis aut fusco-fulvis, introrsum pallidioribus, rarius fere totis nigris. *Abdomen* capite thoraceque duplo vel plus duplo longius, thoracis latitudine seu paulo angustius, cylindricum, feminae apicem versus compressum; segmento 1 basin versus sensim angustato, latitudine triplo vel fere quadruplo longiore, feminis paulo latiore quam maribus cana-

liculato, margine dorsali, ut plurimum quoque laterali, albo, dorsali ipso interdum medio interrupto et in puncta duo alba dissoluto; sequentibus utrimque macula laterali, maculisque duabus dorsalibus marginalibus, in femina sublateralibus, albis; his maculis in segmento 2 plerumque linearibus et in angulo apicali confluentibus, haud raro quoque dorso fere contiguis, ita ut segmentum totum fere albomarginatum sit, in segmentis sequentibus autem magis sejunctis et contractis, dorsalibus transverse-ovatis aut suborbiculatis, lateralibus cuneiformibus, apice cunei basin segmenti versus spectante. *Aculeus* corpore paululum longior.

Quosdam mares et feminas cepi prope *Vratislaviam*, arbores et strues lignorum circumvolitantes. In monte *Zobten* observabam feminam, in trunco arboris sedentem, terebra in rimam ligni immissa; digitis irritata haud avolabat sed, quasi temulenta, in gramen decidebat facileque manu prehendebatur. Mares duo, circa *Hannoveram* et *Parisios* capti, mecum communicati sunt, pluresque feminae, passim in *Silesia*, nec non circa *Gottingam*, *Helmstadium*, *Friburgum*, *Taurinum*, *Parmam*, *Cracoviam* et *Aboam* lectae.

Varietates:

1. *Scutello toto nigro.* m. — *Longitudo* 5¾ — 8 linearum. *Thorax* lineola seu puncto ante alas albo; interdum quoque puncto laterali colli, altero infra alas, tertioque infra scutellum, albis.

Abdomen segmento 1 toto nigro; segmentis 2—7 punctis quatuor marginalibus albis, 2 interdum puncto laterali cum proximo dorsali confluente. — Caetera sicut in maribus genuinis plurimis.

Mares tres, circa *Vratislaviam Warmbrunn* et *Parisios* capti, mecum communicati sunt. Vratislaviensis major est et puncto albo colli, altero infra alas, tertioque infra scutellum, nec non articulo primo antennarum toto nigro (in duobus alteris subtus exalbido) distinctus.

2. *Coxis nigris.* m. — *Longitudo* 7 linearum. *Thorax* puncto laterali colli, altero ante alas, tertio infra alas, lineolaque sub scutello, albis. *Scutellum* summo apice albo. *Coxae* nigrae, anteriores subtus macula albida. *Abdomen* segmentis omnibus punctis duobus dorsalibus marginalibus, unoque laterali utrimque in angulo apicali, albis; punctis segmenti primi minutis. — Caetera ut in plurimis maribus genuinis.

Unicum individuum *Besser* e *Volhynia* transmisit.

Synonyma:

Ichn. persuasorius Linn. Fauna, n. 1593. — Syst. XII, p. 932, n. 16. — Acta Suec. 1736, p. 125, n. 19 (?).

„ Degeer I, tab. 36, fig. 8.

„ Fuessl. Helv., p. 49, n. 946; prope *Genevam.*

„ Fabr. Syst. p. 331, n. 22. — Ent. II, p. 145. n. 49.

Ichn. persuasorius Sulzer Gesch. tab. 26 fig. 12. 13. (m. et f.); in *Helvetia.*

„ Herbst p. 32, n. 3. (Icon, tab. 57. A. fig. 3 exhibita, ex Icon. Schaeff. tab. 80, fig. 2 mutuata, ad speciem aliam spectat, de qua conferre velis quae in nota ad hanc speciem monebo).

„ Gmel. ed. Linn p. 2618, n. 16.

„ Villers p. 145, n. 34; in Gallia australi. (Secundum auctorem haec species pedibus est omnino rufis, aculeo pedibus concolore, quod cum nostris individuis haud convenit).

„ Razoumowsky p. 214, §. 245.

„ Christ tab. 33, fig. 1 et 2. (Icones perperam exhibitae. Secundum auctorem color maris niger in chalybaeum micat, qnod cum nostris maribus haud congruum est).

„ Panzer Fauna Fasc. 19, tab. 18; in hortis et sylvis.

„ Olivier p. 172, n. 42.

„ Cederhielm p. 158, n. 486.

„ Dwigubsky p. 165, n. 572; in hortis.

„ Walckenaer p. 54, n. 27.

„ Latreille Crust. XIII, p. 181. — Diction. XI, p. 537; segmentorum puncto singulo laterali albo. (?).

„ Panzer ad Schaeff. Icon. tab. 80, fig. 3 (de figura 2 conferas notam).

„ Schaeffer Icon. tab. 103, fig. 1. (de qua conferas notam).

Ichn. persuasorius Lamarck p. 137, n. 1.
„ Thunberg Ichn. n. 539.
Pimpla persuasoria Fabr. Piez. p. 112, n. 1; habitat in *Europa boreali.*
Ichn. maculatus Christ tab. 33, fig. 3 (? forsan hujus, forsan autem *R. superbae,* n. 122, varietas est. Conferas notam, huic speciei subjunctam).

Nota:

Variat haec species tibiis posticis brevioribus et longioribus, interdum subarcuatis, fere sicut in *curvipede*, n. 117. Quo breviores tibiae sunt, eo obscuriores, interdum fere totae nigrae, esse solent. Individua tibiis brevioribus saepius inter minora reperiuntur, quorum puncta alba abdominis minora, et margines albi segmentorum anteriorum latius interrupti atque in puncta duo dissoluti esse solent; nec vero sine exceptionibus, nam interdum quoque individuis majoribus tibiae posticae nigricantes et puncta abdominis minora sunt. Etiam picturae albae scutelli et thoracis majoribus distinctiores et elegantiores esse solent; sed unicum tantum vidi individuum, idque masculum, omnium maximum et ornatissimum, cui quoque segmenti 2 margo albus integerrimus erat, nullo vestigio interruptionis, e collectione *Mangeri.*

Ichneumon Schaefferi Icon. tab. 80, fig. 2 differt a figura 3, supra allegata, praesertim punctis duobus dorsalibus albis singuli segmenti in lineam transversalem coalitis, pedibusque posticis totis

rufis. Panzer jam in adnotatione ad Schaefferi Icon. tab. 103, fig. 1, pag. 112 hanc differentiam agnovit, his verbis: „Secundum descriptionem „Linnaei in Fauna suecica, n. 1593, *Ichn. persua-„sorius* ibidem ille est intelligendus, cujus figura „hac in tabula (103, fig. 1) bene expressa est. De-„terminare enim in praesentia nollem, an pedes „postici nigri notam suppeditent constantem, ad „speciem aut varietatem eo explicandam, seu, an „individua pedibus posticis nigris, exceptis iis pe-„dibus omnibus rufis, *Ichneumonem persuasorium* „verum profiteantur. Si liceat sententia posteriori „inniti, vix ac ne vix illum, quem in Fauna ger-„manica depictum curavi, huc adducere fas erit. „Verum enim est, illum, a Schaeffero, tab. 80, „fig. 2, depictum, aliam atque prorsus alienam „indicare speciem, neutiquam cum *Ichn. persua-„sorio* Linnei confundendam.“ Ego quidem nullus dubito, quin *Ichn. persuasorius* Panzeri Faunae et Schaefferi Icon. tab. 80, fig. 3 ad unam eandemque speciem, et quidem ad hanc nostram, referri debeant, utrique enim tibiae posticae obscuriores, fusco-rufae, sunt; sed Schaefferi tab. 80, fig. 2 forsan ad *Ichn. polyzonium* Schrankii Faun. Boic. n. 2050 (ubi Schrank quidem Schaeff. t. 103, fig. 1 citat, quae vero cum descriptione polyzonii minus congruit quam tab. 80, fig. 2) spectaret, nisi thorax maculatus et scutellum album esset. Forsan vero etiam illa fig. 2 tabulae 80 ad *Ichn. maculatum* Christii, supra dubie citatum, adhiberi posset, a quo autem longitudine 16 linearum, ma-

culis thoracis et segmentorum marginibus albis, vertice nigro orbitis oculorum albis (facies haud videri potest), differt.

Ichn. persuasorius Sulzer Kennz. t. 18, fig. 116 haud est Pimpla, sed aliquam similitudinem habere videtur cum nostro *Mesosteno gladiatore*, a quo tamen scutello albo differt.

120. R. LEUCOGRAPHA. n.

Albomaculata; segmentis intermediis utrimque macula una magna laterali; pedibus fulvis, posticorum tibiis et tarsis fuscescentibus. f. (aculeo longissimo).

Statura et proportio partium omnino *clavatae*, n. 123; areola subsessili.

Longitudo fere 9—10 linearum. *Caput* palpis testaceis; orbitis oculorum internis et lineola marginis lateralis occipitis albidis. *Antennae* porrectae, dimidio corpore longiores, fuscae aut fusco-ferrugineae. *Thorax* lineis duabus longitudinalibus dorsalibus, macula laterali colli, puncto sub alis, linea longitudinali utrimque ad latus pectoris, puncto laterali metathoracis, alteroque infra scutellum, nonnunquam etiam punctis quatuor dorsalibus metathoracis, albis. *Scutellum* macula alba. *Alae* subhyalinae aut subfulvescenti-hyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula fulvis; areola triangulari subregulari sessili. *Pedes* fulvi; postici tibiis et tarsis ferrugineis, supra fuscis.

Abdomen segmento 1 vel immaculato, vel punctis duobus et margine subtestaceis; 2 punctis duobus lateralibus utrimque, anteriore (i. e. basi propiore) obliquo, albidis; sequentibus macula laterali, irregulari aut longitudinali, interdum quoque margine dorsali membranaceo, albidis; 3—6 margine laterali producto, eodem modo ac in *Pimpla superba*, n. 122. *Aculeus* corpore duplo longior (apice mutilato), fuscus, terebra rufa.

Unam feminam *Manger* cepit circa *Warmbrunn;* alteram, minorem, segmento primo et metathoracis dorso immaculatis, vidi in museo *Klugii.*

121. R. OBLITERATA. n.

Segmentorum ultimorum margine dorsali albomembranaceo; scutello picturisque capitis et thoracis albis; pedibus rufis, posticorum tibiis tarsisque fuscis, f. (aculeo longitudine corporis).

Statura et proportio partium ut in *persuasoria*, n. 119; sed areola minore.

Longitudo 8—10 linearum. *Caput* palpis rufis, orbitis oculorum internis albis. *Antennae* subtus ferrugineae aut fuscae. *Thorax* lineis duabus longitudinalibus dorsalibus, lineolaque transversali sub scutello, testaceoalbidis. *Scutellum* testaceo-albidum. *Alae* fulvohyalinae, stigmate fulvo aut testaceo, radio fusco, radice et squamula fulvis aut flavis; areola triangulari petiolata. *Pe-*

des rufi, antici subtus subflavicantes; postici tibiis tarsisque nigris aut fuscescentibus. *Abdomen* segmentis 3—7 dorso membrana sordide-alba marginatis, marginibus interdum obsoletis; 3—6 lateribus productis sicut in specie sequente. *Aculeus* longitudine corporis, seu paulo longior, niger, terebra aut rufa aut fusca aut nigra.

Unam feminam cepi mense Octobris circa *Vratislaviam;* duas alias vidi in museo *Klugii.*

122. R. SUPERBA.

Flavomaculata; prothoracis et segmenti secundi dorso lineis duabus longitudinalibus, maculave, flavis; pedibus fulvis. m. f. (*mas* abdomine longo lineari depressiusculo; *fem.* abdomine breviore compressiusculo).

Mas:

Longitudo 9—14 linearum. *Caput* palpis testaceis; orbitis oculorum externis latis rufotestaceis, individuo majori in vertice fere contiguis; hoc individuo praeterea, fascia lata faciei et orbitis oculorum frontalibus testaceo-flavis, distincto. *Antennae* filiformes, dimidii corporis longitudine; subtus ferrugineae, apicem versus sensim obscuriores, articulo primo individui majoris subtus flavicante. *Thorax* gibbulo-cylindricus, transversim-rugulosus, lineis duabus longitudinalibus parallelis dorsi ferrugineis; colli lateribus et punctis duobus superis, macula laterali

ante alas, puncto laterali prothoracis, metathoracis dorso et lateribus, testaceo-rufis; puncto infra alas lineolaque infra scutellum flavis; individuo minori punctum laterale prothoracis deest, latera metathoracis autem fere tota nigra sunt. *Scutellum* testaceorufum. *Alae* fumatohyalinae, stigmate fulvo, radio fusco, radice straminea, squamula testacea; areola triangulari petiolata. *Pedes* fulvi aut rufi, femoribus tibiisque subtus apice flavis; coxis posterioribus summa basi summoque apice nigris, individuo minori etiam extrorsum pro parte nigris; tarsis posticis et medio tibiarum posticarum fuscis. *Abdomen* longum gracile, dimidio thorace vix paulo latius, thorace quadruplo longius, lineari-cylindricum depressum nitidissimum laevissimum; segmentis omnibus latitudine duplo longioribus; 2 margine emarginato, sequentibus profundius triangulariter excisis; 1 et 2 individuo majori dorso rufo, macula flava ante marginem; minori solo 1 dorso badio, 2 toto nigro; sequentibus utrimque angulo apicali rufo. *Styli* seu valvulae anales duae, depressiusculae subconicae aut semicylindricae, membrum linguaeforme includentes, longitudine dimidia segmenti ultimi.

Individua duo *Besser* e *Volhynia* transmisit.

Femina?

Statura et proportio partium omnino *R. leucographae*, n. 120, et *clavatae*, n. 123; abdomine tamen angustiore.

Longitudo 8—10 linearum. *Caput* flavum; occipite, vertice, macula faciali mandibulisque, nigris; oculis fusco-cinereis. *Antennae* filiformes, dimidio corpore longiores, fuscae, subtus fuscoferrugineae. *Thorax* colli margine laterali et puncto ante alas ferrugineis; prothoracis dorso lineis duabus longitudinalibus testaceo-rufis; puncto infra alas, lineola sub scutello, maculisque duabus magnis dorsalibus metathoracis, flavis. *Scutellum* flavum. *Alae* fumato-hyalinae, stigmate radice et squamula fulvis, radio fusco; areola triangulari subpetiolata. *Pedes* anteriores flavi, femoribus supra fulvis; postici dilute-rufi, coxis extrorsum nigris, tibiis et tarsis extrorsum subfuscescentibus. *Abdomen* badio-nigrum; segmento 1 canaliculato, margine dorsali, seu maculis tribus marginalibus, testaceo-flavis; 2 lineis duabus longitudinalibus dorsalibus approximatis testaceis; 3—7 macula laterali basali, irregulari aut orbiculari, flava; 3—6 lateribus margine, sub specie laminae triangularis adpressae, segmenti proximi basin lateralem obtegentis, producto. *Aculeus* fere abdomine duplo longior, fuscus, vaginis apicem versus ferrugineis.

Duas feminas (circa *Halam Saxonum* captas?) *Germar* mecum communicavit.

Synonyma feminae:

Ichn. superbus Schrank Austr. n. 707.

„ Villers pag. 153, n. 56; habitat in *Gallia australi.*

Ichn. superbus Gmel. ed. Linn. p. 2683, n. 108.
„ Schrank Boica n. 2066.
Ichn. citrarius Olivier p. 176, n. 61; longitudo 7—9 linearum; habitat in *Gallia* et *Germania*.
Ichn. citratus Walckenaer p. 55, n. 34.
Ichn. Leske p. 58, n. 156 b, cum icone. (Errant Gmelin et Olivier, qui hunc Leskei Ichneumonem, bene distinctum, pro varietate *persuasorii* receperunt).

Nota:

Schrank in Fauna Boica, l. c., laudat ad hanc speciem Schaefferi Icon. tab. 81, fig. 4, quae autem ad speciem sequentem spectat. — Idem auctor, in Fauna Austr. nec non Olivier et Walckenaer, ad hanc Pimplam adhibent Ichneumonem Geoffroi p. 335, n. 32, seu *Ichn. citratum* Fourcr., maculis flavis lateralibus abdominis quidem huic speciei respondentem, reliquis autem satis discedentem, nam auctor picturarum thoracis capitisque nullam facit mentionem et describit Ichneumonem longitudine 6½ linearum, alis nigricantibus etc. quem pro vero Ichneumone haberem, nisi auctor adderet, segmentum primum solito minus coarctatum esse. — *Banchum quadratum* Schellenbergii t. VIII ad nostram speciem adhiberem, nisi auctor expresse moneret, Banchum suum areola alarum carere.

123. R. CLAVATA.

Rufa, flavo-maculata. m. f. (aculeo corpore longiore).

Statura et proportio partium speciei antecedentis.

Mas:

Longitudo 13 linearum. *Caput* flavum, circa antennas nigrum, oculis cinereis. *Antennae* dimidii corporis longitudine, porrectae, rufae. *Thorax* nigro-flavoque varius. *Scutellum* flavum. *Alae* exacte sicut in femina. *Pedes* fulvi, femoribus anterioribus geniculo flavicante. *Abdomen* thorace angustius, capite thoraceque fere quadruplo longius, lineare, depressum, laeve, nitidum, fulvorufum; segmento 1 apice flavo; 2 basi et lateribus nigris, apice subflavicante; 3—6 puncto marginali flavo, incisura triangulari, 3—4 basi nigra; 7 macula marginali nigra, incisuraque marginali; 3—7 ventre rima longitudinali, margine profunde-incisis. *Styli* duo anales exacte ut in specie antecedente.

Hunc marem *Schwaegrichen* cepit, cum femina, in trunco abietis prope *Lipsiam*.

Femina:

Longitudo 8—15 linearum. *Caput* vel rufum, orbitis oculorum omnibus flavo-fulvis, vel flavum, interdum occipite et macula faciei rufis. *Antennae*

subtus basin versus ferrugineae. *Thorax* rufus, dorso obscuriore, suturis lateralibus ut plurimum nigris; lineis duabus dorsalibus, puncto sub alis, linea transversali sub scutello, plerumque maculis duabus magnis metathoracis flavis. *Scutellum* plerumque flavum. *Alae* fulvohyalinae, stigmate fulvo, radio fulvofusco, radice et squamula flavicantibus aut fulvoferrugineis; areola subregulari, majore minoreve, petiolata aut subpetiolata. *Pedes* rufi aut fulvi; antici subtus flavescentes; medii tibiis subtus, femoribus apice, interdum femorum atque coxarum latere toto infero, flavescentibus; postici plerumque apice femorum et tibiarum flavescente. *Abdomen* rufum; segmento 1, macula apicali flava; 2 margine nigro, interdum obsoleto, plerumque macula flava; 3—5 ut plurimum nigro- aut fusco-maculatis, macula utrimque in medio lateris flava; sequentibus plerumque nigromaculatis, interdum macula laterali flava; omnibus his maculis flavis majoribus minoribusve, distinctioribus aut obsoletioribus; segmentis 3—6 lateribus productis sicut in specie antecedente. *Aculeus* corpore longior niger, vaginis vel totis vel apice rufis aut ferrugineis.

Individua quaedam, circa *Genuam* et *Parisios* lecta, mihi transmissa sunt; *austriacum* vidi in museo *Klugii, lipsiense* in museo *Schwaegrichenii.*

Synonyma feminae:

Ichneum. geminatorius Panzer ad Schaefferi tab. 81, fig. 4; habitat in sylvaticis

(conferas notam ad speciem antecedentem).

Ichn. perlatus Christ p. 356, tab. 36, fig. 6.

Ichn. clavatus Fabr. Ent. Supl. p. 227, n. 189; habitat *Halae Saxonum.*

Pimpla clavata Fabr. Piez. p. 118, n. 29.

F A M I L I A IX,

seu subgenus:

TRACHYDERMA,

a verbo τραχυδέρμος, cutem habens scabram — ob abdomen scabrum.

Abdomine sessili elongato aciculato-scabro; scutello gibbo; areola triangulari; pedibus crassiusculis.

Caput transversum parvum, thorace angustius, subpilosellum, punctum; facie subconvexa, confertissime puncta, opaca. — *Oculi* ovato-oblongi. — *Antennae* filiformes, fere corporis longitudine. — *Palpi* breves filiformes. — *Thorax* gibbus, subtiliter punctus, nitidulus, subpilosellus; metathorace confertius et crassius puncto, subopaco, lineis quatuor dorsalibus longitudinalibus parallelis elevatis, exteriore postice in spinulam obtusam excurrente. — *Scutellum* gibbum opacum crassepunctum. — *Alae* subamplae; areola triangulari regulari subsessili, cellula interiore transversa, vestigio nullo nervi dividentis. — *Pedes* breviusculi crassiusculi. — *Abdomen* thorace paulo angustius at fere duplo longius, sessile, subdepressiusculum, opacum, aciculato-scabrum; segmentis 1—5 exacte aequilatis, 1 latitudine parum longiore, 2—5 transversis, 6 subquadrato, apicem versus paulo angustato, 7 perparvo; 1 et 2 lineis duabus dorsalibus longitudinalibus parallelis elevatis nitidioribus, 3 basi vestigiis obsoletis linearum duarum, 7 rima ventrali longitudinali pro exsertione *membri* (*virilis*), e valvulis compositi duabus brevissimis, vix exsertis, compressiusculis subconico-lanceolatis, intus concavis.

Femina hujus maris mihi adhuc incognita est.

De relatione hujus familiae ad *Pimplas* et *Metopios* jam sub Pimplis quaedam attuli.

---

124. T. SCABRA. n.

Nigra; femoribus tibiis tarsisque rufis. m.

Longitudo fere 6 linearum. *Alae* fumatohyalinae; stigmate radio et radice fuscoferrugineis, squamula fusca. *Pedes* femoribus tibiis tarsisque fulvo-rufis, horum posticis articulis 2—5 fuscis.

Marem unicum *Sahlberg* e *Fennia* transmisit.

GENUS VII.

METOPIUS.

Abdomine sessili convexo scabro; scutello quadrangulari, angulis apicalibus acutis, aculeo abscondito).

Caput transversum breve; facie subconcava, margine elevato circumdata. — *Oculi* ovales. — *Antennae* longitudine mediocri, subcrassiusculae, porrectae aut apice paululum curvatae. — De antennis et *partibus oris* consule notam ad M. necatorium. — *Thorax* gibbus. — *Scutellum* quadratum, planum aut gibbulum, marginibus lateralibus elevatis, apice in acumen rectum, plus minus distinctum, excurrentibus. — *Alae* mediocres; areola majore, vel transversa vel subrhombeata aut subtriangulari. — *Pedes* mediocres, postici femoribus crassiusculis. *Abdomen* sessile subcylindricum convexum, thoracis latitudine, eo autem duplo aut plus duplo longius, punctis confertis crassiusculis opacum; segmentis transversis aut subquadratis, marginibus nitidioribus, incisuris profundioribus distinctis; segmento primo reliquis paulo angustiore et breviore, tuberculis lateralibus ad basin sitis. — *Aculeus* haud exsertus. Quotquot specierum et individuorum hujus generis examini subjeci, tamen differentias sexuales externas eruere mihi haud successit. — Omnibus e segmenti ultimi apice duo styli exigui exserti erant; in multis praeterea duo alia instrumenta, fere, ut hac utar comparatione, tanquam mandibulae clausae, sub segmento ultimo in conspectum veniebant; saepe autem haec instrumenta pro parte

aut omnino abscondita erant. In *M. necatorio,* omnium frequentissimo, haec instrumenta vel exserta vel plus minus abscondita erant; in duobus *micratorii* individuis distinctissima. Cum itaque structura partium genitalium externarum in omnibus hujus generis individuis eadem sit, de differentia sexuali eorum nihil proferre possum, quae clarius e sectionibus anatomicis, in pluribus individuis instituendis, saepiusque repetendis, appareret.

Hoc genus habitu toto, imprimis autem forma scutelli, a reliquis omnibus Ichneumonidibus abdomine sessili convexo, praecipue a *Pimplarum* familiis, satis differt.

---

1. M. SICARIUS. n.

Segmentis anterioribus flavo-marginatis, marginibus medio interruptis; pedibus nigris aut fuscis, ferrugineo-maculatis.

Statura et proportio partium speciei sequentis. *Longitudo* 4¾ — 6½ linearum. *Caput* interdum orbitis oculorum internis et linea infra antennas ferrugineis aut flavis, tenuibus. *Antennae* vel totae ferrugineae, vel nigrae articulo 1 plerumque subtus puncto albo. *Alae* plus minus fumatohyalinae; nubecula marginali versus apicem obscuriore, stigmate fulvo aut piceo aut fusco, radio ferrugineo aut fusco, radice fusca aut picea aut testacea, squamula nigra, areola triangulari. *Pedes* colore variabiles: [1]) fusco-castanei, coxis obscurioribus: [2]) fusci; antici subtus ferruginei; interdum tibiis omnibus totis ferrugineis; postici coxis nigris: [3]) nigri; anteriores latere infero femorum et tibiarum ferrugineo-testaceo: [4]) nigri; antici geniculis nec non tibiarum summa basi summoque apice subtestaceis, tarsis fuscis. *Abdomen* subnigro-coerulescens aut purpurascens, interdum linea media longitudinali elevata, segmentis 1—3 vel flavomarginatis, marginibus medio interruptis, vel puncto parvo flavo utrimque in angulo apicali; 4 margine flavo, vel integro vel interrupto.

Individuum maximum, abdomine purpurascente, segmentis 1—3 puncto parvo utrimque flavo, 4

margine medio interrupto flavo, pedibus varietatis primae, alterumque abdomine subcoeruleo, segmentis 1—3 margine interrupto, 4 margine integro, flavo, pedibus varietatis tertiae, *Bonelli* e *Regione Pedemontana* mecum communicavit. Individuum, maximo pedemontano simile, sed pedibus varietatis quartae, *Richter* in *Silesia* cepit. Duo, pedibus varietatis secundae, vidi in museo *Comitis de Hoffmannsegg*, sub nomine *sicarii*, n. sp.

Nota:

Individuum coerulescens *Bonelli* transmisit sub nomine *Ichneumonis dissectorii* Panzeri Faun., fasc. 98 tab. 14, qui quidem pedibus flavis, femoribus tarsisque posticis nigris, differt, sed, mutabilitate coloris pedum hujus speciei, facile ejus varietas esse potest.

2. M. NECATORIUS.

Segmentis 1, 3, 4, 5, flavomarginatis; pedibus capite et thorace flavo-maculatis.

Longitudo 5—7 linearum. *Caput* facie concava, marginibus elevatis, vel omnibus vel solis lateralibus, latioribus aut angustioribus, flavis; interdum facie flava, linea lata aut macula media nigra; palpis interdum flavis aut ferrugineis. *Antennae* filiformes, corpore paulo breviores, rarius fere totae nigrae, solis articulis 3—14 subtus ferru-

gineis, sensim obscurioribus, plerumque subtus omnibus ferrugineis, excepto 1 vel toto nigro vel subtus flavo. (Descriptionem accuratiorem antennarum et oris leges in nota ad hanc speciem). *Thorax* gibbus; lanugine tenui albicante, imprimis lateribus, vestitus; linea ante alas, alteraque seu puncto infra alas, flavis; una alterave interdum extincta; nonnunquam etiam punctis maculisve duabus metathoracis dorsi, rarius macula laterali prothoracis et punctis duobus parvis dorsalibus ante scutellum, flavis. *Scutellum* rarius totum nigrum; plerumque angulis apicalibus acutis, vel etiam margine toto apicali, flavis. *Alae* mediocres, imprimis radium versus fumatohyalinae, rarius hyalinae, apicem versus fulvo-hyalinae; stigmate et radio ferrugineis aut fulvis; radice nigra, rarius testaceopicea; squamula nigra; areola transverse-triangulari, irregulari aut subregulari; sessili aut subpetiolata. *Pedes* mediocres, femoribus posticis crassioribus; coxis nigris; trochanteribus rarius ferrugineis, plerumque nigris apice flavo, posticis interdum, mediis rarissime, totis flavis; femoribus anterioribus plerumque nigris, latere altero vel toto vel linea longitudinali flavo aut ferrugineo, mediis interdum solo apice ferrugineo, rarius nigris apice et basi flavis, posticis ut plurimum basi flavis, apice nigris, rarius nigris, summa basi, vel etiam summo apice, ferrugineis, rarissime totis nigris; tibiis flavis aut ferrugineis, anterioribus rarius extrorsum fuscescentibus, posticis plerumque apice plus minus nigricante, raris-

sime nigris, introrsum ferrugineis; tarsis flavo-ferrugineis aut ferrugineis, posticis plerumque articulis 2—5 obscurioribus aut fuscis. *Abdomen* thorace duplo longius, eo autem vix paulo angustius, cylindricum, punctum; segmento 1 brevissimo flavo, basi, plerumque linea media longitudinali, nigra; 2 puncto flavo utrimque in angulo apicali, interdum obsoleto; 3—5 rarissime etiam 6, margine flavo; ultimis interdum subnigro-coeruleis.

Individua nonnulla legi passim in *Silesia* et circa *Helmstadium*, mensibus Iulii et Augusti, in fruticetis et umbellatis. — Alia ad me transmissa sunt, circa *Trajectum ad Moenum*, *Norimbergam*, *Dresdam*, *Niesky*, *Vindobonam* et in *Regione Pedemontana*, capta.

Varietas:

1. *Thorace toto nigro.* — *Scutellum* vel totum nigrum, vel margine apicali flavo aut testaceo, interdum medio interrupto. *Pedes* vel ¹) toti fusco-ferruginei, antici tibiarum latere interiore et femorum apice sordide-testaceis, vel ²) coxis nigris; trochanteribus anterioribus nigris apice flavo, posticis totis flavis; femoribus nigris, anticis supra seu apice flavis, posterioribus basi et apice flavis; tibiis flavis, posticis apicem versus fuscis aut nigris; tarsis flavis aut testaceis, posticis vel apicibus articulorum, vel articulis 2—5 totis, fusco-nigris. — Caetera sicut in plurimis individuis genuinis.

Individua duo, pedibus var. 1, vidi in museo *Comitis de Hoffmannsegg*, alia quaedam, pedibus var. 2, in *Silesia* et circa *Meiningen* lecta, ad me transmissa sunt.

Synonyma:

Ichn. necatorius Fabr. Ent. II, p. 144, n. 45. — Piez. p. 62, n. 42. (*Ichn. necatorius* Thunb., n. 550, segmentis quatuor anticis margine flavis, vix huc referri potest),

Peltastes necatorius Illiger in Rossii Faun. II, p. 55.

Metopius necatorius Panzer Revis. II, p. 79.

„ Trentep. in Isidis 1826 III, p. 295.

Ichn. vespoides Panzer Fauna fasc. 47, tab. 19; habitat in dumetis floribundis. — ad Schaeff. icon., tab. 128, fig. 5 (ubi autem segmenta 1 et 2 tota nigra sunt).

„ Latreille Crust. XIII p. 184, n. 20 (? niger; basi abdominis, segmentis omnibus, excepto secundo, margine flavis).

„ Scharfenberg p. 975, n. 41; in floribus et fruticetis; (quid sint linea marginalis flava alarum, punctaque duo flava, magis retro sita in alis, quorum auctor in descriptione mentionem fecit, plane nescio. — Pro *Ichneumone vespoide* Scopolii, quem auctor allegat, legendum est *Sphex vespoides* Scopolii).

Crypturus vespoides Lamarck p. 142, n. 6.

Synonyma dubia:

Ichn. Reaumur II, tab. 35, fig. 22.

Sphex vespoides Scopoli Carn., n. 789; duae natae sunt e pupis *Phalaenae lanestris.* (Segmentis 3 et sequentibus flavomarginatis a nostris individuis differt).

Ichn. vespiformis Schrank Austr., n. 728; habitat *Viennae.* (Facie sulphurea, nulla maculae nigrae facta mentione, quo haec species a nostra discedit).

„ Gmel. ed. Linn. p. 2697, n. 165.

„ Villers p. 181, n. 142 (addit auctor verba: *in nostris frons* (facies) *nigra, attamen eadem et mas;* sed in nostris facies nec tota flava nec tota nigra est).

„ Olivier p. 221, n. 89. (Verba Schrankii: *Abdomen basi, et apice segmentorum 2, 3, 4 et 5 cingulo sulphureo, ut adeo omnia segmenta apice flava sint, demto primo, quod ejus loco basi flavum est,* Gallus perperam verbis: *avec la base du 2, 3, 4 et 5 anneaux jaune* reddidit).

„ Schrank Boica, n. 2124; in larvis *Bombycis populi.*

Ichn. bimaculatus Gmel. ed. Linn. p. 2699, n. 276; in larva *Phalaenae fimbriae.* (Facie flava et antennis subtus flavis a nostra specie differt; coloris pedum nulla mentio facta est).

Nota:

Descriptio accuratior antennarum et oris, auctore *Neeseo ab Esenbeck*, haec est:

Antennae filiformi-setaceae, rectiusculae, divergenti-arcuatae, articulis 53: Radicula brevi pateraeformi immersa; scapo subcylindrico, diametrum longitudine vix excedente, apice extrorsum parum obliquo, concaviusculo; pedicello exserto brevi disciformi; articulo accessorio annuliformi angustissimo; reliquis arcte contiguis; quinto longiori obconico, reliquis omnibus transversis, anterioribus 2 et 3 paulo longioribus, caeteris aequalibus, oblique-disciformibus, extremo ovato obtuso.

Clypeus non discretus, margine infero rotundato; aut, si mavis, brevissimus depressus, marginibus hypostomatis elevatis rectis, in angulum medium contiguis, superne diremtus. — *Labrum* perpendiculare, basi corneum semicirculare, laeve, pubescens, appendice apicis brevi, anguste-triangulari, obtusa, membranacea, ciliata. — *Mandibulae* e basi lata triquetro-conicae, infirmes, facie supera et exteriori barbatis subconfluentibus, angulo obtuso, interiori latiori, concava, apice angusto integro, oblique-acuto, margine infero ibidem brevi spatio canalicula tenui discreto, basi deorsum in dentem seu angulum obtusum (calcar) prominente. — *Maxillae* labii altitudine, idque amplectentes: *Stipes* corneus compressus, facie inferiori angustissima lineari hirsuta, interiori membranacea: *Mala* stipitis longitudine et latitu-

dine (a latere visa) biarticulata integra, articulo infero membranaceo majori, introrsum in lobum obtusum planiusculum, linea perpendiculari elevata discretum, dilatato, supero minore coriaceo obscuriori subquadrato, margine supero rotundato ciliato. — *Palpi maxillares* mala triplo longiores, recurvi subsetacei hirti, quinque-articulati: articulo 1 subclavato truncato angustiori; 2 et 3 obconicis, basin versus valde angustatis, apice introrsum altius eminente, illo subcompresso crassissimo, hoc minore, minus incrassato; 4 cylindrico tenuiori; 5 filiformi acuto gracili; ratio longitudinis 1. 2. 3/5. 4. — *Labium: Mentum* corneum breve ovatum, vix compressum, convexum, hirsutum, inter palpos in lobum obtusum productum, integrum: *Lingua* longitudine et latitudine menti, ascendens, membranacea subquadrata, apice truncato-retusa nuda, angulis obtusis deflexis. — *Palpi labiales* lingua duplo longiores, recti crassi filiformes hirti, quadriarticulati: articulo 1 obconico, 2 obcordato latiori, 3 obconico, paulo angustiori, 4 subcylindrico obtuso, basin versus aliquantum attenuato, reliquis tenuiori; 1, 2 et 4 inter se longitudine aequali, 3 breviori.

Observatio: Descriptio oris, a Panzero elaborata, bona. Cur autem Latreille, Metopii genus Ichneumonibus adjiciens, mandibulas subaequelatas, valide bidentatas, his speciebus tribuerit, non video.

E descriptione supra edita patet, hanc speciem, ratione picturae capitis thoracis et pedum, per-

mutabilem esse. Nullum individuum alteri omnibus numeris respondet; indeque alii entomologi hanc speciem in duas pluresve partituri erunt. *Dahl* numerum harum specierum valde jam multiplicavit, nam individua plura *necatorii* nostri sub nominibus *Ichneumonis acanthatoris, Ichn. praedatoris, Lampridis* (?) *cingulatae, Lampr. vernalis, Lampr. nigrocephalae,* transmisit. Licet quidem his Dahlio haud adsentiar, tamen non possum non notare, individua illa, metathoracis lateribus et dorso flavo-maculatis, trochanteribus posterioribus totis flavis, tibiis anticis extrorsum fuscis (quae notae scilicet omnes in iisdem individuis conjunctae sunt), a Dahlio sub denominationibus *Ichneumonis acanthatoris* et *Lampridis nigrocephalae* communicata, circa *Vindobonam* et *Dresdam* capta, nec non in Museo *Comitis de Hoffmannsegg* asservata, a reliquis hujus speciei individuis etiam statura paulo crassiore, antennis pedibusque paulo validioribus, se distinguere. — Conferas notam ad speciem sequentem.

3. M. MICRATORIUS.

Facie et segmentorum 1, 3, 4, 5, 6 marginibus flavis; pedibus thorace et scutello flavo-maculatis.

Statura et proportio partium omnino praecedentis; antennis paululum longioribus, areola petiolata.

Longitudo 5½—6½ linearum. *Caput* ore et facie flavis, mandibulis apice nigris. *Antennae* fere corporis longitudine, nigrae; subtus dilutefulvae aut flavoferrugineae, articulis 1 et 2 flavis. *Thorax* linea ante alas, lineola seu puncto maculaque magna ovali seu linea perpendiculari laterali infra alas, interdum quoque punctis duobus metathoracis, flavis; pectore quibusdam rufo-castaneo. *Scutellum* margine apicali flavo. *Alae* plus minus fumatohyalinae, stigmate fulvo, radio ferrugineo, radice fusca, interdum puncto flavo, squamula nigra; areola transverse-triangulari regulari petiolata. *Pedes* coxis vel nigris, mediis, ut plurimum etiam anticis, rarius quoque posticis, macula flava, vel anterioribus totis flavis; trochanteribus flavis; femoribus anterioribus flavis, supra vel totis nigris vel macula fusca, posticis vel nigris, subtus a medio ad basin usque flavis, vel fulvis, supra apice nigris; tibiis et tarsis flavis, posticis extrorsum subferrugineis, tibiis posticis interdum apice fuscescente. *Abdomen* segmentis 1, 3, 4, 5, 6 margine flavo, 2 puncto anguli apicalis flavo, rarius flavomarginato, margine medio interrupto; 7 rarius margine flavo.

Quaedam individua legi, mense Augusto, in umbellatis, circa *Gottingam* et *Cudovam;* alia nonnulla, circa *Warmbrunn* et in *Regione Pedemontana* capta, mihi transmissa sunt; pedemontanum a reliquis differt pedibus magis flavis, segmentis 2 et 7 flavomarginatis.

Varietas:

1. *Scutello toto nigro.* — A specie genuina haec varietas differt abdomine crassiore et antennis brevioribus; magisque convenit statura cum individuis crassioribus speciei antecedentis, quorum in nota ad illam speciem mentionem feci. — *Longitudo* 6—7 linearum. *Caput* palpis et facie flavis; labro vel toto flavo vel punctis duobus flavis. *Antennae* dimidio corpore longiores; subtus articulis 1 et 2 flavis, sequentibus dilute-rufis aut ferrugineis, interdum apicem versus sensim totis nigris. *Thorax* macula ante alas, altera infra alas, interdum quoque punctis duobus dorsalibus unoque minuto laterali metathoracis, et punctis duobus prothoracis ante scutellum, flavis. *Alae* fumato-hyalinae, interdum versus radium obscuriores; radio et stigmate diluterufis aut testaceis, radice testaceopicea, squamula nigra; areola subsessili, interdum nervo exteriore incompleto abbreviato. *Pedes* flavi, coxis nigris; femoribus supra nigris, posterioribus basi flava, posticis vero etiam macula fusconigra in medio lateris flavi, vel apice toto flavo; tibiis posticis, rarius etiam anterioribus, extrorsum fuscis aut nigris; tarsis posticis, rarius etiam anterioribus, fuscis. *Abdomen* crassepunctum; segmento 1 vel flavo basi nigra, vel nigro, puncto angulorum flavo; 2 utrimque puncto angulari flavo; 3 — 6 margine flavo.

Unum individuum cepi circa *Vratislaviam*, idque antennis pedibus et segmento primo magis nigris; alterum *Besser* e *Volhynia* transmisit;

tertium, idque maculis flavis metathoracis et ante scutellum insigne, *Dahl* ex *Austria*, sub nominibus *Ichn. cinctatoris* Ziegl. et *Lampridis frontalis* Ziegl. mecum communicavit.

Synonyma:

Ichn. micratorius Fabr. Piez. p. 62, n. 41.
„ Thunb. Ichn., n. 553.
Peltastes micratorius Illiger in Rossii Fauna II, p. 55.
Metopius micratorius Trentep. in Isidis 1826, III, p. 296.

Nota:

Illiger hanc Fabricii speciem cum *Ichn. variegatore* Rossii Faun., n, 772 conjunxit, qui autem fronte flava, macula media nigra (in Faunae ed. 1790, tab. X, fig. 13 caput totum nigrum est), segmentorum omnium marginibus pedibusque flavis, femorum basi (coxis?) nigra, differt. Rossi huic Ichneumoni abdomen tribuit *compressum*, quod Illiger, in editione secunda, in *depressum* commutavit. — *Ichn. lunulatus* Villers p. 203, n. 224 et Olivier p. 219, n. 74, nec non *Ichn. variegator* Olivier p. 191, n. 140, qui ad Rossii *variegatorem* adhibiti sunt, a nostra specie differunt segmentis omnibus flavomarginatis, pedibus flavis, femoribus posterioribus aliquoties interne fusco-maculatis. — Forsan autem omnes hi Ichneumones varietates sunt unius ejusdemque speciei,

cum qua vel ipse *Metopius necatorius*, n. 2, consociari posset. —

Rossi in Mantissa jam conjecit, *Ichneumonem variegatorem* Fabr. huc haud spectare; nec *Ichn. variegator* Villersii, Gmelini et Christii ad *Metopium* adhiberi possunt, sed ad *Ichn.* (*Banchum*) *variegatorem* Fabr.

De Schaefferi Icon. tab. 130, fig. 4, quem Panzer pro *Bancho variegatore* Fabr. habet, incertus adhuc sum, quia segmentorum omnium marginibus flavis gaudet; forsan ad nostrum *Banchum compressum* referri posset, a quo femoribus posticis totis fulvis et segmentis ultimis distinctissime flavomarginatis differt.

Iurine p. 108 de *Metopio micratore* profert, feminam a mare, segmentis omnibus flavomarginatis, antennisque rufis, discrepare; ad marem autem laudat *Ichn. dissectorium* Panz. Faun. fasc. 98, tab. 14, qui vero etiam colore et picturis capitis thoracis abdominis et pedum a nostro micratorio satis discedit, potiusque cum *Metopio sicario*, n. 1 congruere posset.

Sphex vespoides Scopolii, *Ichn. vespiformis* Schrankii, et *Ichn. bimaculatus* Gmelini, quos jam inter synonyma dubia speciei antecedentis recensui, forsan etiam ad hanc speciem adhiberi possent.

4. M. DENTATUS.

Segmentis flavomarginatis; pedibus flavis, basi nigromaculatis; facie thorace et scutello flavomaculatis.

Statura et proportio partium omnino antecedentis.

Longitudo 7—8 linearum. *Caput* palpis ferrugineis aut fuscis; facie vel tota flava, vel macula nigra, vel solis marginibus elevatis flavis. *Antennae* vel rufae, subtus fulvae, vel fuscae, subtus fulvae aut rufae; articulo 1 semper nigro, subtus flavo. *Thorax* linea ante alas, rarius in punctum contracta, puncto seu lineola infra alas, punctis duobus ante scutellum, plerumque punctis duobus ante abdomen, linea transversali sub scutello, maculaque laterali prothoracis, interdum cum lineola infra alas confluente, flavis. *Scutellum* apice flavo. *Alae* fulvescenti-hyalinae, stigmate et radio fulvis, radice et squamula fuscis, hac macula ferruginea aut flava. *Pedes* flavi; coxis vel totis nigris, vel anterioribus subtus flavescentibus; trochanteribus vel nigris, apice summo flavo, vel totis flavis; femoribus anterioribus vel totis flavis, vel tribus lateribus subferrugineis, interdum linea longitudinali nigra, posticis vel nigris, apice et basi summa flavis, vel flavis, extrorsum ferrugineis macula fusca, vel nigris, basi apice et introrsum flavis. *Abdomen* segmentis omnibus flavomarginatis, 1 interdum margine flavo medio interrupto.

Quaedam individua accepi, circa *Genuam* et in *Regione Pedemontana* lecta; quaedam vidi in museo *Comitis de Hoffmannsegg* et e collectione *Dahlii*, itidem italica. — Maximum, inter pedemontana, macula flava laterali prothoracis deficiente: linea flava ante alas autem in punctum contracta, a reliquis differt. Dahlii individuum, sub nomine *Lampridis bellatoris* Ziegl. missum, femoribus posticis nigris, basi et apice flavis, se distinguit.

Synonyma:

Ichn. dentatus Fabr. Spec. p. 436, n. 99. — Ent. p. 180, n. 192; habitat in *Norwegiae* lucis et larvis.

„ Villers p. 200, n. 212.

„ Gmel. ed. Linn. p. 2707, n. 181.

„ Olivier p. 196, n. 160.

Pimpla dentata Fabr. Piez. p. 119, n. 30.

GENUS VIII.

BASSUS.

Abdomine sessili depresso; segmento primo deplanato, aequilato; segmentis ultimis feminae interdum compressis.

FAMILIA I,

seu subgenus:

BASSUS,

Areola vel nulla vel triangulari; antennis pedibusque mediocribus aut gracilibus; (aculeo subexserto, suberecto).

Caput breve transversum latum. — *Oculi* prominentes ovales; individuis, facie tota flava distinctis, minores et subglobosi. — *Antennae* vel mediocres porrectae, vel graciliores curvatae. — Harum et *partium oris* descriptio fusior in notis ad B. festivum et albisignatum exhibita est. — *Thorax* gibbus aut gibbulus. — *Scutellum* convexum aut gibbulum, vel subquadratum, vel triangulare apice obtuso. — *Alae* mediocres aut subamplae; areola vel nulla vel triangulari, cellulae interioris nervo inferiore exteriore angulato. — *Pedes* vel mediocres, vel subgraciles et subelongati. — *Abdomen* sessile depressiusculum, nitidum, basi plerisque opacum et tenerrime punctum; thorace longius, feminis plerisque longitudine thoracis; latitudine thoracis seu paulo angustius; vel, maribus praecipue, lanceolato-ovatum apice acuto, vel sublineare apice obtusiore, feminis autem apicem versus plus minus compressum. *Segmentum primum* subcanaliculatum; vel quadratum, idque praeprimis speciebus abdomine latiore, vel latitudine longius, aequilatum, idque ut plurimum speciebus abdomine angustiore; *Basso graculo* autem basin versus sensim angustatum; tuberculis lateralibus ad basin, vel inter medium et basin, sitis. — *Aculeus* vix subexsertus, suberectus.

De affinitatibus hujus Familiae cum *Tryphonibus*, *Plectiscis*, *Glyptis*, *Lissonotis*, *Polysphinctis*, *Schizopygis*, haec subgenera conferre velis. — *Orthocentri* a Bassis differunt imprimis pedibus posticis crassioribus, cellulae interioris nervo inferiore exteriore recto, nec angulato. — Feminae plurimae Bassorum, abdomine sessili, apice compresso, aculeo vix exserto, analogiam quamdam cum *Banchis* prodere videntur, sed habitu toto et areolae defectu satis differunt.

Nota:

Panzer, in Revisione critica, generi Bassorum quidem characteres praefixit, ab instrumentis cibariis desumtos; cum vero auctor speciem haud designaverit, dubius sum, an os veri Bassi examinatum sit.

---

1. B. RUFIVENTRIS. n.

Abdominis medio pedibusque rufis, coxis posticis basi nigris; ore flavo.

Longitudo $2\frac{1}{5}$ — $2\frac{3}{4}$ linearum. *Caput* ore flavo. *Antennae* filiformes porrectae, corpore vix breviores, fuscae aut fusco-ferrugineae subtus ferrugineae articulo 1 nigro aut rufo. *Thorax* gibbus. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula flavis. *Pedes* mediocres subgraciles rufi; coxis posticis nigris, apice rufo, anterioribus vel sicut posticae vel totis rufis. *Abdomen* capite thoraceque paululum longius et angustius, depressiusculum, sessile, sublanceolatum; segmento 1 nigro, subquadrato, basin versus sensim parum angustato, canaliculato; 2 et 3 rufis, 2 nonnunquam linea transversali nigricante obsoleta, medio interrupta, ante basin; 4 vel fuscocastaneo, basi castanea, vel rufo lateribus nigris; sequentibus nigris. *Stylus* analis subexsertus obtusus pilosellus, genitale masculum esse videtur.

Duo individua cepi, mense Augusto, in umbellatis circa *Warmbrunn;* tertium, *norimbergense, Sturm* mihi transmisit.

Nota:

Haec species, statura et proportione partium, medium tenet inter hanc familiam *Bassorum* et familiam secundam *Tryphonum;* imprimis autem

Tryphoni procuratori, n. 174 affinis est; sed segmento 1 magis quadrato (licet minus quadrato quam in reliquis Bassis cognatis, basin versus sensim paulo angustato), areola nulla, etc. a Tryphone illo differt. Hic Tryphon vero a reliquis familiae suae speciebus plurimis abdomine sessili, segmento primo breviore et latiore differt, hisque Bassis multum respondet, eo magis, cum segmenta 2 et 3 linea impressa transversali quasi dimidiata sint, sicut in plurimis Bassis.

2. B. ELEGANS. n.

Abdominis medio rufo; pedibus fulvis, coxis et trochanteribus nigroflavoque-pictis, tarsis posticis nigris; facie, thoracis picturis, scutelli apice, flavis. m.

Statura et proportio partium maris speciei sequentis; sed areola triangulari.

Longitudo $2\frac{2}{3}$ linearum. *Caput* ore facie genisque flavis. *Antennae* articulo 1 subtus flavo. *Thorax* linea ante alas, lineola infra alas, colli macula laterali, sutura laterali inter prothoracem et metathoracem, nec non linea longitudinali utrimque ante pectus, flavis. *Scutellum* margine apicali flavo, interdum obsoleto. *Alae* fumato-hyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula flavis; areola oblique-rectangulari subsessili. *Pedes* fulvi; anteriores coxis et trochanteribus flavis, his basi nigra; postici coxis nigris, linea vel

etiam apice flavis, trochanteribus flavis basi nigra, tarsis et tibiarum summo apice nigris. *Abdomen* segmentis 1 et 2 aciculato-scabriculis nigris, 2 plerumque apice fulvo; 3 rufo aut fulvo; 4 rarius toto nigro, ut plurimum rufo fascia basali nigra; reliquis nigris.

Quosdam mares *Manger* cepit circa *Warmbrunn*.

3. B. FESTIVUS.

Abdominis medio, tibiis, femoribusque rufis. m. f. (*mas* facie et antennarum articulo primo subtus flavis, coxis et trochanteribus nigroflavoque variis; *femina* puncto faciali flavo, coxis et trochanteribus nigris, abdominis apice compresso).

Haec species a sequente, cui peraffinis est, statura tota et capite paulo latioribus differt.

Longitudo maris 1¾—2¼, feminae 1½—fere 3 linearum. *Caput maris* facie et ore flavis; apice mandibularum, interdum quoque lineis duabus longitudinalibus faciei, nigris; *feminae* palpis flavis, mandibulis vel totis nigris, vel puncto ferrugineo aut flavo, puncto faciali flavo, interdum supra inciso. *Antennae* filiformes, *mari* corpore breviores, subtus testaceae aut ferrugineae, articulis 1 et 2 flavis, *feminae* dimidii corporis longitudine vel parum longiores, apice subcurvatae, nigrae aut fuscae, interdum subtus totae aut pro

parte ferrugineae. (Descriptionem accuratiorem oris et antennarum in nota, huic speciei subjuncta, addidi). *Thorax* gibbulus, feminae paulo gibbosior, mari plerumque puncto flavo sub alis. *Alae* mediocres, hyalinae, feminae interdum subfumatohyalinae, stigmate et radio fuscis aut piceis, radice et squamula flavis. *Pedes* mediocres rufi; *mari* dilutiores, coxis anterioribus vel totis pallide-flavis, vel puncto nigro, vel nigris apice pallide-flavo, posticis nigris, interdum apice flavo, trochanteribus pallide-flavis, posticis plerumque basi nigra, tibiis posticis ut plurimum summo apice fuscescente aut nigro, tarsis posticis interdum fuscis articulo 1 sordide-fulvo, apice fusco; *feminae* trochanteribus et coxis nigris, illis interdum apice fulvis, postici tibiis apice nigricantibus, tarsis vel totis vel apicibus articulorum nigricantibus. *Abdomen maris* capitis thoracisque longitudine vel paulo longius, thorace angustius vel ejus latitudine, sublineare seu lineari-fusiforme, depressiusculum; segmentis 1 et 2 nigris aciculato-scabriculis, 2 plerumque rufomarginato, interdum subscabriculo; 3 rufo, nonnunquam disco nigro; 4 vel toto rufo, vel nigro, margine obsolete rufescente, rarius toto nigro; sequentibus nigris, interdum marginibus badiis, 5 rarius toto rufo; *feminae* capitis thoracisque longitudine et latitudine, seu paulo angustius, segmentis 3—7 sensim compressis, ultimis ancipitibus; segmentis 1 et 2 nigris, 2 plerumque margine rufo, rarius toto rufo; 3 rufo, plerumque margine nigro; reliquis nigris,

4 interdum basi rufa. *Aculeus* vix subexsertus niger.

Mares et feminas legi, mensibus Iunii—Septembris, circa *Warmbrunn*, *Cudovam*, *Oedelem*, praesertim in umbellatis, rarius in fruticetis et in gramine; utrumque sexum etiam e *Vindobona Sickershausen* et *Parma* accepi. Singulas feminas legi, mensibus Iulii et Augusti, in umbellatis circa *Helmstadium* et *Barterodam*; aliaeque, circa *Halam Saxonum*, *Norimbergam* et *Genuam* captae, ad me transmissae sunt.

Varietates:

1. *Facie tota nigra.* f. — Caetera sicut in plurimis feminis genuinis.

Individua quaedam legi cum genuinis.

2. *Coxis et trochanteribus anterioribus flavis, thorace plerumque flavomaculato.* m. f. —

Mas: Longitudo 2 linearum. *Thorax* linea ante alas, lineola infra alas, linea laterali ante coxas anticas, sutura laterali inter prothoracem et metathoracem, flavis. *Pedes* anteriores dilute-fulvi, femoribus subtus nigris, coxis et trochanteribus flavis; postici ferruginei, tibiis paulo pallidioribus, trochanteribus flavis basi nigra, coxis nigris apice flavo. *Abdomen* segmento 2 apice fulvo; 3 fulvo, fascia media nigra, medio interrupta; 4 summo margine castaneo. — Caetera ut in plurimis maribus genuinis.

Femina: Thorax rarius totus niger; plerumque puncto sub alis, altero seu lineola ante alas, flavis; rarissime linea lata, apice hamata, ante alas, sutura laterali inter prothoracem et metathoracem, arcuque pectorali, flavis. *Pedes* fulvi aut rufo-fulvi; anteriores ut plurimum pallidiores, coxis et trochanteribus flavis, plerumque coxarum basi nigra, interdum quoque basi trochanterum nigra; postici coxis nigris, aut apice flavo, trochanteribus flavis, basi plerumque nigra, tarsis, vel etiam apice tibiarum, fuscescentibus; femoribus omnibus plerumque subtus basin versus nigris. *Abdomen* segmento 2 margine rufo; 3 rarius toto, plerumque basi sola, rufo; 4 interdum lateribus rufis. — Caetera sicut in plurimis feminis genuinis.

Unicum marem pluresque feminas *Manger* legit circa *Warmbrunn*. Feminas nonnullas cepi, mensibus Iunii et Iulii, in gramine circa *Vratislaviam;* aliae, circa *Sickershausen, Trajectum ad Moenum* (haec thorace maculatissimo), *Vindobonam, Genuam,* nec non in *Regione Pedemontana, Gallicia* et *Fennia* lectae, mecum communicatae sunt. *Neeseo ab Esenbeck* feminae prodibant e larvis *Curculionis polygoni.*

3. *Abdomine nigro, incisura secunda rufa; lineola flava ante alas.* f. — *Longitudo* fere 2 linearum. *Pedes* rufi; coxis anterioribus flavis, summa basi plerumque nigris, posticis nigris, ut plurimum summo apice flavo; trochanteribus flavis, posterioribus basi nigris; femoribus subtus,

basin versus, nigris; tarsis posticis plus minus fuscescentibus. *Abdomen* nigrum; segmento 2 summo margine, 3 summa basi, rufis. — Caetera sicut in feminis plurimis genuinis.

Feminae tres, circa *Warmbrunn* et *Aboam* captae, mecum communicatae sunt.

Synonyma:

Ichn. festivus Fabr. Ent. Supl. pag. 230, n. 213; habitat *Halae Saxonum*.
Ophion festivator Fabr. Piez. p. 140, n. 45.
Ichn. festivator Thunb. Ichn. n. 273.

Nota:

De antennis et oris partibus *Nees ab Esenbeck* haec mecum communicavit:

Antennae filiformes rectae breves, articulis 18; pedicello brevi tenui obconico; scapo crasso subconico, extrorsum obliquo, concavo; pedicello exserto disciformi; articulo accessorio distincto annuliformi angustiori; quinto, sequente fere duplo longiore, sextoque obconicis; reliquis cylindricis, longitudine latitudinis aequalibus, ultimo duplo longiore cylindrico obtuso. (Conferas quae infra de antennis varietatum hujus speciei monui).

Clypeus non discretus, apice retusus. — *Mandibulae* infirmes, parum arcuatae, compressae, basi vix dilatatae, facie exteriori plana, basi rugulosa, interiori concava, marginibus supero et infero obtusis, apice truncato, brevissime inciso,

dentibus valde inaequalibus, infero minuto acuto, supero lato truncato retuso, angulis acutis, unde mandibulae apice in speciem tridentatae. — *Maxillae* labrum amplectentes et ejusdem longitudine: *Stipes* compressus, facie infera cornea lineari-lanceolata, acuta convexa laevi glabra: *Mala* membranacea subquadrata, stipite latior, bifida, laciniis aequalibus, infera trapeziformi, introrsum rotundata et aliquantum prominente, tenuiori, supera firmiori, fere semicirculari, ciliata. — *Palpi maxillares* mala duplo longiores, setacei recurvi pilosuli quinquearticulati, articulis longitudine subaequalibus; 1 et 2 crassioribus, illo clavato truncato, hoc cultrato; 3 subcylindrico, basi angustiori; 4 obconico, reliquis breviori; 5 oblongo obtuso. — *Labium: Mentum* corneum obconico-compressum convexum laeve glabrum, apice tridentatum, dentibus subaequalibus: *Lingua* menti longitudine et paulo latior, membranacea subascendens obovato-subrotunda fornicata integerrima, margine supero rotundato ciliato, facie superiori rugis concentricis notata. — *Palpi labiales* lingua vix longiores, incurvi pilosuli quadriarticulati, articulo 1 clavato truncato; 2 subgloboso, apice truncato, subcompresso, latiori; 3 obconico angustiori; 4 clavato-oblongo obtuso; ratio longitudinis $\frac{1}{4}$. $\frac{2}{3}$.

Individua varietatis secundae, longitudine antennarum picturaque, medium tenent inter speciem genuinam *festivi* et *Bassum sulcatorem* sequentem, ambosque jungere videntur. Antennae *festivi*

genuini breviores sunt et crassiores, articulis 22, (saltem in omnibus a me examinatis individuis, tam masculis quam feminis); sed numerus articulorum inconstans est, cum *Nees ab Esenbeck* antennas octodecimarticulatas descripserit, et in individuis longicornibus varietatis secundae numerus iste ad 25, 27, 29 augeatur, ex mea observatione. Hoc articulorum numero varietas illa melius congruit cum specie sequente.

4. B. SULCATOR. n.

Abdominis medio rufo; pedibus fulvis, coxis et trochanteribus flavis. m. f. (*mas* facie et antennarum articulo 1 subtus flavis; *femina* ore flavo, antennarum articulo 1 subtus rufo, abdomine apice subcompresso).

Haec species a praecedente differt statura antennisque gracilioribus et longioribus. Conferas tamen quae in nota ad illam monui.

Longitudo 1⅔—2⅓ linearum. *Caput* ore, mari quoque facie, flavis. *Antennae* filiformes, corpore paulo breviores, apice plus minus curvatae, fuscae; subtus plerumque, imprimis basin versus, ferrugineae aut sordide-flavicantes; articulis 1 et 2 semper subtus mari flavis, feminae rufis aut rufoflavis. *Thorax* gibbulus, lineola flava infra alas. *Alae* mediocres hyalinae aut subfumatohyalinae, irideae, stigmate et radio piceis aut piceo-stramineis, radice et squamula flavis. *Pedes*

graciles fulvi, coxis et trochanteribus pallidioribus aut flavis. *Abdomen* capite thoraceque paulo angustius et longius, seu eorum longitudine, feminae apicem versus compressum; segmento 1 latitudine paulo longiore, aciculato, canaliculato aut subcanaliculato, nigro; 2 laevi aut subaciculato, nigro, margine rufo; 3 rufo aut fulvo, interdum puncto laterali nigro; 4 mari rufo aut fulvo, interdum puncto laterali aut margine nigro, feminae vel sicut mari, vel nigro aut nigro-fusco lateribus et basi rufis; 5 mari nigro aut fulvo seu rufo, plerumque tamen margine nigro, feminae nigro, interdum margine aut lateribus fulvis; reliquis nigris. *Aculeus* subexsertus, oblique-erectus.

Mares et feminae, circa *Warmbrunn*, nec non in *Hungaria* et *Volhynia*, capti, mecum sunt communicati, maresque singuli, circa *Sickershausen*, *Aboam* et in *Tauria* lecti; unum ipse cepi mense Iulii in gramine prope *Vratislaviam*; feminam cepit *Spangenberg* circa *Gottingam*, unamque *lusitanicam* vidi in museo *Comitis de Hoffmannsegg*.

Varietates:

1. *Thorace flavo-maculato*. m. f. (fem. *articulo* 1 *antennarum toto fusco*). — *Longitudo* maris $1\frac{2}{3}$—$2\frac{1}{3}$, feminae $2\frac{1}{2}$ linearum. *Caput* maris sicut in genuinis, feminae ore et puncto faciali flavis, *Antennae* feminae ferrugineae, subtus dilutiores, articulo 1 toto fusco. *Thorax* linea

ante alas, lineola infra alas, sutura laterali inter prothoracem et metathoracem, mari insuper plerumque linea obliqua seu puncto laterali, supra coxas medias, flavis; rarissime mari omnibus his picturis flavis, praeter lineolam supra coxas medias, extinctis. *Alae* et *pedes* sicut in genuinis; mari tamen saepe coxis posticis nigris apice flavo, rarius quoque basi trochanterum posticorum et linea lateris inferioris femorum nigris. *Abdomen maris* segmento 2 margine rufo, 3 rufo aut fulvo, interdum puncto laterali nigro, 4 rarius toto nigro aut toto fulvo, plerumque margine aut puncto laterali nigro, seu nigro margine fulvo aut dorso castaneo, caeteris sicut in mari genuino; *feminae* segmento 3 toto rufo, 2, 4 et 5 margine rufis.

Par hujus varietatis, circa *Genuam* captum, a *Spinola* mecum communicavit. Marem unum cepi, cum genuino, mense Iulii, in gramine prope *Vratislaviam;* plures alii, circa *Warmbrunn*, *Gottingam*, *Sickershausen* et *Taurinum* lecti, mihi transmissi sunt; unum *lusitanicum* vidi in museo *Comitis de Hoffmannsegg*. — Mas *genuensis* et alter *warmbrunnensis* a reliquis differunt thorace nigro, sola lineola supra coxas medias flava. Mas *taurinensis*, die 2 Maji captus, unicus est trochanterum posticorum basi et linea femorum nigris.

2. *Coxis posticis nigris.* m. — *Longitudo* 2 linearum seu paululum longior. *Caput* interdum macula nigra infra antennas. *Coxae* posticae ni-

grae apice flavo. *Abdomen* colore variat: 1) segmento 2 rufo, interdum basi nigra, 3—5 rufis, 5 margine nigro; 2) segmentis 2 et 4 margine rufis, 3 rufo utrimque macula fuscescente. — Caetera sicut in plurimis maribus genuinis.

Individua tria circa *Vratislaviam* et *Warmbrunn*, quartum in *Fennia*, capta, ad me transmissa sunt. Alterum *warmbrunnense* a reliquis differt macula nigra faciei; *fennicum* est abdominis varietas 2.

3. *Antennis totis nigris; coxis plus minus nigris.* f. — *Longitudo* 1 2/3 — parum ultra 2 lineas. *Caput* ore et puncto minuto faciali flavis. *Thorax* puncto flavo infra alas. *Alae* sicut in specie genuina. *Pedes* rufi aut fulvi; coxis anterioribus vel flavis basi nigra, vel nigris apice flavo, posticis nigris apice flavo; femoribus basi summa plerumque plus minus fuscis; trochanteribus flavis. *Abdomen* segmento 2 margine, 3 toto, rufis aut fulvis.

Unam feminam cepi circa *Vratislaviam;* duas, easque majores, coxis anterioribus pallidioribus, *Comes de Küenburg* e *Hungaria* transmisit.

4. *Abdomine cingulis duobus aut tribus rufis, thorace plerumque flavomaculato.* m. — *Longitudo* 1 1/2 — 2 1/5 linearum. *Thorax* rarissime totus niger, ut plurimum puncto seu linea ante alas, interdum quoque sutura laterali, flavis. *Coxae* posticae nigrae apice flavo. *Trochanteres* postici

rarius basi nigra. *Femora* plerumque subtus basin versus nigra aut fuscescentia. *Abdomen* segmento 2 plerumque margine rufo; 3 margine, interdum quoque angulis baseos seu basi tota, rufis; 4 rarius margine rufo. — Caetera maribus genuinis respondent. —

Individua quaedam legi passim in *Silesia* et circa *Trajectum ad Viadrum*, mensibus Iulii — Octobris, plurima in fruticetis, pauca in gramine; alia, circa *Sickershausen*, *Genuam*, *Taurinum*, *Aboam*, *Netley*, lecta, ad me sunt transmissa.

5. *Abdomine cingulis duobus stramineis, pedibus posticis fuscomaculatis.* m. — *Longitudo* 2 linearum. *Thorax* sutura ante alas, lineolaque infra alas, flavis. *Pedes* anteriores pallide-flavi; postici coxis et trochanteribus pallideflavis, femoribus rufis, externe fuscescentibus, basin versus obscurioribus, tibiis piceis, basi apiceque fuscis, tarsis piceis. *Abdomen* segmentis 2 et 3 margine stramineis.

Individuum unicum *Hope* cepit circa *Netley*.

Nota:

De affinitate hujus speciei et antecedentis conferas quae in nota, antecedenti subjuncta, monui. Individua varietatis 1 et 4, trochanteribus posticis basi coxisque posticis nigris, ad *festivum* propius accedunt.

Nees ab Esenbeck primo hanc speciem ab antecedente segregavit, et varietatem ejus primam, sub nomine *sulcatoris* mecum communicavit.

5. B. PALLIPES. n.

Abdominis medio stramineo; pedibus fulvis, coxis anterioribus pallidioribus, tarsis posticis et tibiarum posticarum apice fuscis; scutelli lateribus, linea ante alas, oreque albidis. m.

Statura et proportio partium maris antecedentis; pedibus tamen paulo brevioribus et crassioribus, nec non areola differt.

Longitudo 2 linearum. *Caput* ore albido. *Thorax* linea ante alas flava, apice hamata. *Scutellum* lateribus testaceo-albidis. *Alae* hyalinae irideae, stigmate et radio stramineis, radice et squamula albis; areola triangulari irregulari subpetiolata. *Pedes* fulvi; anteriores coxis et trochanteribus pallidioribus; postici tarsis, tibiarum apice et trochanterum basi fuscis. *Abdomen* nigrum; segmento 2 apice, 3 toto, stramineis; 4 basi piceo.

Marem unicum *Manger* cepit circa *Warmbrunn.*

6. B. SIGNATUS. n.

Abdominis medio pedibusque rufis, coxis et trochanteribus anterioribus flavis; facie et thorace flavomaculatis. f.

Statura et proportio partium feminae *B. sulcatoris*, n. 4; segmento primo autem paulo latiore et areola differt.

Longitudo 2—2½ linearum. *Caput* ore et macula faciali flavis. *Antennae* ferrugineae aut rufae, articulis 1 et 2 nigris. *Thorax* linea ante alas, lineola infra alas, initioque suturae lateralis inter prothoracem et metathoracem, flavis. *Alae* hyalinae irideae; stigmate et radio stramineis, squamula et radice albis; areola triangulari irregulari sessili. *Pedes* dilute-rufi, coxis et trochanteribus anterioribus flavis. *Abdomen* segmento 1 nigro, vel margine summo rufo; 2 et 3 rufis, interdum macula dorsali fusca; 4 et 5 rufis, dorso nigro; sequentibus nigris. *Aculeus* vix subexsertus.

Duo individua *Manger* cepit circa *Warmbrunn.*

Varietas:

1. *Scutello et metathorace rubro-maculatis.* f. — *Longitudo* 2⅔ linearum. *Metathorax* maculis duabus rotundis rubricosis. *Scutellum* apice rubricoso. *Abdomen* segmento 1 apice et lateribus rufis; 2 et 3 rufis; 4 lateribus rufis. — Caetera exacte sicut in genuinis.

Unicam feminam *Manger* cepit circa *Warmbrunn.*

7. B. CINCTUS. n.

Segmentis intermediis flavomarginatis; pedibus rufis, trochanteribus et coxis flavis, tarsis posticis nigris; apice scutelli, picturis thoracis, facie et articulo primo antennarum flavis. m.

Statura et proportio partium speciei sequentis, sed abdomine breviore et latiore.

Longitudo 2—2½ linearum. *Caput* ore facie et genis flavis. *Antennae* articulo 1 subtus flavo. *Thorax* collo, linea lata ante alas, suturisque lateralibus, flavis. *Scutellum* macula apicali, majore minoreve, flava. *Alae* hyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula flavis. *Pedes* rufofulvi, trochanteribus et coxis flavis; postici coxarum basi tarsis et tibiarum apice summo nigris. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius, thorace vix paulo angustius, subdepressum; segmentis 1 et 2 aciculatis opacis, sequentibus sensim laevioribus et nitidioribus; 2—4 margine, 5 angulis apicalibus, flavis. *Stylus* analis subexsertus cylindricus.

Unum individuum cepi, die 3 Septembris, in umbellatis prope *Reinerz*, alterum *Manger* cepit circa *Warmbrunn*.

8. B. EXSULTANS. n.

Segmentis intermediis albido-testaceo-marginatis; pedibus rufis, coxis et trochanteribus flavis, tarsis posticis et apice tibiarum posticarum fuscis; scutello, pectore, picturis thoracis, facie et latere infero antennarum, flavis; areola nulla. m.

Longitudo 2—3¼ linearum. *Caput* facie genis oreque flavis. *Antennae* filiformes, corpore paulo breviores, subtus flavae. *Thorax* gibbus; linea seu macula ante alas, altera minore infra alas, picturis majoribus minoribusve laterum et pectoris, plerumque lineola transversali sub scutello, flavis. *Scutellum* flavum. *Alae* mediocres hyalinae, stigmate et radio fuscis aut piceis, radice et squamula flavis. *Pedes* graciles, dilute-fulvi, coxis et trochanteribus pallide-flavis; postici tarsis et tibiarum apice fuscis aut subfuscescentibus. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius, thoracis latitudine aut paulo angustius, subfusiforme, segmentis 2 et 3 quadratis; segmento 1 aciculato scabro aut subscabriculo; 2 subscabriculo et 3 margine albo aut testaceo-rufo; interdum quoque 4 et 5 albidomarginatis.

Unum individuum cepit *Roentgen,* mense Iunii, in *Hercynia;* quaedam alia, in *Etruria, Regione Pedemontana* et prope *Netley* lecta, ad me transmissa sunt. Italica ab omnibus reliquis, etiam

a varietatibus, coxis posticis fulvis se distinguunt; *netleyanum* unicum est segmentis 4 et 5 albomarginatis.

Varietates:

1. *Segmento 2 albidomarginato, margine medio subinterrupto; sequentibus omnibus angulis apicalibus albis.* — Caetera mari genuino minimo respondent.

Unum cepi, die 26 Septembris, in fruteto prope *Trajectum ad Viadrum.*

2. *Segmentis omnibus albido- aut testaceomarginatis.* m. — Caetera sicut in mari genuino.

Duo individua *Manger* cepit circa *Warmbrunn.*

3. *Segmentis 2 et 3 rufomarginatis, 3 basi flava.* m. — *Thorax* colore flavo pectoris obsoletiore. *Abdomen* thorace angustius, lineare, segmentis 2 et 3 latitudine longioribus. — Caetera sicut in maribus genuinis.

Unum individuum cepi circa *Gottingam.*

Synonyma:

Ichn. laetatorius var. Gravenh. Uebers., n. 3759.

Nota:

Inter varietates hujus speciei, picturis abdominis tam variabilis, forsan quoque notandi sunt: *Ichn. quadricinctus* Schrank Berchtesgad, n. 89,

abdomine nigro, segmentis 2—5 flavomarginatis; et *Ichn. dimidiatus* Schrank Boica, n. 2109, abdomine nigro, punctis duobus segmenti tertii flavis; reliquis notis cum nostro *exsultante* bene convenientes.

9. B. STRIGATOR.

Segmentis intermediis basi albidis; pedibus fulvis, trochanteribus et coxis flavis; tibiis posticis albidis, apice fuscis, tarsis posticis fuscis; scutelli lateribus, pectore, thoracis picturis, facieque, flavis; areola triangulari. m.

Statura et proportio partium speciei antecedentis individuorum crassitudine corporis mediocri; sed areola differt.

Longitudo 2—2⅓ linearum. *Caput* ore facie genisque flavis. *Antennae* subtus pallidetestaceae, articulo 1 flavo. *Thorax* macula aut linea lata ante alas, lineola infra alas, colli lateribus, pectore, suturaque laterali inter prothoracem et metathoracem, flavis. *Scutellum* vel flavum, linea nigra longitudinali, vel nigrum, utrinque puncto albidoflavo. *Alae* hyalinae irideae, stigmate et radio piceis, radice et squamula flavis; areola triangulari irregulari subsessili. *Pedes* anteriores straminei aut dilute-fulvi, trochanteribus et coxis flavis; postici coxis et trochanteribus flavis, illis ut plurimum macula, aut latere supero toto, fulvo, femoribus stramineis aut fulvis, subtus linea lon-

gitudinali flava, tibiis albidis, apice et summa basi fuscis aut ferrugineis, tarsis fuscis aut ferrugineis. *Abdomen* segmentis 1 et 2 scabriculis, sequentibus nitidioribus; 3, vel 3 et 4, vel 3—5, fascia basali flava aut albida, fascia segmenti tertii, rarius quoque quarti, medio incisa.

Nonnulli mares, circa *Warmbrunn, Trajectum ad Moenum* et *Halam Saxonum* capti, mecum communicati sunt. *Halensis*, a *Germaro* ad me transmissus, idem est individuum, cui *Fabricius* in collectione *Hübneri* nomen *Pimplae strigatoris* adscripsit, segmentoque solo tertio basi albo a reliquis differt.

Varietas.

1. *Scutello toto flavo; segmentis 2—4 macula dorsali, 3 et 4 basi quoque, albidis.* m. — *Longitudo* paulo ultra 2 lineas. *Caput* sicut in genuinis. *Antennae* nigrae, articulis 1 et 2 subtus flavis. *Thorax* colli lateribus, macula, apice hamata, ante alas, lineola infra alas, linea transversali infra scutellum, sutura laterali, pectoreque, flavis, hoc punctis duobus nigris. *Scutellum* totum flavum. *Alae* sicut in genuinis. *Pedes* anteriores flavofulvi, trochanteribus et coxis flavis; postici coxis et trochanteribus flavis, puncto basali nigro, femoribus fulvis, tibiis sordide-albidis, apice et basi fuscis, tarsis fuscis. *Abdomen* segmento 1 puncto minuto exalbido ante marginem; 2—4 macula straminea ante marginem, margine ipso subtestaceo; 3 et 4 basi stramineo-albida.

Individuum *fennicum* unicum *Sahlberg* transmisit.

Synonyma:

Ichn. strigator Fabr. Ent. p. 173, n. 166.
„ Thunb. Ichn., n. 384.
Pimpla strigator Fabr. Piez. p. 117, n. 25.
„ Gravenh. Addit., n. 7.

10. B. BIGUTTATUS. n.

Segmento tertio punctis duobus albidis; pedibus anterioribus flavis, posticis fulvo-albo-nigroque variis; scutelli lateribus, picturis thoracis, facieque, flavis. m.

Statura et proportio partium antecedentis et maris *B. picti*, n. 13; sed areola deficiente, et ab antecedente praeterea segmento primo breviore, differt; colore medium tenens inter ambos.

Longitudo 2 linearum. *Caput* ore et facie flavis. *Antennae* subtus pallide-testaceae, articulo 1 flavo. *Thorax* linea ante alas, sutura transversali infra scutellum, suturis lateralibus inter collum et prothoracem et inter hunc et metathoracem, punctoque supra coxas medias, pallide-flavis. *Scutellum* margine laterali flavo. *Alae* subhyalinae irideae, radio et stigmate fuscis, radice et squamula flavis. *Pedes* anteriores fulvi, coxis et trochanteribus flavis; postici coxis nigris, subtus testaceo-albidis, trochanteribus testaceo-

albidis, femoribus rufis, tibiis nigris basi alba, tarsis nigris. *Abdomen* segmento 3 puncto albido pellucido in angulis baseos.

Unum marem cepi die 1 Octobris in rubetis prope *Scheidnich.*

11. B. PECTORATORIUS. n.

Pedibus rufis, coxis anterioribus flavis, posticorum tibiis albis apice nigro tarsis nigris; thorace et scutello rufo-flavoque variegatis. m. f. (*mas* facie antennisque subtus flavis; *femina* ore et orbitis oculorum internis flavis).

Longitudo maris $2\frac{1}{2}$—3, feminae $2\frac{1}{4}$—$3\frac{1}{2}$ linearum. *Caput maris* ore et facie flavis, *feminae* ore et orbitis oculorum internis, vel totis vel pro parte, pallide flavis, rarius obsoletis. *Antennae* filiformes, dimidio corpore paulo longiores, *mari* subtus totae flavae, *feminae* interdum subtus subtestaceae, articulo 1 semper toto nigro. *Thorax* gibbus; linea seu macula ante alas, lineola infra alas, altera transversali sub scutello, hac in femina nonnunquam deficiente, flavis; pectore et prothoracis lateribus, plerumque dorso toto aut maculis duabus dorsalibus, plus minus distinctis, rarius quoque macula laterali metathoracis, rufis aut fulvis. *Scutellum* rufum, apice plerumque flavo. *Alae* mediocres subhyalinae aut subfumato-hyalinae; radio et stigmate piceo-ferrugineis aut stramineis, rarius fuscis, radice et squamula pallide-

flavis; interdum areola triangulari irregulari subpetiolata, nervo exteriore obsoletissimo. *Pedes* mediocres subgraciles, fulvi aut fulvostraminei, coxis et trochanteribus anterioribus maris semper, feminae plerumque, flavis; postici trochanteribus, coxarum apice, mari interdum coxis totis, plerumque geniculis, flavis, tibiis sordide-albidis apice nigro aut fusco, tarsis nigrofuscis, basi articuli primi plus minus albida, praesertim in maribus. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius, thoracis latitudine; mari sublineare, angustius et apice obtusius; feminae lanceolato-fusiforme, apice acutiore; segmento 1 latitudine longiore; segmentis 1—2, interdum etiam 3, subscabriculis, linea transversali impressa, nonnunquam obsoleta, sequentibus nitidioribus; 2—6 interdum marginibus summis castaneis aut rufo-albentibus, plus minus distinctis. *Aculeus* vix exsertus niger.

Mares et feminae, circa *Warmbrunn* et *Sickershausen* lecti, mecum communicati sunt; mares nonnullos circa *Scheidnich*, *Trajectum ad Viadrum* et in *Hercynia* ipse legi, mense Septembri, in fruticetis. Feminas cepi prope *Scheidnich*, mense Iunii, in gramine, prope *Helmstadium*, mense Augusti, in fruticeto aphidibus obsesso. *Nees ab Esenbeck* feminam cepit vere in corylo; aliae quaedam, circa *Vindobonam* et *Norimbergam* captae, ad me transmissae sunt; unam *lusitanicam* vidi in Museo *Comitis de Hoffmannsegg*, sub nomine *Ichn. pectoratorii* novi.

12. B. FISSORIUS. n.

Pedibus rufis, posticis coxis tarsis et apice tibiarum nigris; scutelli margine, linea ante alas, ore et macula faciali flavis. f.

Statura et proportio partium feminae antecedentis; segmentis omnibus autem laevibus absque linea impressa.

Longitudo 2¾ — 3½ linearum. *Caput* ore et macula faciali flavis; mandibularum apice, nec non clypei disco aut margine, fuscis. *Thorax* linea ante alas, lineola infra alas anticas, puncto infra alas posticas, flavis; punctis duobus pallidis obsoletis sub scutello. *Scutellum* flavum disco nigro. *Alae* hyalinae, stigmate et radio fuscis, squamula et radice flavis. *Pedes* rufi; coxis nigris, anterioribus subtus macula pallida obsoleta; trochanteribus pallidis, basi ut plurimum nigricantibus; tarsis posticis, nec non tibiarum posticarum apice, nigris. *Abdomen* punctis subtilissimis impressum, segmento primo obsolete-canaliculato. *Aculeus* subexsertus.

Quaedam individua *Manger* cepit circa *Warmbrunn;* quaedam *Nees ab Esenbeck* legit circa *Sickershausen,* die 7 Iunii, inter *Aphides cerasi,* mecumque, sub nomine *Ichn. fissorii* nov. spec. communicavit.

13. B. PICTUS. n.

Pedibus rufis, tibiis posticis albis basi et apice nigris, tarsis posticis nigris; picturis thoracis et margine scutelli flavis. m. f. (*mas* facie, antennis subtus, coxisque anterioribus, flavis, coxis posticis nigris; *femina* ore et puncto faciali flavis).

Longitudo maris 2, feminae 2—2½ linearum. *Caput* maris ore et facie flavis, feminae ore et puncto faciali albido-flavis. *Antennae* filiformes, dimidio corpore longiores, mari subtus pallide-testaceae articulo 1 flavo. *Thorax* gibbus; macula seu linea ante alas, lineola infra alas, linea transversali infra scutellum, feminae interdum deficiente, mari quoque sutura laterali inter prothoracem et metathoracem, albidoflavis. *Scutellum* marginibus flavis, feminae plerumque solis lateralibus flavis. *Alae* mediocres, hyalinae aut subfumato-hyalinae, stigmate et radio piceis, radice et squamula flavis; areola triangulari irregulari, sessili aut subpetiolata. *Pedes* mediocres fulvi; anteriores coxis et trochanteribus pallidioribus aut flavis; postici tibiis albis, basi et apice nigris, tarsis nigris, mari quoque coxis et basi trochanterum nigris. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius et angustius, lineari-fusiforme; segmento 1 subquadrato vel latitudine paulo longiore, subscabriculo; 3 maris puncto albido-pellucido obsoleto in angulis baseos. *Aculeus* subexsertus.

Marem unicum duasque feminas cepi die 26 Septembris in fruticetis prope *Trajectum ad Viadrum.* Feminas nonnullas alias legi die 1 Octobris in rubetis prope *Scheidnich* et mense Iunio *Brunsuigae* in Philadelpho coronario; unam, circa *Warmbrunn* captam, *Manger* transmisit.

14. B. RUFIPES. n.

Pedibus rufis, posticorum tarsis tibiisque nigris, his basi albidis, apice scutelli albido. f.

Statura et proportio partium feminae *B. pectoratorii,* n. 11.

Longitudo 2—2⅓ linearum. *Thorax* puncto parvo albo infra alas. *Scutellum* apice albo. *Alae* subhyalinae, stigmate et radio piceis, radice et squamula albidoflavis. *Pedes* rufi; postici tarsis et tibiis nigris, his basi albida. *Abdomen* segmentis 1—3 scabriculis, 3 interdum vix subscabriculo, apice laevissimo. *Aculeus* subexsertus.

Duae feminae, circa *Warmbrunn* et *Genuam* captae, ad me transmissae sunt.

14 b. B. FLAVOLINEATUS. n.

Pedibus rufis, posticorum tarsis et tibiis nigris, his basi alba; macula faciali, lineis thoracis, apiceque scutelli, flavis. f.

Statura et habitus *B. rufipedis* antecedentis, segmento primo autem antennisque longioribus.

Longitudo 3 linearum. *Caput* macula faciali, palpis mandibulisque flavis, his apice nigro. *Antennae* porrectae, fere corpore paulo longiores. *Thorax* sutura ante alas, altera laterali inter prothoracem et metathoracem, lineaque transversali sub scutello, flavis. *Scutellum* apice flavum. *Alae* fumato-hyalinae, irideae, stigmate et radio nigro-fuscis, radice et squamula flavis. *Pedes* rufi; antici subtus flavicantes, coxis basi nigris; postici tarsis tibiisque nigris, his basi alba. *Abdomen* depressiusculum, capitis thoracisque longitudine, thorace paululum angustius; segmento 1 aequilato, latitudine duplo longiore; sequentibus transversis. *Aculeus* brevissimus subexsertus.

Unicum individuum, circa *Netley* captum, *Hope* ad me misit.

15. B. NIGRITARSUS. n.

Pedibus rufis, coxis omnibus tarsisque posticis nigris; linea alba ante alas. f.

Longitudo paulo ultra 2 lineas. *Caput* ore et clypeo pallide-stramineis. *Antennae* porrectae filiformes, corpore paululum breviores. *Thorax* gibbulus; linea ante alas lineolaque infra alas albis. *Alae* amplae hyalinae irideae, stigmate et radio fuscis, squamula et radice albidis; areola triangulari irregulari sessili. *Pedes* rufofulvi, coxis et trochanteribus nigris; postici insuper tarsis et tibiarum apice nigris. *Abdomen* capitis thoracis-

que longitudine et latitudine; segmento 1 puncto quadrato, 2 subtransverso puncto, 3 transverso nitidulo, sequentibus nitidis compressis. *Aculeus* vix subexsertus.

Feminam unicam *a Steven* misit *e Tauria.*

16. B. GRACULUS. n.

Pedibus rufis, basi nigris. f. ?

Habitu quidem haec species ad hanc familiam spectat, sed segmento 1, basin versus magis angustato, a cunctis reliquis cospeciebus discedit, et ad familiam secundam *Tryphonum* transit.

Longitudo parum ultra 2 lineas. *Antennae* porrectae setaceae, dimidio corpore longiores. *Thorax* gibbulus. *Alae* hyalinae irideae; stigmate et squamula fuscis, radice et radio albis, hoc stigma versus fuscescente. *Pedes* mediocres rufi; trochanteribus coxis et femorum basi nigris, tarsis posticis fuscis. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, thorace angustius, lanceolatum, subsessile; segmento 1 basin versus sensim angustato subscabriculo; 2 et 3 basi punctis opacis, apice laevibus nitidis; sequentibus nitidis. *Aculeus* (?) brevissimus obtusus.

Individuum unicum cepit *Manger* circa *Warmbrunn.*

17. B. DEPLANATUS. n.

Pedibus rufis; coxis anticis, tarsis tibiisque posticis, nigris, his basi alba; scutelli apice albo. m. f. (*mas* antennis medio ferrugineis, plerumque lineola flava ante alas).

Mas statura breviore latiore depressiore a reliquis cospeciebus discedit. *Femina* statura et proportione partium cum femina *Bassi picti*, n. 13, similibusque congruit.

Longitudo maris 2½ — fere 3, feminae 2⅕ linearum. *Caput* palpis testaceis; mari clypeo rufo aut ferrugineo, mandibulis medio flavis. *Antennae* maris filiformes, dimidio corpore longiores, rufae aut ferrugineae, apicem versus fuscescentes aut nigricantes, articulis 1 et 2 nigris. *Thorax* maris gibbus, plerumque linea transversali sub scutello, lineola seu puncto ante alas, alteroque infra alas, flavis; feminae, praeter lineolam infra scutellum, immaculatus. *Scutellum* apice flavum. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio fuscis aut piceis, radice picea aut albido-straminea, squamula albida; areola feminae nulla, mari irregulari petiolata, majore minoreve, rarius nulla. *Pedes* mediocres rufi; antici coxis nigris, subtus plus minus rufis; postici tarsis tibiisque nigerrimis, his basi summa albida, feminae geniculis nigris. *Abdomen* maris capitis thoracisque latitudine et longitudine, suboblongoovatum seu basin et apicem versus paulo angustatum, segmento 1 subquadrato, 2—4 longitudine duplo latioribus, 1 et 2 et basi

tertii subtilissime et confertissime aciculatis, praeterea lineis duabus longitudinalibus dorsalibus elevatis. *Aculeus* subexsertus.

Mares nonnulli, circa *Berolinum, Warmbrunn, Gottingam, Vindobonam* et *Aboam* capti, mecum communicati sunt. Feminam unicam cepi die 1 Octobris in rubetis prope *Scheidnich.*

18. B. ORNATUS. n.

Pedibus fulvis, coxis anterioribus flavis; tarsis tibiisque posticis nigris, his basi albis; facie, scutelli apice, picturisque thoracis et pectoris, flavis. m.

Statura et proportio partium maris sequentis; corpore tamen paulo graciliore et cellula cubitali intermedia differt.

Longitudo 2¾ linearum. *Caput* ore et facie flavis. (*Antennae* desunt). *Thorax* linea lata ante alas, lineola infra alas, alteraque infra scutellum, macula pectorali laterali, cum linea perpendiculari laterali confluente, suturaque laterali inter prothoracem et metathoracem, flavis. *Scutellum* apice flavo. *Alae* subhyalinae irideae, stigmate et radio fuscis, squamula et radice flavis; areola parva subregulari petiolata. *Pedes* fulvi; anteriores coxis et trochanteribus pallide-flavis; postici trochanteribus pallide-flavis, tibiis nigris, basi et introrsum albidis, tarsis nigris. *Abdomen* depressum, capite thoraceque paulo longius, thoracis

latitudine; segmento 1 scabriculo canaliculato; 2 scabriculo, apice laeviori, margine summo obsolete-castaneo; sequentibus sensim laevioribus et nitidioribus.

Marem unicum *Manger* cepit circa *Warmbrunn.*

19. B. LATERALIS. n.

Segmentis intermediis puncto laterali albo; pedibus rufis, coxis nigris, trochanteribus flavis, tarsis posticis tibiarumque posticarum apice fuscis; scutelli apice, linea ante alas, ore et orbitis oculorum internis flavis. m.

Statura et proportio partium maris *B. deplanati*, n. 17; paulo tamen angustior.

Longitudo fere 2½ linearum. *Caput* ore et orbitis oculorum internis pallide-flavis. *Thorax* linea ante alas, lineolaque infra alas, flavis. *Scutellum* apice summo flavo. *Alae* subfumato-hyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula flavis; areola nulla. *Pedes* rufi, trochanteribus flavis, coxis nigris; anteriores apice coxarum flavo; postici tarsis et tibiarum apice fuscis. *Abdomen* segmentis 1 et 2 scabriculis subopacis; 2—4 utrimque punctis singulis apicalibus, sensim obsoletioribus, albidis.

Marem unicum *Manger* cepit circa *Warmbrunn.*

20. B. ALBOSIGNATUS. n.

Segmento primo margine tenui albo; pedibus rufis, coxis anticis maximam partem nigris, tarsis tibiisque posticis nigris, his medio albis; scutello, ore et orbitis oculorum internis, albis, thorace maculato. f.

Statura et proportio partium omnino *B. laetatorii*, n. 26.

Longitudo 3—4 linearum. *Caput* palpis et mandibulis albis, his apice et basi nigris, clypeo vel toto albo vel nigro macula alba, orbitis oculorum internis albis. *Antennae* totae nigrae. (De antennis et ore conferas notam ad hanc speciem). *Thorax* linea transversali sub scutello, puncto seu lineola ante alas, ut plurimum quoque lineola infra alas, albis. *Scutellum* vel totum album, vel macula alba. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio nigris, radice et squamula albis; areola plurimis nulla, interdum autem triangulari irregulari subpetiolata, nervo exteriore tamen obsoletissimo. *Pedes* rufi aut rufofulvi; antici coxis et trochanteribus nigris, subtus albis, femoribus et tibiis nonnunquam subtus pallideflavis; medii coxis basi nigris, individuo maximo fere totis nigris; postici trochanterum basi ut plurimum nigra, tibiis albis, apice et summa basi nigris. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine seu paulo longius, thoracis latitudine seu paulo angustius, oblongo-ovatum seu subfusiforme; segmento 1 puncto aut

linea transversali marginis dorsalis albido; 2—4 linea media transversali impressa quasi dimidiatis, parte basali scabricula opaca, parte apicali nitidiore; 6 et 7 margine tenui albido, interdum subobsoleto. *Aculeus* brevissimus, plerumque absconditus.

Quaedam individua legi, mense Iulio, circa *Vratislaviam* in fruticetis; unum cepit *ab Uechtritz* in pino sylvestri prope *Pichelsberg;* nonnulla alia, circa *Warmbrunn, Niesky, Hannoveram, Sickershausen* et *Parisios* capta, mihi missa sunt.

Varietates:

1. *Segmento 1 toto nigro.* f. — *Longitudo* 2—4 linearum. *Coxae* et *trochanteres* antici majoribus individuis nigri sunt, subtus albi; minoribus coxae anticae subtus testaceae sunt, trochanteres autem toti testacei. — Caetera sicut in specie genuina.

Quaedam legi individua, mensibus Iunii—Augusti, in fruticetis, rarius in umbellatis, circa *Vratislaviam, Warmbrunn, Gottingam, Brunsvigam, Helmstadium;* quaedam, circa *Trajectum ad Moenum* et in *Regione pedemontana* capta, mecum communicata sunt.

2. *Macula faciali alba.* m. f. — *Caput* ore, orbitis oculorum internis, puncto aut macula faciali, albis. *Antennae* vel totae nigrae, vel articulo 1 subtus albo, articulis reliquis rarissime subtus ferrugineis. *Thorax* linea flava ante alas raris-

sime extincta. *Alae* rarissime stigmate et radio fuscopiceis. *Tibiae* posticae rarissime basi et apice ferrugineae. — Caetera individuis genuinis respondent.

Unum individuum cepi mense Iulii, in umbellatis, prope *Gottingam;* quaedam alia, circa *Vratislaviam, Warmbrunn, Sickershausen* et in *Regione pedemontana* lecta, mecum communicata sunt; *lusitanicum* vidi in museo *Comitis de Hoffmannsegg.* — *Pedemontanum* illud est quod in descriptione hujus varietatis qua individuum rarissimum distinxi.

3. *Segmento primo toto nigro, macula faciali alba.* m. — *Longitudo* fere 4 linearum. *Antennae* articulo 1 subtus albo. — Caetera sicut in specie genuina.

Individuum unicum *Besser* e *Volhynia* transmisit.

4. *Facie et coxis anticis totis flavis, segmento primo plerumque toto nigro.* m. — *Longitudo* 2—2½ linearum. *Caput* facie oreque totis flavis; apice mandibularum fusco aut ferrugineo. *Antennae* subtus fuscae aut ferrugineae aut testaceae, articulo 1 flavo aut albido. *Thorax* linea aut macula ante alas, macula aut puncto infra alas, plerumque linea transversali infra scutellum, interdum quoque suturae lateralis inter prothoracem et metathoracem supera parte, flavis aut albidis. *Scutellum* totum flavum aut albidum. *Coxae* et *trochanteres*

albidi aut pallideflavi, coxae posticae tamen maximam partem fulvae. *Abdomen* segmento 1 rarius vestigio lineae marginalis albae; 2—4 interdum summis marginibus aut latera versus badiis; 6 et 7 margine summo albido. — Caetera sicut in specie genuina.

Quaedam individua legi, mensibus Augusti et Septembris, in fruticetis circa *Gottingam* et passim in *Silesia;* alia, circa *Trajectum ad Moenum, Niesky* et in *Gallicia* lecta, ad me transmissa sunt.

Synonyma:

Bassus laetatorius fem. Panzer Fauna fasc. 100, tab. 14 et fasc. 102, tab. 18; habitat in pratis in floribus (haud vero est femina *laetatorii*, de qua conferas hunc ipsum, n. 26).

Ichn. periscelis Schrank Boica n. 2105 (?) habitat circa *Gern*, mense Augusti; thorace lineis tribus obliquis brevibus, media divisa, ante alas anteriores (?).

Ichn. Schaeffer Icon. tab. 43, fig. 5 et 6 (? Panzer quidem has icones ad hanc speciem adhibuit, sed certitudine neutiquam probari potest, cuinam speciei illae icones respondeant).

Nota:

Antennas et oris partes *Nees ab Esenbeck* accuratius examinavit, earumque descriptionem mecum communicavit, qualem hic exhibebo:

Antennae filiformes breves rectae, articulis 21: radicula tenui pateraeformi; scapo cylindrico, parum crasso, extrorsum obliquo et concavo; pedicello exserto obconico; articulo accessorio annuliformi; reliquis cylindricis subaequalibus contiguis, quinto sequente non longiori, ultimo praecedente longiore, conico obtuso.

Clypeus brevis planiusculus, antice angustatus, margine supero linea impressa, laeviter arcuata, discreto, infero emarginato. — *Labrum* breve exsertum rotundatum. — *Mandibulae* breves, apice bifidae, dente infero minore acuto, supero majore, truncato-emarginato. — *Maxillae: Stipes* corneus, lineari-lanceolatus, apice introrsum obliquus, superficie exteriori convexa laevissima, interiori concaviuscula: *Mala* membranacea, stipite latior, ambitu subrotundo irregulari, bipartita, laciniis obliquis, introrsum versis, superiori subovata, margine supero rotundato ciliato, infera seu interna subrhombea, margine interiori emarginata, bidentata, dentibus pubescentibus. — *Palpi maxillares* pilosuli, quinquearticulati; articulo 1 obconico, mala parum breviore; 2 obconico, introrsum dilatato, longiore; 3—5 gracilioribus et paulo longioribus, 3 cylindrico, 4 subconico, 5 cylindrico obtuso. — *Labium: Mentum* coriaceum, lineari-compressum, parte membranacea brevi, palato compresso gibbo, antice bifido, laciniis rotundatis, ad latera labelli basin amplectentibus: *Labellum* (lingua) breve cucullatum integerrimum, margine antico rotundato, acute-denticu-

lato. — *Palpi labiales* lingua parum longiores, quadriarticulati; articulis tribus anterioribus obconicis breviusculis, 1 et 2 crassioribus, 4 oblongo obtuso subspongioso setoso.

Individua speciei genuinae et varietatis primae, nec non individua quaedam, majora nempe, articulo 1 antennarum subtus albo, varietatis secundae, abdominis apice acutiore a reliquis varietatibus differunt; praeterea quoque longe plurimis eorum aculeus, licet perbrevis, attamen distincte exsertus est. Reliquis autem abdomen apice obtusius et depressius est, nunquam stylo, quem pro aculeo habere possem, exserto. Inde mihi persuasum est, illa esse *feminas*, haec *mares*.

21. B. ANNULATUS. n.

Tibiis anterioribus femoribusque rufis; scutelli apice, puncto ante alas, oculorum orbitis internis et tibiarum posticarum medio, albis. f.

Statura et proportio partium omnino antecedentis; an hujus varietas coxis posticis nigris, scutello solo apice albo?

Longitudo 4 linearum. *Caput* palpis ferrugineis; puncto mandibularum, macula clypei, orbitis oculorum facialibus, albis. *Thorax* puncto ante alas, altero infra alas, albis. *Scutellum* apice albo. *Alae* subhyalinae irideae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula albis. *Pedes* anteriores

rufi, coxis et trochanterum basi nigris; postici nigri, femoribus et trochanterum apice rufis, tibiarum medio albo. *Abdomen* segmentis 6 et 7 summo margine albido.

Feminam unicam, circa *Trajectum ad Moenum* captam, *de Heyden* mihi transmisit.

22. B. INSIGNIS. n.

Pedibus rufis, posticorum tarsis et apice tibiarum nigris; scutelli apice, lineis thoracis, ore (et macula faciali) flavis. f.

Statura et proportio partium *B. albosignati*, n. 20.

Longitudo 3 ½ linearum. *Caput* ore, plerumque macula faciali, flavis. *Thorax* linea ante alas, lineola infra alas anticas, sutura laterali infra alas posticas, vel tota vel tantum alas versus, lineolaque sub scutello, flavis. *Scutellum* vel fere totum, vel solo apice, flavum. *Alae* subhyalinae irideae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula flavis. *Pedes* rufi, postici tarsis et tibiarum apice nigris. *Abdomen* segmento 2 ut plurimum summo margine castaneo; sequentibus margine latera versus obsolete-glauco.

Unam feminam cepi circa *Vratislaviam;* duas *Manger* circa *Warmbrunn* cepit.

23. B. BIZONARIUS. n.

Abdominis medio rufo, segmento secundo linea transversali impressa; pedibus rufis, tarsis posticis coxisque nigris; scutello picturisque thoracis et faciei albis. m.

Longitudo $1\frac{1}{2}$—$2\frac{1}{5}$ linearum. *Caput* ore et orbitis oculorum internis, vel totis vel pro parte, plerumque puncto seu macula faciali, praesertim individuis majoribus, flavis. *Antennae* corpore paulo breviores, filiformes, porrectae, nigrae aut fuscae, subtus plerumque ferrugineae; articulo 1 subtus vel toto flavo aut albido, vel solo apice pallido, interdum quoque 2 et 3 subtus flavis. *Thorax* gibbus, ut plurimum puncto seu lineola ante alas, alteraque infra alas, flavis. *Scutellum* flavum. *Alae* mediocres hyalinae seu subfumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula flavis. *Pedes* mediocres rufi; coxis nigris, anterioribus plerumque, interdum etiam posticis, apice pallideflavis; trochanteribus pallide-flavis; femoribus interdum summa basi nigris; tarsis posticis, nec non tibiarum posticarum summo apice summaque basi nigricantibus. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, seu paulo angustius, basin apicemque versus paulo angustatum; segmento 1 nigro scabro, basi foveolato; 2 linea transversali impressa dimidiato, subscabroso, vel nigro, margine rufo, vel rufo, basi subnigricante; 3 subscabroso-puncto, rarissime toto rufo, ut plurimum

fascia nigra ante basin, interdum medio interrupta, distinctiore aut obsoletiore; 4 nigro, margine rufo seu fuscorufo; sequentibus nigris nitidioribus.

Unum cepi individuum mense Iulii, in gramine prope *Vratislaviam*, alterum mense Augusti prope *Helmstadium* in fruticeto aphidibus obsesso. Multa legit *Manger* circa *Warmbrunn*, quorum quatuor a reliquis, thorace, faciei medio, coxisque anterioribus, totis nigris, discedunt. Quaedam alia accepi, circa *Sickershausen* et *Genuam* capta; *lusitanicum* vidi in museo *Comitis de Hoffmannsegg*.

Varietas:

1. *Scutello solo margine apicali albo.* m. — *Longitudo* 1½ linearum. *Abdomen* segmentis 2—4 parte anteriore rufo. — Caetera cum plurimis maribus genuinis conveniunt.

Unicum individuum *Sahlberg* transmisit e *Fennia*.

24. B. TRICINCTUS. n.

Segmentis 2—4 linea transversali impressis, apice rufis; pedibus fulvis, posticorum tarsis fuscis, tibiis albis apice fusco; apice scutelli et linea ante alas albis. m.

Statura et proportio partium omnino individuorum latiorum speciei antecedentis et individuorum graciliorum *B. laetatorii*, n. 26.

Longitudo paulo ultra 2 lineas. *Antennae* subtus ferrugineae. *Thorax* linea ante alas, sutura

infra alas posticas, lineolaque sub scutello, albidis. *Scutellum* apice summo albido. *Alae* hyalinae irideae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula flavis. *Pedes* fulvi; postici tarsis et apice tibiarum albarum fuscis. *Abdomen* depressum; segmento 1 quadrato, sequentibus angustiore, nigro, scabro, lineis duabus elevatis; 2—4 linea transversali impressa dimidiatis, basi scabris opacis nigris, apice laevibus nitidulis rufis; reliquis nigris nitidulis.

Marem unicum *Manger* cepit circa *Warmbrunn.*

25. B. MULTICOLOR. n.

Segmentis 2—4 linea transversali impressis, apice rufis, 1 margine albo; pedibus fulvis, coxis albo-nigroque variegatis, tibiis posticis albis, basi apiceque fuscis; scutello et picturis capitis thoracisque albidis. f.

Statura brevior est et crassior quam in reliquis cospeciebus, excepto *Basso deplanato,* n. 17.

Longitudo 2 linearum, seu parum longior. *Caput* ore, disco clypei, orbitisque oculorum internis flavis. *Antennae* porrectae filiformes, corpore breviores, subtus ferrugineae, articulo 1 toto nigro. *Thorax* gibbus; macula ante alas, lineola infra alas, alteraque sub scutello, flavis. *Scutellum* flavum. *Alae* fumato- aut fusco-hyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula flavis.

Pedes fulvi; coxis anticis albis basi nigra, mediis nigris macula alba, posticis vel totis nigris, vel macula castanea, vel rufis macula nigra; trochanteribus basi nigra; tibiis posticis albis, basi apiceque fuscis introrsum fulvis; tarsis posticis fuscis. *Abdomen* capitis thoracisque latitudine et longitudine vel paulo longius, nigrum; segmento 1 quadrato scabro canaliculato nigro, margine albido; 2—4 longitudine duplo latioribus, linea transversali impressa dimidiatis, basi scabriculis opacis nigris, apice laevioribus nitidioribus rufis aut badiis; sequentibus nitidulis nigris, ultimis interdum margine summo exalbido. *Aculeus* vix subexsertus.

Individua tria *pedemontana Bonelli* transmisit.

Nota:

Habitu toto haec species adpropinquat ad *Tryphonem incisum* familiae secundae, a quo tamen segmento primo quadrato differt.

26. B. LAETATORIUS.

Abdominis medio rufo, segmentis 2—4 linea transversali impressa; pedibus rufis, tibiis posticis tricoloribus; scutello, picturis thoracis, ore, orbitisque oculorum internis, albis.

Longitudo 2—fere 3 linearum. *Caput* ore plerumque albido aut pallide-stramineo, mandibulis apice nigro; orbitis oculorum internis albis.

Antennae dimidio corpore longiores, filiformes porrectae, subtus plerumque ferrugineae, sed articulo 1 semper toto nigro. *Thorax* gibbus; macula aut lineá ante alas, lineola infra alas, alteraque sub scutello, albis. *Scutellum* album. *Alae* mediocres, rarius hyalinae, plerumque subfumato-hyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula albis. *Pedes* mediocres, rufi aut rufo-fulvi; antici seu anteriores interdum fulvi, aut coxis et trochanteribus subflavicantibus, rarius latere interno femorum et tibiarum flavo; postici tibiis nigris, apice rufo, annulo lato albo ante basin, tarsis nigris. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius, thoracis latitudine, oblongoovatum, segmento 1 lineis duabus elevatis, nonnunquam subobsoletis, quadrato, scabro, vel toto nigro, vel margine summo rufo, rarissime fere toto rufescente; 2—4 longitudine latioribus, linea transversali impressa dimidiatis, parte posteriori (basali) puncto-scabra opaca, anteriori (apicali) laevi nitidulo; 2 plerumque toto rufo, rarius nigro, margine rufo; 3 plerumque toto rufo, rarissime cingulis duobus nigris; reliquis plerumque totis nigris, 4 tamen rarius basi rufa, rarissime rufo, margine nigro; 6 et 7 ut plurimum margine summo tenui albido. *Aculeus* brevissimus, interdum omnino absconditus, niger.

Individuorum minorum, segmento 1 toto nigro, 2 fere toto nigro, unum cepi, mense Iunii prope *Brunsuigam*, alterum, circa *Sickershausen* captum, *Nees ab Esenbeck* transmisit.

Individua minora et mediae magnitudinis, segmento 1 toto nigro, 2 rufo basi nigra, legi passim in *Silesia*, mensibus Iunii et Augusti, in gramine, mense Septembri in umbellatis circa *Reinerz*, mense Iunii in fruteto prope *Brunsuigam*, mense Augusti prope *Helmstadium* in fruteto, inter aphides; quaedam alia mecum communicata sunt, circa *Niesky*, *Norimbergam*, et in *Tauria* capta.

Individua majora et mediae magnitudinis, segmento 1 nigro, plerumque rufo-marginato, praeprimis in majoribus, segmento 2 toto rufo, omnium frequentissima sunt: Duo cepi cum praecedentibus circa *Helmstadium* et *Brunsuigam*, eodem loco et die; multa passim in *Silesia*, mensibus Maji—Septembris, in gramine umbellatis et frutetis, nec non circa *Trajectum ad Viadrum*; quaedam etiam, circa *Parisios*, *Montem pessulanum*, *Genuam*, in *Regione Pedemontana*, *Volhynia*, *Fennia*, *Tauria*, capta, ad me transmissa sunt.

Individuorum majorum, segmentis 1 et 4 fere totis rufis, duo cepi, cum antecedentibus, prope *Warmbrunn*, mense Augusto, in umbellatis, unum, circa *Sickershausen* captum, *Nees ab Esenbeck* mecum communicavit.

Synonyma:

Ichn. laetatorius Fabr. Spec. pag. 424, n. 26. — Piez. p. 63, n. 45.
„ Latreille Crust. XIII, p. 185, n. 21.
„ Gmel. ed. Linn. p. 2682, n. 99.

Ichn. laetatorius Villers, pag. 150, n. 46; antennis totis fulvis. Habitat in *Gallia australi.*

„ Olivier p. 173, n. 47.

„ Cederhielm p. 158, n. 487.

„ Panzer Fauna fasc. 19, tab. 19. (Auctor quidem refert, hunc *Ichn. laetatorium* esse marem illorum, quos tabula 14 fasciculi 100, et tab. 18 fasc. 102 exhibent; hi autem a me ad nostrum *Bassum albosignatum*, n. 20, adhibiti sunt. Cum *albosignati* mares et feminae, colore abdominis, omnino congruant, et omnia nostra individua *laetatorii* feminae sint, hic nullo modo mas illius esse potest).

„ Jurine p. 116. (Auctor putat, *Ichneumonem sponsorium* Fabr. esse marem hujus speciei. Quem autem, meliori, ut credo, jure, pro *Ichneumone sponsorio* Fabr. habeo, *Mesoleptus* est, ab *Ichn. sponsorio* Jurinei longe discedens. Conferas nostrum *Mesol. sponsorium*, n. 24).

„ Thunb. Ichn. n. 512.

Bassus laetatorius Panzer Revis. pag. 74. (De differentia maris et feminae conferas quae jam ad Panz. Faun. fasc. 19, tab. 19 monui).

Crypturus laetatorius Lamark p. 141, n. 4.

Ichn. dichrous Schrank Austr. n. 710.

„ Gmel. ed. Linn. p. 2683, n. 110.

„ Olivier p. 220, n. 83.

Ichn. lituratorius Schrank Boica n. 2097; circa *Ingolstadt* (Schrank quidem hanc speciem describit segmentis 2—5 ferrugineis; suspicor autem, auctorem segmenta 2 et 3, linea transversali incisa dimidiata, pro segmentis quatuor habuisse. — Caeterum autem *Ichn. lituratorius* Linnei et reliquorum auctorum, abdomine nigro, segmentis 1—4 margine medio flavis, huc haud spectat. — *Ichn. lituratorius* Thunb. Ichn. n. 557, abdomine nigro, segmentorum macula dorsali flava trigona, nec *lituratorio* Linnei nec *lituratorio* Schrankii respondet).

Anomalon laetatorius Trentep. in Isidis 1826, III, pag. 298.

Nota:

Ichn. laetatorii var. Grav. Uebers. n. 3759, excludenda est, *Bassum* enim *exsultantem*, n. 8, exhibet.

FAMILIA II,

seu subgenus:

ORTHOCENTRUS,

a verbis ὀρθὸς, erectus, et κέντρον, aculeus — ob aculeum erectum feminae.

Areola plerisque quinqueangulari, antennis mediocribus, pedibus crassiusculis; (aculeo vix subexserto erecto).

Corpus parvum laeve. *Caput* thoracis latitudine, transversum, rarius globosum, facie interdum subprotuberante. — *Oculi* prominentes subglobosi. — *Antennae* filiformes mediocres, *Orthocentro spurio* serratae. — *Thorax* gibbulus aut gibbulo-cylindricus. — *Scutellum* gibbulum, suborbiculatum aut subtriangulare. — *Alae* amplae aut mediocres, hyalinae irideae; areola plerumque quinqueangulari, rarius triangulari (*Orthoc. debili*) aut plane nulla (*Orthoc. merulae* et *ridibundo*); cellulae interioris nervo inferiore exteriore leniter arcuato. — *Pedes* anteriores mediocres; postici validiusculi, coxis compressiusculis ovatis, pro proportione longioribus quam in familia prima, femoribus compressiusculis. — *Abdomen* sessile lineare, seu apicem versus sensim paulo dilatatum, feminis apice compressiusculum. Segmentum primum latitudine longius, reliquis paululum angustius, aequilatum aut basi paulo angustius. — *Aculeus* vix subexsertus, erectus.

De affinitatibus et relationibus Orthocentrorum ad *Tryphones, Exochos, Phydodietos, Plectiscos, Glyptas* et *Bassos* supra jam actum est.

27. O. ANOMALUS. n.

Segmentis 2—4 rufo-testaceo-marginatis; pedibus anterioribus flavis, posticis fulvis; facie picturisque thoracis flavis; areola quinqueangulari. m.

Longitudo 1¾—2 linearum. *Caput* ore, facie subprotuberante, genisque flavis. *Antennae* subfiliformes, apicem versus paulo graciliores, dimidio corpore longiores, fuscae, subtus flavae, apicem versus sensim obscuriores. *Thorax* gibbulus; colli parte infera, macula ante alas, lineolaque infra alas, flavis. *Scutellum* gibbulum. *Alae* hyalinae irideae, stigmate et radio stramineis aut piceis, radice et squamula pallide-flavis; areola quinqueangulari. *Pedes* anteriores mediocres pallide-flavi; postici subcrassiusculi pallide-fulvi, trochanteribus et tibiarum basi pallidioribus aut pallide-flavis. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius pauloque angustius, subcylindricum depressiusculum, segmentis 2—5 interdum sensim parum dilatatis; segmento 1 profunde canaliculato, latitudine duplo longiore; 2 quadrato, margine summo stramineo; 3 et 4 vel quadratis, vel transversis, summo margine stramineis aut rufescentibus.

Marem unicum *Manger* cepit circa *Warmbrunn;* duos alios *Hope* circa *Netley*.

28. O. INCISUS. n.

Areola quinqueangulari; abdomine apicem versus subdilatato, segmentis 1—3 lateribus oblique-incisis, testaceo-marginatis; pedibus pectore et antennarum basi fulvis; facie alba. m.

Longitudo 1 2/3 linearum. *Caput* ore, facie tumidiuscula, genisque albidis. *Antennae* graciles filiformes curvatae, corpore paulo breviores, fuscae, basin versus stramineae. *Thorax* gibbulus, collo et pectore fulvis. *Alae* amplae hyalinae irideae, radio et stigmate piceo-stramineis, radice et squamula albidis; areola quinqueangulari irregulari oblique-transversa. *Pedes* fulvi; anteriores coxis et trochanteribus albidis; postici tibiarum basi albida. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius pauloque angustius, subsessile, apicem versus sensim paulo dilatatum; segmento primo opaco subcanaliculato, basin versus sensim paulo angustato, latitudine fere triplo longiore, margine substramineo; 2—4 margine stramineo; 1—3 impressione laterali, oblique basin dorsalem versus directa, foveolatis; sequentibus laevibus nitidis.

Marem unicum *Manger* cepit circa *Warmbrunn.*

Varietas:

1. *Pectore nigro immaculato.* m. — *Longitudo* fere 2 linearum. *Antennae* subtus pallide-

flavae. *Thorax*, praeter punctum pallide-flavum ante alas, immaculatus. *Areola* quinqueangularis regularis. *Pedes* anteriores pallide-straminei; postici fulvo-straminei, coxis fuscotestaceis, subtus pallidestramineis, trochanteribus et tibiarum basi pallidis. *Abdomen* segmentis 2 et 3 margine stramineo; impressionibus supra descriptis.

Hoc unicum individuum cepi die 1 Septembris, prope *Reinerz*, in umbellatis.

29. O. SPURIUS. n.

Areola quinqueangulari subirregulari; incisura secunda abdominis, ore pedibusque, testaceis, coxis posticis fuscomaculatis; antennis serratis. f.

Longitudo paulo ultra 2 lineas. *Caput* ore testaceo. *Antennae* filiformes serratae, dimidio corpore paulo longiores, subtus basin versus rufae. *Thorax* gibbulus. *Alae* subhyalinae, stigmate et radio piceis, radice pallide-straminea, squamula testacea; areola quinqueangulari, subirregulari, subtransversa. *Pedes* anteriores straminei; postici rufi, latere supero coxarum et femorum fuscescente, tibiis basin versus pallescentibus. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius, thoracis latitudine, subsessile, lineari-lanceolatum, apicem versus subtus compressiusculum; segmento 1 canaliculato, latitudine plus duplo longiore, basin ver-

sus sensim paululum angustato; incisura secunda subtestacea. *Aculeus* vix subexsertus, suberectus.

Feminam unicam *Manger* cepit circa *Warmbrunn.*

30. O. FULVIPES. n.

Areola quinqueangulari irregulari; pedibus, ore, basi antennarum, marginibus segmentorum intermediorum, testaceis. m.

Longitudo fere 1½—2 linearum. *Caput* ore testaceo. *Antennae* filiformes, vix dimidio corpore paulo longiores, fuscae, articulis 1 et 2 subtus testaceo-fulvis, sequentibus sensim obscurioribus. *Thorax* gibbulus. *Alae* hyalinae, stigmate et radio stramineo-piceis, radice et squamula albis; areola irregulari, oblique-subquinqueangulari. *Pedes* validiores quam in speciebus reliquis, fulvi; postici interdum coxis et femoribus supra fuscescentibus, tibiis basi pallidiore. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, lineari-lanceolatum, incisuris 1 et 2, vel etiam 3, subtestaceis; segmento 1 subcanaliculato sublineari, apicem versus vix parum dilatato, latitudine duplo, vel paulo plus duplo, longiore.

Individua duo *Manger* cepit circa *Warmbrunn.*

31. O. FLAVICEPS. n.

Areola quinqueangulari; abdominis incisuris 2 et 3 stramineis; pedibus flavo-fulvis; lateribus colli, facie et antennarum articulo primo, flavis. m.

Statura Ort. anomali, n. *27*; sed capite globosiore, cellula cubitali intermedia minore, pedibus paulo gracilioribus.

Longitudo 1⅓ linearum. *Caput* globosum; ore, genis, facie et orbitis oculorum frontalibus et verticalibus latis, flavis. *Antennae* filiformes porrectae, corpore breviores, fuscae, articulo 1 subtus flavo; articulis sequentibus interdum subtus ochraceis. *Thorax* gibbulo-cylindricus; colli lateribus et puncto infra alas flavis. *Alae* hyalinae, stigmate et radio stramineis, radice et squamula flavis; areola oblique-quinqueangulari, nervis tenuibus. *Pedes* mediocres; anteriores pallide-fulvi, coxis et trochanteribus interdum flavis; postici fulvi, coxis superne basin versus fuscis, trochanteribus interdum flavis; in altero individuo tarsis, tibiarum apice, latereque supero femorum, fuscescentibus. *Abdomen* lineari-cylindricum, capite thoraceque angustius et paulo longius; segmento 1 scabriculo, latitudine duplo longiore; incisuris 2 et 3, interdum quoque margine segmenti tertii, testaceis.

Unum individuum *Manger* cepit circa *Warmbrunn;* alterum, idque antennis subtus pallidioribus, pedibus posticis obscurioribus, *Hope* circa *Netley*.

32. O. DEBILIS. n.

Areola triangulari, abdominis incisuris 1—3 pedibusque testaceis; trochanteribus et coxis anterioribus, nec non colli lateribus, albidis; facie flava.

Longitudo 1⅓ linearum. *Caput* ore et facie flavo-albidis. *Antennae* filiformes curvatae, dimidio corpore longiores, fuscae, articulo 1 subtus albido. *Thorax* gibbulus, colli lateribus albidis. *Alae* amplae hyalinae, stigmate et radio piceo-testaceis, radice et squamula albidis. *Pedes* anteriores mediocres, pallide-straminei, coxis et trochanteribus flavoalbidis; postici crassiusculi fulvi, trochanteribus pallidioribus. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius et angustius, subsessile, apicem versus sensim paulo dilatatum, depressiusculum, nigrum, incisuris 1—3 luteo-rufis; segmento 1 basin versus vix paulo angustato, latitudine fere duplo longiore.

Unicum individuum, circa *Sickershausen* captum, *Nees ab Esenbeck* mihi transmisit.

33. O. RIDIBUNDUS. n.

Areola nulla; pedibus et antennarum basi testaceis, facie flava. m.

Longitudo fere 2 linearum. *Caput* ore et facie flavis. *Antennae* filiformes curvatae, corpore paulo breviores, articulis 1—3 luteis. *Thorax* gibbus. *Alae* amplae hyalinae irideae, radio fusco, stigmate radice et squamula pallide-stramineis. *Pedes* mediocres, graciliores quam in reliquis cospeciebus hujus familiae, fulvi. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, thorace angustius, sublineare subsessile; segmento 1 canaliculato, basin versus paulo angustato, latitudine duplo longiore; 3 fusco-badio.

Marem unicum *Manger* cepit circa *Warmbrunn.*

34. O. MERULA. n.

Areola nulla; pedibus luteo-testaceis, fusco-maculatis. m. f.

Longitudo maris 1 lineae, feminae 1⅓ linearum seu paulo minor. *Caput* plerumque puncto faciali pallido infra antennas. *Antennae* filiformes, subtus basin versus plerumque subferrugineae; *mari* corpore dimidio vix parum longiores, apice curvatae; *feminae* paulo breviores pauloque crassiores quam mari, apice involutae. *Thorax*

gibbulus. *Alae* hyalinae irideae, stigmate et radio piceo-stramineis, radice et squamula albidis. *Pedes* mediocres; anteriores rarius toti straminei aut testacei, coxis et femoribus plus minus fuscis aut nigricantibus, praesertim in quibusdam feminis, interdum fere totis nigris, tibiis apice fuscescente; postici rarius testacei coxis solis obscurioribus, ut plurimum fusci aut nigri, trochanteribus apice, rarius totis, stramineis, femoribus plerumque basi testacea, tibiis stramineis apice fusco. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, mari lineare, feminae apicem versus compressum; segmento 1 latitudine fere duplo longiore, basi subangustiore, impressione transversali distinctiore aut obsoletiore. *Aculeus* subexsertus.

Mares feminasque plures *Manger* cepit circa *Warmbrunn.*

FAMILIA III,

seu subgenus:

EUCEROS,

a verbis εὖ, bene, et κέρας, cornu — antennis pulchris instructus.

Antennis medio incrassatis, areola nulla, pedibus mediocribus.

Caput transversum buccatum. — *Oculi* ovales subprominuli. — *Antennae* porrectae, corpore paulo breviores; articulis 11—17 multo latioribus quam reliqui, compressiusculis, basin apicemque versus sensim decrescentibus. — *Thorax* gibbus. — *Scutellum* convexiusculum, triangulare, apice obtuso. — *Alae* subamplae; areola nulla, cellulae interioris nervo infero exteriore angulato. — *Pedes* mediocres, subelongati. — *Abdomen* sessile depressiusculum, capite thoraceque paulo longius, thoracis latitudine; segmento primo subquadrato, basin versus sensim paulo angustato; 2—5 transversis, fere aequilatis.

De relatione Eucerotis ad *Tryphones* hos conferas.

---

35. E. CRASSICORNIS. n.

Niger, albomaculatus; antennarum medio incrassato pedibusque anterioribus fulvostramineis. m.

Longitudo 3½ linearum. *Caput* flavum, oculis et occipite nigris. *Antennae* articulis 1—10 subtus rufis; 11—17 fulvis, subtus flavis puncto marginali nigro; sequentibus subtus ferrugineis, ultimis totis fuscis. *Thorax* lineolis duabus dorsalibus, macula ante alas, suturis lateralibus, lineola infra alas, alteraque sub scutello, pallide-flavis. *Scutellum* lateribus et apice pallide-flavis. *Alae* hyalinae irideae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula albidis. *Pedes* anteriores fulvostraminei, coxis trochanteribus et femorum basi exalbidis; postici nigri, coxarum et trochanterum apice exalbido, tibiarum basi summa testacea. *Abdomen* segmentis 1—5 albomarginatis, 2—5 margine medio interrupto.

Unicum individuum, teste *Barone de Block*, prope *Dresdam* in valle Plauensi captum est.

GENUS IX.

BANCHUS.

Abdomine compresso aut subcompresso, sessili aut subpetiolato.

F A M I L I A I,

seu subgenus:

B A N C H U S.

Abdomine sessili, rarius subsessili; areola subrhombea; cellulae interioris nervo inferiore exteriore subarcuato; (aculeo abscondito).

Caput breve transversum, thorace paulo angustius. — *Oculi* ovales subreniformes, *Bancho tomentoso* subglobosi. — *Antennae* mediocres, apice curvatae aut involutae. — Harum et *partium oris* descriptionem accuratiorem in nota ad B. falcatorem exposui. — *Thorax* gibbus. — *Scutellum* triangulare apice obtuso, gibbum aut convexum, plurimis supra acumine retro-inclinato armatum. — *Alae* amplae aut mediocres; areola majore subrhombea subirregulari, cellulae interioris nervo inferiore exteriore recto aut subarcuato. — *Pedes* mediocres aut elongati. — *Abdomen* sessile, *B. monileato* subsessile; laeve nitidum, thorace longius et angustius, rarius thoracis latitudine; dorso convexum, rarius carinatum (*B. monileato*), lateribus compressum, ventre carinatum; segmentis ultimis plerumque totis compressis et ipso dorso carinatis. *Segmentum primum* plurimis apicem versus sensim paulo dilatatum, nonnullis canaliculatum, tuberculis lateralibus ad basin, seu inter hanc et medium, sitis; *B. monileato* autem hoc segmentum est subsessile angustius aequilatum, tuberculis lateralibus paulo ultra medium sitis. — *Aculeus* haud exsertus.

Difficile est, mares et feminas e partibus genitalibus externis dignoscere, quippe quae utrique sexui similes sunt, stylum brevissimum, vix sub-

exsertum, exhibentes. Feminae mihi sunt individua apice abdominis crassiore et obtusiore, licet antennis longioribus, minusque involutis, capite thoraceque plerumque magis variegatis, notis itaque, quibus alias mares a feminis se distinguere solent, a maribus differant. Factum esse posset ut, hac distinctione sexuum, erravissem, eaque individua, quae pro maribus habeo, feminae essent, et vice versa; id quod anatome et disquisitio partium genitalium internarum decidere deberet.

Praeter ea quae, de relatione Banchorum ad *Bassos*, sub his adnotavi, relatio eorum ad *Exetastas* commemoranda est: A horum speciebus areola majore, quales sunt *E. fornicator*, *clavator*, *laevigator* etc. Banchi differunt cellulae interioris nervo inferiore exteriore haud angulato, aculeo haud exserto, abdomine ut plurimum magis compresso magisque sessili, licet, hac relatione, *Banchus monileatus*, abdomine subsessili, in Exetastas transire videatur; attamen haec species, reliqua abdominis forma et scutello acuminato, potiori jure ad Bassos refertur. *Exetastes fulvipes*, propter segmentum primum latius et brevius, Banchis adpropinquat, caeteris autem magis congruit cum Exetastis.

---

1. B. TOMENTOSUS. n.

Pubescens; tibiis, segmentorum marginibus, punctis duobus parvis ante collum, tertioque scutellari, flavis. f.

Statura Banchi picti, n. 3, sed antennis gracilioribus, dorso abdominis latiore atque convexiore, aculeo exserto.

Longitudo 4 linearum. *Caput* villosum. *Antennae* fere corporis longitudine, graciliores quam in cospeciebus, apice curvatae. *Thorax* pubescens, punctis duobus flavis ante collum. *Scutellum* muticum, puncto apicali flavo. *Alae* subfumato-hyalinae, stigmate et radio piceis, radice et squamula testaceis. *Pedes* nigri; summo apice femorum anteriorum flavo, posticorum rufescente; tibiis extrorsum pallide-testaceis; tarsis sordide-testaceis, posticis articulorum apicibus fuscoferrugineis; coxis et femoribus omnibus pubescentibus. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, thorace paulo angustius; segmentorum marginibus flavis, 5—7 obsolete-glaucoalbidis. *Aculeus* vix dimidii abdominis longitudine, fuscus, terebra rufa.

Feminam unicam, circa *Berolinum* captam, *Klug* mecum communicavit.

2. B. COMPRESSUS.

Segmentorum marginibus flavis; tarsis et tibiis fulvis, harum posticis apice nigro; scutello thoraceque flavopictis, antennis fulvis. m. f. (*mas* parte orbitarum oculorum flava; *femina* facie flava, linea longitudinali nigra, antennis superne nigris).

Statura et proportio partium sicut in *B. falcatore*, n. 4; sed segmento 1 maris paulo breviore, apice obtusiore et minus compresso.

Longitudo $4\frac{3}{4}$—6 linearum. *Caput maris* medio mandibularum rufo aut ferrugineo, parte orbitarum internarum et externarum flavescente aut virescente; *feminae* mandibulis et facie flavis, hac linea longitudinali nigra. *Antennae maris* fulvae, articulis ultimis fuscis aut nigris, articulo 1 nigro, subtus saepe puncto fulvo; *feminae* paulo longiores quam mari, nigrae, subtus fulvae articulo 1 flavo. *Thorax* plerumque punctis duobus ante collum, uno infra alas, fascia, medio interrupta, ante petiolum abdominis, rarius quoque puncto supra coxas posticas, virescentibus aut flavescentibus, interdum subobsoletis. *Scutellum* subacuminatum, apice seu lateribus virescens aut flavescens. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate radio et radice piceo-fulvis, squamula albida puncto nigro; areola regulari sessili. *Pedes* coxis et trochanteribus nigris, his interdum apice fulvo; femoribus vel 1) fulvis, posticis subtus basin versus ni-

gris, vel 2) anterioribus fulvis basi nigra, posticis nigris apice fulvo, vel 3) omnibus nigris apice fulvo; tarsis tibiisque fulvis, harum posticis apice nigro. *Abdomen* feminae brevius est, apice obtusiore minusque compresso quam mari; segmentis 1—5—6 margine pallide-flavo aut viridiglauco.

Marem cepit *Klopsch* circa *Vratislaviam*, alterum, *norimbergensem*, *Sturm* mecum communicavit. Mares et feminas, circa *Berolinum* lectos, vidi in museis *Comitis de Hoffmannsegg* et *Klugii*.

Varietates:

1. *Antennis supra nigris*. m. — *Longitudo* 6⅔ linearum. *Antennae* nigrae, subtus ferrugineae, articulo 1 toto nigro. *Scutellum* flavum, basi et acumine parvo nigris. *Femora* nigra, antica subtus et apice, posteriora solo apice, fulva. *Abdomen* segmentis omnibus flavomarginatis. — Caetera sicut in maribus plurimis genuinis.

Marem unicum, circa *Berolinum* captum, vidi in museo *Klugii*.

2. *Scutello thoraceque totis nigris*. f. — *Thorax* puncto flavo infra alas. *Segmenta* 4—6 tota nigra. — Caetera sicut in feminis plurimis genuinis.

Feminam unicam, circa *Berolinum* captam, vidi in museo *Klugii*.

Synonyma maris:

Ichn. compressus Fabr. Ent. II, p. 180, n. 195; capite et thorace atris immaculatis; habitat in *Suecia* (*Ichn. compressus* Sulzer Gesch. tab. 26, fig. 15. — Christ t. 39, fig. 2. — Schrank Boica n. 2064 — ad genus *Ophionum* referri debet. — *Ichn. compressus* Fourcroy n. 60, exhibet *Ichn. luctatorium*).

„ Gmel. ed. Linn. p. 2707, n. 222.

Banchus compressus Fabr. Piez. p. 129, n. 11.

Ichn. volutatorius Schrank Austr. p. 349, n. 704. —Boica n. 2061; mense Iulii circa *Gern* (ad nostram varietatem primam adhibendus est. — De *Ichn. volutatorio* auctorum conferas synonyma et notam ad speciem sequentem).

Synonyma feminae:

Ichn. variegator Fabr. Syst. p. 339, n. 66. — Ent. p. 173, n. 164; habitat in *Suecia.*

„ Villers p. 178, n. 130; habitat in *Bressia.*

„ Gmel. ed. Linn. p. 2694, n. 157.

„ Christ p. 363.

Banchus variegator Fabr. Ent. Supl. p. 234, n. 4. — Piez. p. 128, n. 8.

„ Panzer ad Schaeff. Icon. tab. 130, fig. 4. (Conferas quae de hoc synonymo in nota ad *Metopium micratorium* monui).

3. B. PICTUS.

Segmentis flavomarginatis; pedibus flavis, basi nigromaculatis; thorace flavomaculato, scutello flavo; facie flava, linea nigra. m. f. (*mas* antennis brevioribus rufis; *fem.* antennis longioribus, supra plus minus nigris).

Statura et proportio partium *B. monileati*, n. 5; segmento primo autem breviore et latiore, abdominis apice crassiore.

Longitudo 3½—5 linearum. *Caput* orbitis oculorum externis, labro, facieque, flavis, rarius sordide-carneis, linea faciali longitudinali nigra, rarissime adeo dilatata ut facies potius nigra, orbitis oculorum et lineolis duabus longitudinalibus flavis variegata sit; palpis nigris aut ferrugineis; mandibulis medio ferrugineis aut flavis. *Antennae maris* corpore breviores, apice involutae; articulo 1 nigro, subtus flavo aut sordide-carneo, sequentibus testaceis aut rufoferrugineis, supra plerumque obscurioribus rarissime fuscoferrugineis; *feminae* paulo longiores quam mari, apice curvatae, colore variabili: 1) nigrae fuscae aut ferrugineae, subtus fulvae; 2) articulo 1 nigro, subtus flavo; 2 et 3 nigris, subtus diluterufis, sequentibus totis diluterufis, ultimis fuscis; 3) nigrae, articulo 1 solo subtus flavo. *Thorax* maculis duabus, plerumque hamatis, ante collum, lineola sub alis anticis, infra hanc linea perpendiculari,

punctis tribus sub scutello, interdum in lineam transversalem confluentibus, exterioribus rarius omnino deficientibus, metathoracis macula laterali et punctis seu maculis duobus ante petiolum, interdum in maculam unam magnam semicircularem coalitis, rarius quoque sutura laterali infra alas posticas, et lineis duabus dorsalibus longitudinalibus prothoracis, flavis; his picturis nunc distinctioribus nunc obsoletioribus, una alterave interdum omnino extincta, praesertim linea laterali perpendiculari aut punctis ante petiolum haud raro deficientibus. *Scutellum* flavum, plerisque spina erecta acuta, interdum nigra, armatum; spina ista praecipue maribus distinctiore, aliis sensim decrescente, tandemque omnino deficiente. *Alae* fulvohyalinae; stigmate radio et radice fulvis, hac interdum flava, squamula flava, areola sessili. *Pedes* flavi; coxis anticis vel nigris totis vel apice flavis, mediis nigris macula flava, posticis nigris interdum macula flava; trochanteribus plerumque basi nigra; femoribus anterioribus linea nigra longitudinali in latere convexiore, posticis nigris, superne plerumque fulvis aut rufis aut ferrugineis, apice et summa basi flavis; tibiis apice ferrugineis, anterioribus interdum totis flavis; tarsis ferrugineis. *Abdomen* feminae apice obtusius et minus compressum quam mari; segmentis omnibus late flavo- rarius rubro-marginatis, ultimis plerumque totis flavis.

Par hujus speciei, circa *Netley* captum, *Hope* ad me misit. Marem cepi die 1 Septembris in um-

bellatis prope *Reinerz;* plures alii, circa *Berolinum, Warmbrunn, Dresdam, Trajectum ad Moenum, Sickershausen, Vindobonam, Genuam* et in *Regione Pedemontana* lecti, mecum communicati sunt. Unicum individuum, facie nigra, orbitis oculorum et lineis duabus perparvis longitudinalibus flavis, inter *warmbrunnensia* erat. — Feminas nonnullas legi mense Augusto, in frutetis, prope *Salzbrunn;* quaedam aliae, circa *Hannoveram Parisios* et *Parmam* captae, ad me transmissae sunt. *Parmenses* a reliquis differunt; una nempe antennis nigris articulo 1 solo subtus flavo, facieque quemadmodum supra in mari warmbrunnensi descripta est; altera antennis sub var. 2 descriptis; ambae quoque magnitudine insigni reliquas feminas superant.

Varietas:

1. *Antennis supra nigris.* m. — Caetera sicut in plurimis maribus genuinis.

Unicum marem *Roentgen* cepit circa *Niesky.*

Synonyma:

Ichn. Frisch II, p. 11, tab. 2, fig. 12.

Ichn. cultratus Gmel. ed. Linn, pag. 2708, n. 350 (haud *Ichn. cultratus* p. 2699, n. 272, abdomine ferrugineo, segmentis 2 et 3 dorso flavis, forsan ad speciem sequentem adhibendus).

Ichn. vaginatorius Schrank Austr. n. 705. — Fuessl. Magaz. I, p. 292, n. 705 (picturis flavis faciei haud descriptis. *Ichn. vaginatorius* reliquorum auctorum huc haud spectat, sed verus Ichneumon est).

Ichn. volutatorius Linn. Syst. XII, p. 932, n. 14. — Faun. Suec. n. 1591; apud nos frequens.

„ Fuessl. Helv. p. 49, n. 945; raro obvenit.

„ Müll. prodr. n. 1777.

„ Villers p. 145, n. 32; in Gallia australi.

„ Gmel. ed. Linn. p. 2680, n. 14.

„ Christ p. 343.

„ Olivier p. 170, n. 33. (De *Ichn. volutatorio* reliquorum auctorum conferas quae infra, in nota, monebo).

Ichn. mutillatus Christ tab. 37, fig. 4, (nec vero *Ichneum. mutillatus* Gmel. ed. Linn. p. 2716, n. 217, apterus etc.).

Banchus pictus Fabr. Ent. Supl. p. 234, n. 7. — Piez. p. 129, n. 12. (Quem autem Panzer in Faunae fasc. 71, tab. 18, sub illo nomine edidit Ichneumon, nec non fig. 13, tab. 20, et fig. 5, tab. 116 Icon. Schaefferi, ad nostram speciem sequentem referendae sunt. — De *Ichn. picto* reliquorum auctorum conferas notam ad hanc speciem).

Ichn. pictus Latr. Crust. XIII, p. 183, n. 17.

Nota:

Ichn. volutatorius Walckenaeri, Cederhielmi, Fabricii (*Ichn. mercatorius*) verus est Ichneumon, nec huc spectat. Schrank, in Fuessl. Magaz. I, p. 292, n. 704, conjicit, Fabricium *Ichn. vaginatorium* Linnei cum suo *Ichneum. volutatorio* confudisse, quod etiam Panzer, in Revisione pag. 65 confirmat, cum dicit, *Ichn. vaginatorium* valde variabilem esse, et forsan unam alteramve harum varietatum *Ichn. volutatorium* Fabricii exhibere; hic ergo foret *Ichn. vaginatorii* varietas segmentis omnibus flavomarginatis. — *Ichn. volutatorius* Schrank Boica n. 2061 autem ad nostrum *Banchum compressum*, n. 2, redigendus est. — *Ichn. volutatorius* Stroemii respondet Bancho sequenti.

Ichn. pictus Schrankii (Austr. et Boica), Villersii et Olivieri, ad *Ichn. vadatorium* nostrum adhibitus est. Gmelin, in ed. Linn. sub nomine *Ichneum. picti* tres species diversas edidit, nempe p. 2677, n. 86 (nostrum *Ichneum. vadatorium*); p. 2702, n. 305 (nostrum *Phygadeuontem sericantem*); p. 2721, n. 403 (Ichneumonem minutum, mihi haud notum).

4. B. FALCATOR.

Abdominis medio dorso rufo; pedibus fulvis, apice tibiarum posticarum coxisque nigris; orbitis oculorum externis flavis, antennis subtus rufis. *mas.* — Abdominis medio rufo-flavoque colorato, segmentis ultimis nigris margine flavo; pedibus fulvis, posticorum coxis et tibiarum apice nigris; scutello, lineis thoracis, facieque, flavis, hac linea nigra; antennis subtus testaceis. *fem.*

Mas:

Longitudo $5\frac{3}{4}$—7 linearum. *Caput* ore ferrugineo, mandibulis apice et basi nigris; orbitis oculorum externis, rarius quoque internis, flavis aut ferrugineis. *Antennae* longitudine dimidii corporis, seu paulo longiores, apicem versus graciliores involutae, subtus rufae aut ferrugineae, rarius fusco-ferrugineae. *Thorax* gibbus, plerumque lineola subtestacea infra alas. *Scutellum* tuberculatum, rarius subacuminatum, interdum ferrugineum, rarissime flavum. *Alae* mediocres, fulvo- seu subfumatohyalinae; stigmate radio radice et squamula fulvis, rarius ferrugineis, squamula interdum macula fusca. *Pedes* mediocres elongati fulvi, subtus plerumque flavi, coxis nigris nonnunquam macula ferruginea; postici tibiis apice nigris, tarsis ferrugineis aut ferrugineo-fuscis. *Abdomen* capite thoraceque longius; segmento 1 apicem versus sensim paulo angustato,

latitudine duplo seu plus duplo longiore; segmentis 1—4 thorace angustioribus, dorso fusiformi, ventre compresso; 5—7 ancipitibus, dorso lateribus et ventre compressis; 1 rarius toto nigro, plerumque apice badio seu rufo seu fulvo; 2 rarius toto rufo, aut nigro macula dorsali rufa, ut plurimum badio aut rufo basi nigra, vel basi rufoferruginea apice fulvoflavo; 3 dorso vel toto rufo vel basi nigra vel apice flavo, saepius quoque nigro, basi et puncto apicali rufis; 4 interdum, rarius quoque 5—7, apice dorsi rufo.

Femina:

Statura et proportio partium feminae speciei antecedentis.

Longitudo 4½—6 linearum. *Caput* orbitis oculorum externis, puncto seu linea fracta transversali inter antennas et stemmata, facie et ore, flavis; linea longitudinali faciali, nonnunquam perbrevi, palpis posticis, nec non palporum anticorum et mandibularum apice, nigris. *Antennae* nigrae; subtus articulo 1 flavo, sequentibus testaceis aut flavis, ultimis plerumque totis nigris. *Thorax* maculis duabus hamatis ante collum, lineola transversali sub alis anticis, infra hanc linea perpendiculari, nonnunquam cum illa confluente, plerumque linea subperpendiculari infra alas posticas, flavis; metathorace rarius toto nigro, plerumque puncto dorsali transversali, interdum juxta illum utrimque puncto minuto, aut macula

punctove laterali, vel etiam puncto infra scutellum, flavis. *Scutellum* flavum gibbum, plerumque obsolete-spinosum, spina fusca. *Alae* fulvo-hyalinae, stigmate radio et radice fulvis, squamula flavicante; areola sessili, sicut in mare. *Pedes* flavi aut fulvi; anteriores plerumque trochanteribus et coxis flavis; postici coxis nigris, subtus ut plurimum macula lineave ferruginea aut flava, tibiis apice nigris aut fuscis. *Abdomen* dorso vel thorace angustius vel ejus latitudine, lineari- seu ovato-fusiforme; segmento 1 latitudine variabili, basi nigra, rarius rufa, medio nigro aut rufo, apice flavo aut testaceo, subcanaliculato, canalicula individuis latioribus distinctiore; 2 et 3 plerumque basi rufis, apice flavis, rarissime totis testaceis aut 2 angulis baseos seu basi tota, 3 basi tota, nigris; sequentibus macula dorsali marginali, majore minoreve, flava aut subtestacea.

Mares et feminas cepi, mense Iulio, circa *Gottingam*, pluresque, circa *Vratislaviam*, *Warmbrunn*, *Berolinum*, *Vindobonam*, *Parisios*, *Netley*, *Parmam*, *Genuam*, nec non in *Regione Pedemontana* et in *Hungaria* lecti, mecum communicati sunt. — Mares solitarios cepi, mensibus Iunii — Septembris, in umbellatis et in gramine, rarius in fruticetis, passim in *Silesia* et circa *Helmstadium;* aliosque, circa *Hannoveram*, *Meiningen*, *Friburgum* et in *Volhynia* lectos, accepi. Feminas duas cepit, multasque observavit, circa pinum sylvestrem volitantes, *ab Uechtritz*, mense Iunii, circa *Pichelsberg* et *Steglitz;* aliaeque, circa *Für-*

stenstein, Niesky, Sickershausen, Heidelbergam et *Herzbergam,* lectae, ad me transmissae sunt.

Varietates:

1. *Orbitis oculorum externis coloratis omnino extinctis.* m. — Caetera sicut in plurimis maribus genuinis. *Abdomen* interdum nigrum, segmentis 2 et 3 rufis, macula dorsali nigra, vel nigris macula dorsali castanea, rarissime solo segmento 3 summa basi castaneo.

Plures mares mihi transmissi sunt, circa *Vratislaviam, Warmbrunn, Langenau, Berolinum, Hannoveram, Sickershausen, Trentschin, Parmam,* nec non in *Regione Pedemontana* et in *Volhynia* lecti. Duo vratislavienses et trentschinensis, omnium sunt minimi, abdomine nigro, segmentis 2 et 3 pro parte rufis aut castaneis; volhynicus est unicus segmento 3 solo summa basi castaneo.

2. *Abdomine nigro, segmentis apice flavis.* f. — *Longitudo* 4⅓ linearum. *Scutellum* spina distinctiore quam in feminis genuinis, fulva. *Abdomen* paulo brevius quam in feminis genuinis; segmento 1 nigro, apice flavo; 2 basi nigra puncto medio rufo, apice flavo; 3 flavo, basi nigra; sequentibus nigris, macula marginali transversali flava. — Caetera sicut in individuis variegatissimis feminarum genuinarum.

Nescio, ubi in *Germania* unicum hujus varietatis individuum meae collectionis natum est.

Synonyma maris:

Ichn. umbellatarum Schrank Reise p. 261. — Boica, n. 2051; longitudo 8 linearum, (Auctor in Beitr. p. 91, §. 56, interrogat, num *Ichn. occisor* hujus sit varietas? *occisor* autem aculeo longiore differt, potiusque ad *Campoplegem pugillatorem* adhibendus est).

„ Gmel. ed. Linn. p. 2677; n. 85 (ubi autem haec species perperam Ichneumonibus scutello albo, antennis alboannulatis consociatus est).

Ichn. aries Christ p. 339 (ad individua scutello flavo spectat).

Ichn. venator Fabr. Ent. p. 168, n. 143; arcu uno alterove abdominis rufo. (*Ichn. venator* Linnei, Gmelini, Christii, Latreillei, a nostra specie differt, abdomine nigro, basi subtus incarnata (?). Latreille attamen B. ven. Fabr. et Schaef. tab. 120, fig. 7. 8, ad suam speciem adhibet. — *Ichn. venator* Schrankii (Austr.), Villersii, Olivieri, praeterea aculeo exserto discedit. — De *Bancho venatore*, cujus Illiger in nota ad Ichn. venatorem Rossii mentionem fecit, conferas, quae sub *Trogo lapidatore*, n. 8, monui. — *Ichn. venator* Schrank Boica, n. 2059, femoribus posticis nigris, etc. *Ophion* est).

„ Panzer ad Schaeff. tab. 120, fig. 7 et 8; coxis fulvis (?).

Ichn. venator Thunb. Ichn., n. 284.
Banchus venator Fabr. Piez. p. 126, n. 1; in Europae nemoribus.
Ichn. labiatus Schrank Boica n. 2058; circa *Ingolstadt* mense Iunii.
Ichn. vigilatorius Panzer ad Sch. tab. 61, fig. 6; habitat in umbelliferis.

Synonyma feminae:

Ichn. volutatorius Stroem in Trond. Selsk. Skr. III, p. 419, n. 43; in translatione germanica: Dronth. Schr. III, p. 377, n. 43. (De *Ichn. volutatorio* reliquorum auctorum conferas speciem antecedentem).
Ichn. falcatorius Fabr. Syst. p. 332, n. 29. — Ent. II, p. 148, n. 59; habitat Havniae.
„ Villers p. 151, n. 48; prope Lugdunum, in salicetis.
„ Gmel. ed. Lin. p. 2682, n. 101.
„ Christ p. 340.
„ Olivier p. 175, n. 55.
„ Panzer ad Schaeff. tab. 195, fig. 3 et 4; longitudo 8 — 9 linearum; trochanteribus et coxis nigris.
Banchus falcator Fabr. Piez. p. 128, n. 6.
Banchus falcatorius Walcken. p. 71, n. 5.
Ichn. tricolor Schrank Boica, n. 2094; circa *Ingolstadt*. (Haud confundendus cum *Ichn. tricolore* Schrankii Austr. et reliquorum auctorum).

Banchus pictus Panz. Fauna Fasc. 71, tab 18; in pratis, insidens plantis umbelliferis. — Schaeff. Icon. tab. 20, fig. 13, tab. 116, fig. 5. (De *Bancho picto* Fabr., et de *Ichn. picto* reliquorum auctorum, conferas speciem antecedentem.

Nota:

Fabricius, in Syst. Piezatorum p. 126, sub *Bancho venatore* oris partes maris, *Panzer*, in Revisione II, p. 85, sub *B. picto*, oris partes feminae, descripsit. *Nees ab Esenbeck* earundem partium et antennarum feminae descriptionem accuratiorem his verbis mecum communicavit:

Antennae validae setaceae, apice recurvae, articulis 59; radicula brevi angusta; scapo crasso ovato, extrorsum fere ad basin usque oblique truncato, excavatoque, fovea pedicellum et articulum quartum, utrumque brevissimum, excipiente; reliquis cylindricis, quinto longiore, tum aliquot longitudine latitudinis aut vix diametro longioribus, extremis denique omnibus transversis contiguis subpateraeformibus, angulis superioribus acutis; ultimo minore ovato obtuso.

Clypeus basi linea fere recta discretus, cui utrimque, ubi aliquanto descendit, foveola profunda impressa est; apice emarginatus, lobis rotundatis. — *Labrum* deflexum transversum rotundatum integrum ciliatum. — *Mandibula* modice curvata, basin versus parum ampliata, extus plana, marginibus acutis, apice oblique deorsum trun-

cata, incisura parva, infra medium bidentata, dente supero multo majore, oblique truncato, in nonnullis obsolete-emarginato, infero multo minore acutiusculo. — *Maxillae* labii longitudine, idque amplectentes: *Stipes* subsemicylindricus, introrsum, apicem versus, lenissime detruncatus, et ex media parte denticulum setaceum ascendentem, ad fulciendum articulum inferiorem malae emittens; apice subemarginatus: *Mala* stipitis longitudine, tota membranacea, lutea biarticulata; articulo infero majori irregulari, introrsum in lobum rotundatum ascendentem dilatato, superiori minori subquadrato, margine supero rotundato ciliato, infero subobliquo, superficie exteriori pilosa. — *Palpi maxillares* maxilla duplo longiores, subpubescentes, quinquearticulati; articulo 1 obconico-clavato, apice truncato excavato; 2 breviori, subcompresso cultrato et, ob apicem magis obliquum, fere rhombico; 3 longitudine primi, subcylindrico, basin versus parum angustato; 4 spathulaeformi plano obscuro, infra apicem e medio emittente articulum 5, ratione parvum, cylindricum, basi et apice attenuatum, breviorem, pallidum. — *Labium: Mentum* fere rectangulum, convexiusculum, basi truncatum, apice tridentatum, dentibus lateralibus minoribus acutis, intermedio multo latiore bifido, laciniis divergentibus brevibus acutis: *Lingua* obcordata, mento paulo brevior, laciniis rotundatis, pulchre ciliatis, deorsum in cucullum conniventibus. — *Palpi labiales* lingua duplo longiores, pubescentes, quadriarticulati;

articulis 1 et 3 subaequalibus obconicis, illo fere recto, hoc extrorsum oblique-truncato; 2 brevi, oblique-cordato, transverso; 4 cylindrico obtuso, basin versus paulisper attenuato, omnium longissimo.

5. B. MONILEATUS. n.

Pedibus fulvis, tibiarum posticarum apice coxisque nigris. m. f. (*mas* orbitis oculorum externis flavis; *femina* ore et facie flavis, hac linea nigra, thorace subtus maculato, coxis anterioribus subtus fulvis.

Feminae *statura* et proportio partium sicut in femina *B. picti*, n. 3; sed abdomine magis compresso, ano minus crasso, segmento primo angustiore.

Longitudo 5 linearum, seu paulo minor. *Caput maris* palpis maxillaribus, macula mandibularum, margineque clypei, rufis, orbitis oculorum externis flavis; *feminae* facie flavo-fulva, linea longitudinali nigra, orbitis externis oculorum oreque flavis, palpis labialibus et mandibularum apice nigris. *Antennae* apicem versus graciliores, *mari* corpore breviores, apice involutae, subtus versus basin rufoferrugineae; *feminae* corporis longitudine, apice incurvae; articulo 1 subtus fulvo, 16 — 32 subtus ferrugineis. *Thorax* gibbus, feminae linea laterali perpendiculari prothoracis, lineaque transversali pectoris, pallideviridibus. *Scutellum* spina erecta, mari ferruginea. *Alae* sub-

amplae, hyalinae, mari obscuriores, stigmate rufo aut ferrugineo, radio et radice maris rufis, feminae fuscis, squamula feminae fusca mari rufa, nonnunquam macula fusca; areola sessili. *Pedes* elongati, mediocres, fulvi; coxis nigris, anterioribus feminae subtus fulvis; trochanteribus maris superne basi nigra; tibiis posticis apice nigro aut fusco; tarsis posticis maris fuscis, articulo 1 basi rufa. *Abdomen* capite thoraceque vix paulo longius, dorso subfusiforme, ventre et lateribus totis compressis, mari apice minus crasso minusque obtuso quam feminae; segmento 1 latitudine triplo longiore, ubique fere aequilato, tuberculis lateralibus acute prominentibus, paulo ultra medium sitis.

Mares duos *Manger* cepit circa *Warmbrunn.* Feminam unam cepi circa *Vratislaviam*, alteram, die 3 Iunii, in umbellatis prope *Barterodam.*

Varietas.

1. *Abdomine medio rufo.* m. — *Longitudo* 4½ — 5 linearum. *Orbita* oculorum externa flava interdum obsoleta. *Abdomen* segmento 1 apice rufo; 2 rufo, maculis duabus basalibus nigris confluentibus; 3 margine summo rufo.

Individua tria *Sahlberg* e *Fennia* transmisit.

F A M I L I A II,

seu subgenus:

E X E T A S T E S,

a verbo ἐξεταστὴς, investigator — quia erucas investigat.

Abdomine subsessili aut subpetiolato, ventre plerumque compresso, maribus plurimis teretiusculo; areola rhombea aut triangulari, cellulae interioris nervo inferiore exteriore angulato; (aculeo exserto brevi, rarius longo).

Caput transversum breve, versus collum paulo angustatum. — *Oculi* ovales, saepe obsolete reniformes, *Ex. fulvipedi* angustiores, *Ex. brunnipedi* subglobosi. — *Antennae* graciles aut mediocres. — De his et de *partibus oris* conferre velis notam ad Ex. clavatorem. — *Thorax* gibbus. — *Scutellum* subtriangulare aut subquadratum, plus minus convexum aut gibbulum, individuis scutello pallido planius quam reliquis. — *Alae* mediocres aut subamplae; areola vel majore subrhombea, vel minore triangulari, rarius petiolata, e. g. *Ex. albitarso*, cellulae interioris nervo inferiore exteriore angulato. — *Pedes* mediocres aut elongati. — *Abdomen* laeve nitidum convexum; thorace longius, rarius fere ejus longitudine, e. g. *Ex. bicolorato;* thorace angustius; apicem versus plerisque ventre subcompressum, feminae *Ex. albitarsi* vix subcompressum, maribus plurimis teretiusculum (haud compressum). Segmentum primum subsessile aut subpetiolatum, apicem versus sensim dilatatum, basi aut petiolo brevi crassiusculo canaliculato, tuberculis lateralibus in medio, aut paulo ultra medium, sitis. — *Aculeus* exsertus brevis, rarius fere longitudine abdominis.

Affinitatum *Exetastarum* cum *Mesoleptis, Tryphonibus, Phytodietis, Mesochoris, Lissonotis* et *Banchis,* sub his jam mentio facta est. — *Leptobati* ab Exetastarum speciebus areola rhomboidali, v. c. ab *Ex. clavatore, fornicatore, laevigatore, bicolorato,* non nisi aculeo longiore differunt.

---

6. E. AETHIOPS. n.

Femoribus tibiisque anterioribus rufis. m. f. (*mas* clypeo testaceo.)

Statura et proportio partium *B. fulvipedis*, n. 9, sed antennis alis pedibusque longioribus.

Longitudo 5—5½ linearum. *Caput* maris clypeo, interdum etiam macula mandibularum, alteraque faciei, pallidetestaceis. *Antennae* apice curvatae, fere longitudine corporis, feminae paulo breviores quam mari. *Thorax* gibbulus, subtestaceo-sericans. *Alae* fumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice straminea, squamula maris straminea, feminae fusca; areola triangulari irregulari petiolata. *Pedes* coxis et trochanteribus nigris; femoribus anticis rufis, mari interdum superne fuscis, mediis rufis, mari interdum superne et lateribus fuscobadiis, posticis nigris, feminae castaneis superne fuscis; tibiis rufofulvis, posticis nigris, mediis interdum mari fuscis; tarsis anticis rufis, mediis ferrugineis aut fuscis, posticis nigris. *Abdomen* subpetiolatum, capite thoraceque parum longius et angustius, mari teretiusculum, feminae apicem versus compressum; segmento 1 canaliculato, apicem versus sensim dilatato, parte antica latitudine paulo longiore, tuberculis lateralibus perparum ultra medium sitis. *Aculeus* exsertus, longitudine septimae partis abdominis.

Mares duos cepi, die 7 Augusti in fruticetis prope *Warmbrunn;* feminam cepit *Richter* in umbellatis prope *Landshut.*

Varietas:

1. *Femoribus omnibus rufis.* m. — *Longitudo* paulo ultra 6 lineas. *Caput* ore et clypeo rufis. *Antennae* paulo breviores pauloque fortiores quam in mare genuino, obscuro-ferrugineae, articulis 1 et 2 nigris. *Thorax* testaceo-subsericans. *Alae* ut in mare genuino. *Pedes* anteriores rufi, coxis basi nigris, trochanteribus mediis basi nigris; postici coxis nigris, extrorsum macula obsoleta castanea, trochanteribus nigris apice rufo, femoribus rufis, tibiis rufis apice nigro, tarsis nigris. *Abdomen* paulo longior quam in mare genuino.

Hunc marem *Besser* e *Volhynia* transmisit.

7. E. BRUNNIPES. n.

Femoribus tibiisque castaneis, antennis subtus medio ferrugineis. f.

Longitudo 5 linearum. *Caput* punctum pilosellum. *Antennae* dimidio corpore longiores, apice graciliores recurvae; articulis 5 et sequentibus subtus ferrugineis, sensim obscurioribus, ultimis fuscis. *Thorax* gibbus punctus pubescens. *Alae* mediocres hyalinae, stigmate radio et radice nigris, squamula ferruginea; areola subregulari petiolata. *Pedes* mediocres elongati subpiloselli castanei,

coxis et trochanteribus nigris; postici tibiis extrorsum badiis, basin versus nigris puncto obsoleto albo, tarsis nigris. *Abdomen* capite thoraceque vix paulo longius, thorace angustius, nitidulum nigrum, lineari-fusiforme, apice subcompressum; segmento 1 subpuncto, latitudine plus duplo longiore, apicem versus sensim paulo dilatato, tuberculis lateralibus ante basin sitis. *Aculeus* longitudine trientis abdominis, niger, terebra rufa.

Unicam feminam, circa *Vindobonam* captam, *Dahl* mecum communicavit.

8. E. LATUS. n.

Femoribus tibiisque rufis, his basi alba; tarsis posticis nigris, annulo albo. f.

Statura tota latiore, nec non abdomine magis depresso, haec species a reliquis, imprimis a praecedente, ad quam caeteris propius accedit, differt.

Longitudo fere 5 linearum. *Caput* griseopubescens. *Antennae* filiformes, corpore breviores. *Thorax* gibbus punctus griseopubescens. *Alae* fumatohyalinae, stigmate et radio nigris, radice et squamula ferrugineis; areola triangulari petiolata. *Pedes* anteriores rufo-castanei, trochanteribus et coxis nigris, tibiarum basi alba, tarsis mediis fuscescentibus; postici castanei, coxis trochanteribus et geniculis summis nigris, tibiis apicem et basin versus nigris, basi ipsa alba, tarsis nigris, articulis 2—4 albis. *Abdomen* capite

thoraceque longius, thoracis latitudine, depressiusculum, punctum; segmento 1 pubescente canaliculato, basin versus sensim angustato, latitudine fere duplo longiore; 2 quadrato; 3 et 4 transversis; reliquis apicem versus angustioribus; 5 et 6 ventre prostantibus. *Aculeus* abdomine paulo brevior, niger, subpilosellus, terebra rufa.

Feminam unicam *Besser* e *Volhynia* transmisit.

9. E. FULVIPES. n.

Pedibus fulvis; coxis anterioribus, nec non tarsis posticis et tibiarum posticarum apice, nigris; antennis medio ferrugineis. f.

Haec species a reliquis, praeprimis a sequente, cui caeterum affinis est, pedibus paulo brevioribus et crassioribus, segmento primo breviore et latiore differt.

Longitudo $4\frac{1}{3}$—$6\frac{1}{3}$ linearum. *Caput* palpis fuscopiceis, rarissime stramineis, clypei margine et mandibularum medio rarissime stramineis. *Antennae* dimidio corpore longiores, apicem versus curvatae; articulis 4 et sequentibus ferrugineis, subtus dilutioribus. *Thorax* gibbus. *Scutellum* gibbulum. *Alae* subamplae fumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice fusca aut ferruginea aut picea, squamula rarissime straminea, individuo maximo ferruginea, minoribus macula fusca aut tota fusca; areola minore triangulari irregulari petiolata. *Pedes* mediocres rufofulvi aut rufi; ante-

riores coxis rarissime fere totis rufis, ut plurimum nigris apice summo rufo; postici tarsis nigris, tibiis ferrugineis apice nigro. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius et paulo angustius, seu thoracis latitudine, fusiforme, apice compressum; segmento 1 canaliculato, apicem versus sensim dilatato, latitudine longiore, minoribus latitudine fere duplo longiore. *Aculeus* sextae aut septimae partis abdominis longitudine.

Tres feminas legi, die 27 Augusti, in cacumine montis *Reiftraeger*, in pinetis, unam, eodem mense, in umbellatis prope *Cudovam*; duae, circa *Berolinum* et *Sickershausen* captae, mecum communicatae sunt. Berolinensis, omnium maxima, aculeo est breviore. Tres, in monte Reiftraeger lectae, pedibus gracilioribus, unaque earum insuper palpis, mandibularum medio, clypei margine et alarum squamula stramineis, a reliquis discedunt.



10. E. FORNICATOR.

Femoribus tibiisque fulvis. m. f.

Longitudo 5½—7 linearum. *Antennae* setaceae, apice curvatae, mari corporis longitudine, feminae ut plurimum paulo breviores. *Thorax* gibbus. *Scutellum* tuberculatum. *Alae* mediocres, plus minus fumato-hyalinae, stigmate fusco aut piceo aut ferrugineo, radio et radice fuscis, rarius ferrugineis, squamula nigra; areola subsessili aut

subpetiolata. *Pedes* elongati, fulvi aut rufofulvi, coxis et trochanteribus nigris; postici plerumque tarsis et tibiarum apice nigris, tarsis interdum articulo 5 rufo, rarius etiam articulo 1 basin versus fulvo aut rufo apice fusco. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, vel paulo longius, fusiforme, subcompressum, a latere visum clavatum, mari tamen plerumque vix subcompressum; segmento 1 latitudine duplo aut plus duplo longiore, apicem versus sensim dilatato, tuberculis lateralibus ultra medium sitis; 3 rarissime apice castaneo. *Aculeus* brevis niger, longitudine sextae partis abdominis.

Mares et feminas legi passim in *Silesia*, nec non circa *Gottingam*, mensibus Iunii—Augusti, in fruticetis umbellatis et gramine; par etiam circa *Sickershausen* captum mihi transmissum est. Unum marem cepi die 3 Octobris prope *Vratislaviam*. Quidam, circa *Berolinum Niesky* et in *Hungaria Volhynia*que lecti, mecum communicati sunt. Singulam feminam cepi die 3 Septembris, in Angelica sylvestri prope *Woelfelsgrund;* nonnullas alias accepi, circa *Hannoveram, Norimbergam, Vindobonam, Genuam*, et in *Tauria*, lectas.

Varietas:

1. *Segmento secundo rufomaculato.* f. — Caetera sicut in feminis genuinis.

Quaedam individua legi, mense Augusto in umbellatis, circa *Warmbrunn* et *Grohnde.*

Synonyma:

Ichn. fornicator Fabr. Spec. pag. 432, n. 72. — Ent. II, p. 168, n. 144; habitat in Italia.
„ Gmel. ed. Linn. p. 2692, n. 150 (ubi autem, in descriptione, verba: *plantis posterioribus rufis,* mutanda sunt in: *pedes rufi, plantis posticis nigris;* haec enim sunt verba Fabricii l. c.).
„ Villers p. 176, n. 124; habitat in *Brescia,* prope *Lugdunum.*
„ Cederhielm p. 161, n. 496.
Banchus fornicator Fabr. Piez. p. 127, n. 3.
„ Panzer Revis. II, p. 86 (ubi autem non nisi oris partes hujus speciei descriptae sunt).

Nota:

Num quoque *Ichn. fornicator* Rossii n. 766 et Olivieri p. 189, n. 126, huc referri possit, nescio, cum auctores ambo de aculeo nihil aliud dicunt quam quod abdomine brevior sit. Saltem Ichn. Geoffroii 8 pag. 325, aculeo corporis tertiae aut quartae partis longitudine, quem Olivier ad fornicatorem adhibet, nullo modo ad hanc nostram speciem spectat, sed ad *Pimplam instigatorem.* — Ichneumon, cujus Illiger in adnotatione ad istam Rossii speciem mentionem fecit, nostri speciei respondere videtur, sed denticuli metathoracis, quos Illiger ei tribuit, in nostra vix subprominent.

10b. E. CALOBATUS. n.

Pedibus anterioribus rufis, coxis et trochanteribus nigris; posticis nigris, coxis et femoribus rufis. f.

Haec species, antecedenti *fornicatori* affinis, non solum colore pedum posticorum, sed etiam pedibus antennisque gracilioribus et segmento 1 angustiore, distincta est.

Longitudo 5½—6 linearum. *Antennae* graciles subsetaceae, fere longitudine corporis. *Alae* fumato-hyalinae; stigmate radio et squamula nigris, radice fuscoferruginea; areola triangulari irregulari sessili. *Pedes* graciles; anteriores rufofulvi, coxis et trochanteribus nigris, tarsis apice fuscis; postici nigri, coxis femoribusque rufis aut rufofulvis, apice summo nigris. *Abdomen* capite thoraceque angustius et paulo longius, fusiforme, apice subcompressum; segmento 1 basin versus sensim angustato, latitudine plus duplo aut triplo longiore. *Aculeus* brevis, ut in antecedente.

Duae feminae ad me missae sunt, una in *Regione pedemontana* altera circa *Netley* capta.

25. 6. 90

X 11. E. CLAVATOR.

Pedibus rufis, coxis et trochanteribus nigris; annulo albo tarsorum posticorum et antennarum. f.

Longitudo 4½—5½ linearum. *Caput* nonnunquam clypeo nigro-rubricoso. *Antennae* seta-

ceae, corporis longitudine, seu paulo breviores, apice recurvatae; articulis 12—18 aut 13—18 albis, subtus puncto fuscescente, rarius 11—15 albido-ferrugineis. *Thorax* gibbulus. *Alae* mediocres, plus minus fumato-hyalinae, stigmate piceo aut fusco, radio et squamula fuscis, radice piceofusca; areola subirregulari subpetiolato. *Pedes* graciles elongati rufi, coxis et trochanteribus nigris, femoribus mediis plerumque superne nigricantibus, tarsorum posticorum articulis 2—4 albidoflavis. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, seu paulo longius, fusiforme, praecipue apicem versus subcompressum; segmento 1 latitudine duplo aut plus duplo longiore, apicem versus latiore, tuberculis lateralibus ultra medium sitis. *Aculeus* longitudine sextae partis abdominis.

Unam feminam cepi, mense Iulii, circa *Gottingam* in gramine; alias quasdam prope *Münden* in Pastinaca sativa, mense Iunii; plures mecum communicatae sunt, circa *Vratislaviam*, *Warmbrunn*, *Berolinum*, *Hannoveram*, *Sickershausen* et in *Volhynia* lectae.

Synonyma:

Ichn. Degeer II, p. 849, n. 4; prodibant, mense Iunio, e folliculis nigris laevibus nitidis; larvae vixerant in larvis laevibus brunneis Brassicae et Nicotianae. (Auctori nati sunt mas et femina; mas erat noster *osculatorius*, n. 15. Eo magis autem credo, *osculatorium* esse verum marem

clavatoris, cum omnes, quos vidi, *clavatores* feminae, *osculatorii* autem mares fuerint).

Ichn. cinctipes Retz, n. 269.

„ Villers p. 187, n. 162 (observatione Degeeri repetita).

Ichn. clavator Fabr. Ent. p. 151, n. 74.

„ Panzer ad Sch. tab. 20, fig. 12; frequentat Rutam graveolentem. (Haud confundendus cum *Ichn. clavatore* Schrank Boica n. 2112 et Müll. Prodr. n. 1820, luteo etc. de quo conferas nostrum Campoplegem testaceum).

Ophion clavator Fabr. Piez. p. 134, n. 17; habitat *Kiliae.*

Ophion tarsator Fabr. Piez. p. 134, n. 20; habitat in Austria.

Nota:

Antennarum et oris descriptio accuratior, auctore *Neeseo ab Esenbeck*, haec est:

Antennae rectae setaceae, articulis 54 (ultimis deficientibus), structura ut in Pimpla setosa; pedicello in cavitate scapi toto delitescente Annulus articulorum 14—21.

Clypeus linea profunda semicirculari discretus, planiusculus, utrinque subsinuatus, antice truncatus, angulis rotundatis. — *Mandibulae* ut in Pimpla setosa, paulo infirmiores, extus basin versus distincte punctulatae. — *Labrum* breve deflexum, obtuse-triangulum. — *Maxillae* labii

longitudine, illud arcte amplectentes: *Stipes* structurae ut in Pimpla setosa, latere inferiore oblongo-ovato, margine interiori apicem versus linea impressa discreto, apice extrorsum sinu obsoleto exciso: *Mala*, stipitis longitudine, ejusdem structurae ut in Pimpla setosa, margine supero magis semicirculari, nec adeo obliquo. — *Palpi maxillares* maxilla dimidio longiores, pubescentes filiformes quinquearticulati; articulis 1 et 3 subaequalibus, basin versus angustatis; 2 paulo breviore, obsolete-trigono, aequali, basin versus vix angustato, nec praecedentem crassitie superante; 4 omnium brevissimo quintoque filiformibus, isto substantiae magis spongiosae, pallidioris coloris, longitudine articuli tertii, acutiusculo. — *Labium: Mentum* subovatum convexum, a latere parum compressum, apice tridentatum, dentibus lateralibus parvis acutis, medio majori truncato: *Lingua* mento vix dimidio brevior, ascendens emarginata, lobis deorsum conniventibus, brevibus subtrigonis obtusis ciliatis. — *Palpi labiales* lingua duplo longiores, quadriarticulati pubescentes; articulo 1 obconico recto, longitudine quarti; 2 et 3 brevioribus, illo fere rhombeo, angulis obtusis, hoc obconico, paulo longiori; 4 cylindrico obtuso corneo.

Panzer, in Revis. p. 89, jure optimo *Ophionem tarsatorem* Fabr. cum *Oph. clavatore* Fabr. conjunxit. Haud vero hic mas est illius, sed ambo sunt feminae; nam Fabricius, in Ent. p. 151, clavatori etiam aculeum tribuit. Errat quoque Pan-

zer, cum l. c. *Ichneumonem elevatorem* Panzer Faun. fasc. 71, n. 15, huc refert, quippe qui, coxis et trochanteribus rufis, tibiis posticis nigris, aculeo abdominis longitudine, satis differt. Idem monendum est ad *Ichn. elevatorem* Lamarck p. 138, n. 8, ubi etiam *Ophion clavator*, interrogative quidem, allegatur. Fabricius autem *tarsatori* et *clavatori* aculeum parvum tribuit, quod quidem cum nostro Bancho, nec vero cum *elevatore* Panzeri, convenit; praeterea Fabricius tibiarum posticarum nigrarum nullam fecit mentionem, quibus ista Panzeri species distinguitur.

12. E. TRISTIS. n.

Segmentis intermediis castaneo-marginatis; tibiis anterioribus interne rufis; scutello et antennarum annulo albis. f.

A varietate *Exet. nigripedis*, n. 17, hic differt capite minore, nervo inferiore exteriore cellulae cubitalis internae curvato quidem, nec vero angulato, metathorace crassius puncto. — *Statura* et proportio partium sicut in femina *guttatorii*, n. 14.

Longitudo 4¼ linearum. *Antennae* articulis 10—12 (sequentibus deficientibus) tribus lateribus albis. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula nigris. *Pedes* anteriores femorum apice et tibiarum latere interno rufis. *Abdomen* segmentis 2 et 3 summa basi sum-

moque margine, 4 solo summo margine, castaneis. *Aculeus* fere quartae partis abdominis longitudine.

Unicam feminam, circa *Genuam* captam, *a Spinola* ad me transmisit.

13. E. ICHNEUMONIFORMIS. n.

Abdominis medio femoribusque anterioribus rufis; tibiis testaceis, posticis apice fusco; scutello et antennarum annulo flavis. m. f.

Statura et proportio partium speciei sequentis; mas abdomine vix parum longiore; femina antennis longioribus, aculeo paulo breviore.

Longitudo maris 6, feminae 6⅓ — 7 linearum. *Antennae* maris articulis 13, 14, 22 et 23 flavis, subtus fuscis, 15—21 totis flavis; feminae articulis 12—20 alboflavis, subtus fuscis. *Scutellum* pulvinatum flavum. *Alae* fulvo-fumato-hyalinae, stigmate et radio fulvis, radice et squamula feminae flavis, mari ex albo flavis. *Pedes* trochanteribus et coxis nigris, illis apice rufo; femoribus anterioribus diluterufis, posticis mari fuscis, superne et apice rufis, feminae nigris geniculo ferrugineo; tibiis maris flavis, posticis apicem versus obscurioribus apice ipso nigro, feminae omnibus fulvis, basin versus flavis; tarsis maris testaceis, posticis rufescentibus, feminae rufis, posticis articulis 2—4 pallide-flavis. *Abdomen* segmento 1 nigro, margine mari testaceo, feminae rufo; 2 et 3 mari testaceis, feminae rufis; sequentibus nigris, 4 mari an-

gulis baseos testaceis. Mas *stylis* duobus analibus subexsertis conicis compressis, membro intermedio brevi, curvato-clavaeformi, testaceo. Femina *aculeo* longitudine $^2/_3$ lineae, ferrugineo, basi nigro.

Marem *austriacum Klug* mecum communicavit. Feminam unam *ab Uechtritz* cepit circa *Meffersdorf*, alteram, mense Iunio, in floribus Rhamni frangulae, circa *Langenau*.

14. E. GUTTATORIUS. n.

Abdomine rufo, basi apiceque nigro; tibiis anterioribus femoribusque rufis; scutello et antennarum annulo albis. m. f. (*mas* tarsis posticis annulo albo).

Longitudo $3\,^2/_3$—5 linearum. *Caput* clypeo interdum nigro-rubricoso. *Antennae* setaceae, *mari* corporis longitudine, porrectae, apice subcurvatae, articulis quibusdam, inter 14—19 sitis, supra albis; *feminae* dimidio corpore paululum longiores, involutae, articulis 10—17, vel plurimis eorum, supra albis. *Thorax* gibbulus, colli margine supero plerumque albo. *Scutellum* album. *Alae* mediocres subhyalinae; stigmate radio et radice fuscis aut fuscoferrugineis; squamula nigra, interdum puncto albo, rarius tota albida; areola subirregulari subsessili. *Pedes* mediocres subelongati, rufi; coxis et trochanteribus nigris; femoribus anterioribus rarius basi nigris; tibiis posticis

nigris, feminae interdum rufo-nigris; tarsis posticis feminae vel totis nigris, vel articulis 3 et 4 aut 3 solo, rarius 2—4, ferrugineis, mari articulo 4, plerumque 3 toto aut apice, rarius vero etiam 2 apice, albis; tarsis mediis interdum nigricantibus. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, thorace angustius, lineari-fusiforme, mari apicem versus vix subcompressum, feminae autem magis compressum; segmento 1 apicem versus sensim latiore, latitudine duplo aut plus duplo longiore, nigro, plerisque apice rufo; 2—4 rufis aut badiis, interdum macula dorsali nigra subobsoleta; 5 vel rufo, vel apice nigro, vel toto nigro; 6 et 7 nigris, rarissime rufis. *Aculeus* niger, longitudine quartae aut quintae partis abdominis.

Mares feminasque legi, mensibus Augusti et Septembris, in umbellatis, circa *Cudovam* et *Helmstadium*; duo paria accepi, circa *Berolinum* et in *Volhynia* capta. Mares singulos legi, mense Augusti, in fruticetis circa *Warmbrunn*; nonnulli alii, passim in *Silesia*, nec non circa *Vindobonam*, *Norimbergam*, *Parmam* et in *Regione Pedemontana*, lecti, mecum communicati sunt. Feminas quasdam singulas, circa *Hannoveram*, *Parisios*, *Genuam* et in *Tauria* lectas, accepi.

Varietas:

1. *Tarsis posticis alboannulatis, abdominis apice rufo.* f. — *Tarsi* postici articulis 2—4 aut 3 et 4, aut 3 solo, albis. *Abdomen* segmentis 2—7

totis rufis. — Caetera sicut in feminis plurimis genuinis.

Unam feminam cepi, cum pluribus genuinis, circa *Cudovam*, eodem loco et die. Nonnullae aliae, circa *Genuam*, *Parmam*, nec non in *Regione Pedemontana* et in *Volhynia* captae, mihi transmissae sunt.

Haec varietas in Italia frequentior esse videtur, species genuina autem in Germania.

15. E. OSCULATORIUS.

Abdominis medio pedibusque rufis, coxis et trochanteribus supra nigris, tarsis posticis medio flavis; linea ante alas, scutelli apice, facieque flavis. m.

Longitudo 4⅓—5 linearum. ***Caput*** facie et ore flavis, apice mandibularum nigra. *Antennae* setaceae, apice curvatae, corporis longitudine seu paulo breviores, articulo 1 subtus plerumque flavo. *Thorax* gibbulus; linea ante alas, lineolaque transversali infra alas, interdum quoque punctis seu lineolis duabus pectoralibus, flavis. *Scutellum* apice albo aut flavo, distinctiore aut obsoletiore. *Alae* mediocres, hyalinae aut subhyalinae, stigmate piceo aut fulvoferrugineo, radio fusco, radice et squamula flavis aut fulvo-ferrugineis; areola subregulari, sessili aut subpetiolata. *Pedes* subgraciles, rufo-fulvi; coxis et trochanteribus nigris, anterioribus subtus flavis, posticis subtus

flavo-ferrugineis aut castaneis; tibiis posticis apice interdum fusco; tarsorum posticorum articulis 2—4 albo-flavis. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, vel paulo longius, thorace angustius, sublineari-fusiforme, apicem versus plus minus subcompressum; segmento 1 apicem versus sensim latiore, latitudine fere triplo longiore, nigro, interdum apice castaneo; 2 rarissime toto nigro aut basi castanea, plerumque rufo, linea media transversali, interdum etiam lateribus, nigris; 3 rarius toto rufo, plerumque apice et lateribus nigris; 4 nigro, basi rufa aut castanea, rarius toto nigro; sequentibus nigris.

Mares plures legi, mense Iulio, circa *Helmstadium*, in floribus Petroselini; alii, circa *Berolinum*, *Warmbrunn*, *Gottingam*, *Niesky*, *Sickershausen* et *Norimbergam* capti, mecum communicati sunt.

Varietas:

1. *Scutello toto nigro.* m. — Caetera sicut in plurimis maribus genuinis.

De loco natali nil certi constat.

Synonyma:

Ichn. Degeer II, p. 849, n. 4, mas (conferas synonymum Degeeri ad nostrum *Ex. clavatum*, n. 11).

Ichn. cinctipes Retz, n. 269.

„ Villers p. 187, n. 162; var. antennis totis nigris.

Ichn. osculatorius Fabr. Mant. p. 261, n. 20; habitat *Kiliae.* — Ent. II, p. 142, n. 38 (ubi tamen verba: *tarsis posticis nigris,* mutanda sunt in: *tarsis posticis albidis*).
„ Villers p. 151, n. 50.
„ Gmel. ed. Linn. p. 2680, n. 92.
„ Walckenaer p. 53, n. 22. (*Ichn. osculatorius* Olivier p. 170, n. 31, capite toto nigro, huc non referri potest, sed Ichn. Geoffroyi, n. 57 p. 346, (*Ichn. Iunci* Fourcroyi p. 413, n. 58), quem Olivier ad osculatorium adhibet, ad hanc nostram speciem spectat; alis autem nigricantibus, abdomine brevioribus, differt.

Nota:

Conferre velis notam ad nostrum *Mesoleptum Typhae,* n. 39.

16. E. BILINEATUS. n.

Abdominis medio, femoribus tibiisque, rufis; tarsis posticis antennisque albo-annulatis; macula scutellari et linea ante alas flavis. m.

Statura et proportio partium omnino antecedentis.

Longitudo 5 linearum. *Caput* interdum clypeo ferrugineo. *Antennae* articulis 15 — 18 superne albidis, interdum colore obsoleto. *Thorax* linea flava ante alas. *Scutellum* vel totum flavum,

vel solo puncto flavo. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio nigris, radice straminea, squamula albida; areola sicut in praecedente. *Pedes* rufi, trochanteribus et coxis nigris, his subtus interdum macula castanea, postici tibiarum apice tarsisque nigris, his articulis 3 et 4, interdum etiam apice secundi, albidis. *Abdomen* fusiforme castaneum; segmento 1 vel basi sola obscuriore, vel nigro margine castaneo; 7 et 8 nigris.

Unum marem *italicum* vidi in museo *Comitis de Hoffmannsegg;* alterum, *etruscum,* labro coxis et trochanteribus totis nigris, semiannulo albo antennarum obsoleto, puncto scutellari albo, segmento 1 fere toto nigro, *a Sanvitale* transmisit.

17. E. NIGRIPES. n.

Segmentis 2—4 et apice primi rufis; tibiis anticis ferrugineis. m. f. (*mas* tibiis posticis albo-annulatis).

Longitudo fere 5—$5\frac{1}{2}$ linearum. *Caput* feminae totum nigrum; mari plerumque puncto flavo ad orbitas internas oculorum, utrimque pone clypeum, rarius mandibulis medio flavis. *Antennae* setaceae, apice curvatae, mari corporis longitudine seu paulo breviores, feminae paulo breviores quam mari. *Thorax* gibbus. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate ferrugineo, radio et radice fuscis, squamula nigra; areola sessili. *Pedes* longissimi nigri; feminae anteriores, vel soli antici, tibiis

geniculisque ferrugineis; mari anteriores tarsis fuscis aut ferrugineis, tibiis ferrugineis aut substramineis, femoribus anticis subtus et apice, mediis tantum geniculis, ferrugineo-rufis, postici tarsorum articulis 3 et 4 albidis. *Abdomen* fusiforme, apicem versus ventre compressum, capitis thoracisque longitudine seu paulo longius, thorace angustius; segmento 1 apicem versus sensim dilatato, latitudine triplo aut plus duplo longiore, rufo, basi nigra; 2 et 3 rufis, 3 mari interdum apice nigricante; 4 rufo, mari interdum fuscescente; reliquis nigris, 5 rarius basi rufo. *Aculeus* niger, longitudine quintae partis abdominis.

Mares et feminas accepi circa *Vindobonam* lectos. Mares quosdam ipse cepi die 20 Iunii circa *Sibyllenort* in loco aprico in gramine; unum *pedemontanum Bonelli* mecum communicavit. Feminam, circa *Sickershausen* captam, *Nees ab Esenbeck* mihi misit.

Varietas:

1. *Scutello albo-notato.* m. f. — *Longitudo* maris 5, feminae $4\frac{2}{3}$ — $5\frac{1}{3}$ linearum. *Thorax* maris puncto albo ante alas; feminae plerumque totus niger, interdum puncto infra alas, rarius altero ante alas, albo. *Scutellum* maris apice album; feminae vel sicut in mare, vel totum album, rarius tantum summo apice albo. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate stramineo, radio radice et squamula fuscis; areola rhombeata subpetiolata.

Pedes maris antici latere infero femorum tibiisque rufis, his externe medio fuscis; medii geniculis et summa tibiarum basi testaceis; *feminae* antici subtus tibiis, ut plurimum quoque femoribus apicem versus, rufis aut testaceis; medii interdum femoribus subtus apicem versus rufis, tibiis basi albido-testaceis. *Abdomen* segmento 1 nigro, apice rufo, feminis interdum rufo, basi petioli nigra; 2 et 3 rufis, feminae rarius puncto laterali nigro; 4 nigro, basi rufa, feminis rarius apice quoque rufo; reliquis nigris. *Aculeus* ut in genuinis.

Hujus varietatis marem unicum *Schilling* cepit circa *Vratislaviam.* — Feminae maribus sunt frequentiores: Quaedam ad me transmissae sunt, circa *Berolinum Warmbrunn Vindobonam* et in *Volhynia* lectae; unam cepi, mense Augusti, in umbellatis circa *Cudovam;* una *Hartliebio* proveniebat e pupa *Noctuae valligerae.* — Autumno anni 1819 copiam accipiebam folliculorum larvarum *noctuae praecocis*, pupas singulas Ichneumonis includentium. Diebus 2—25 Iulii anni 1820 prodibant plures feminae *Exetastes nigripedis.* Quaedam pupae immutatae incolumesque manebant; vere autem anni 1821 ex his quoque feminae nostri Exetastes excludebantur. Cunctae erant scutello plus minus albo-notato, plurimae thorace toto nigro, una tamen ante et infra alas maculata, haec quoque femoribus mediis apicem versus rufis, tibiisque mediis basi sordide-albidis, a reliquis distincta.

Nota:

Conferas notam ad *bicoloratum*, n. 20.

18. E. INQUISITOR. n.

Segmentis 2 et 3, nec non apice primi, rufis; tibiis anterioribus subtus testaceis. f.

Statura et proportio partium omnino *bicolorati*, n. 20; pedibus tamen paulo longioribus. A femina praecedente haec differt statura tota crassiore et majore, pedibus paulo crassioribus, abdomine fere latitudine thoracis, segmento 1 latitudine duplo longiore, aculeo longiore. (Conferas notam ad *bicoloratum*).

Longitudo 6 linearum, seu paulo minor. *Alae* fumatohyalinae, stigmate rufo-ferrugineo, radio et squamula nigris, radice fusca. *Pedes* nigri; femoribus anticis subtus et apice, mediis solo apice, testaceis; tibiis anticis testaceis, supra subfuscescentibus, mediis fuscis, subtus subtestaceis; tarsis anterioribus testaceis, mediis superne fuscis, posticis ferrugineis. *Abdomen* segmento 1 rufo, basi nigra; 2 et 3 rufis. *Aculeus* longitudine quartae partis abdominis.

Feminae duae, circa *Vindobonam* et *Dresdam* captae, mecum communicatae sunt.

19. B. FLAVITARSUS. n.

Abdominis medio, femoribus anterioribus, tibiisque rufis, harum posticis apice nigro; tarsis posticis rufis, medio flavis. m.

Statura et proportio partium omnino *nigripedis*, n. 17. An mas *Leptobati Ziegleri*, n. 28? qui autem pedibus posticis gracilioribus et totis nigris differt.

Longitudo 6 linearum, seu parum major. *Thorax* nonnunquam puncto parvo testaceo infra alas. *Alae* fumato-hyalinae, stigmate rufo, radio fusco, radice picea, squamula nigra, interdum apice rufa. *Pedes* anteriores rufi, coxis et trochanteribus nigris, femoribus anticis interdum basi nigris, mediis versus basin fuscescentibus aut nigris; postici nigri, tibiis rufis apice nigro, tarsis rufis, articulis 2—4 flavescentibus. *Abdomen* segmento 1 nigro, apice rufo; 2—4 rufis, 4 fascia lata nigra ante marginem; reliquis nigris.

Mares duo, circa *Vratislaviam* et *Pichelsberg* capti, mecum communicati sunt.

20. E. BICOLORATUS. n.

Segmentis 2—4, nec non apice primi, tibiis anterioribus, femoribusque rufis. m. f.

Statura crassior quam in reliquis hujus familiae cospeciebus, exceptis sequentibus duabus.

Longitudo 5— fere 6 linearum. *Caput* interdum macula clypei obscuro-rubricosa. *Antennae* vel dimidio corpore paulo longiores vel fere longitudine corporis, apice subgraciliores curvatae. *Thorax* gibbus. *Alae* mediocres, subfumatohyalinae; stigmate fulvoferrugineo, radio et squamula fuscis; radice fuscoferruginea, feminae straminea; areola subirregulari subpetiolata. *Pedes* mediocres elongati rufi, trochanteribus et coxis nigris; postici tarsis et tibiis nigris, his basi ferrugineis aut rufescentibus. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine seu paulo longius, thorace angustius, oblongum, *mari* vix apice subcompressum obtusum, segmentis 2—4 castaneis aut rufis, interdum sub-fusco-maculatis, 5 rarius toto rufo, plerumque nigro, basi aut margine castaneo, 6 et 7 nigris; *feminae* apice truncatum compressum segmentis 2—3—4 castaneis, reliquis nigris, 5 interdum badio-maculato; segmento 1, utrique sexui, apicem versus sensim dilatato, latitudine duplo longiore, castaneo, basi nigro, mari rarius toto castaneo. *Aculeus* longitudine fere quartae aut quintae partis abdominis.

Mares quosdam accepi, circa *Warmbrunn Sickershausen* et *Genuam* lectos; feminas, circa *Vindobonam Parisios* et *Parmam* lectas. Mas warmbrunnensis a reliquis differt segmento quinto toto rufo.

Nota:

Exetastes nigripes, inquisitor et *bicoloratus* peraffines sunt. *Bicoloratus* distinguitur ab illis, colore pedum, a *nigripede* praeterea statura pedibusque crassioribus. *Inquisitor* differt a *nigripede*, statura crassiore, aculeo longiore, etc. Inter individua *bicolorati* unum tamen est, nempe parisinum, quod has tres species jungere videtur: reliquis *bicolorati* feminis minus est, et praeterea aculeo breviore segmentisque 4—7 totis nigris discedit; aculeo breviore adpropinquat ad *nigripedem*, colore abdominis optime cum *inquisitore* convenit, colore pedum autem *bicolorato* respondet.

21. E. ROBUSTUS. n.

Scutello albo; abdominis medio femoribus tibiisque rufis, horum posticis apice nigro. m. f.

Statura et proportio partium omnino praecedentis, sed corpore toto minore.

Longitudo 4½—5 linearum. *Thorax* maris puncto albo infra alas. *Alae* fumatohyalinae, stigmate rufo aut ferrugineo, radio fusco, radice stra-

minea, squamula nigra. *Pedes* anteriores rufi, coxis et trochanteribus nigris; postici nigri, femoribus rufis geniculo nigro, tibiis ante basin rufis. *Abdomen* segmento 1 rufo basi nigra; 2 et 3 rufis; reliquis nigris. *Aculeus* niger, fere tertiae partis abdominis longitudine.

Marem *Besser* transmisit e *Volhynia;* feminas duas *a Steven* e *Tauria.*

22. E. CRASSUS. n.

Abdominis medio femoribus tibiisque castaneis, harum posticis apice nigris. f.

Statura crassiore haec species a reliquis cospeciebus, ipsisque duabus antecedentibus, distincta est.

Longitudo 5¾ linearum. *Caput* subpubescens, thorace angustius. *Antennae* dimidio corpore longiores, porrectae, apice graciliores et parum curvatae. *Thorax* gibbus subpubescens. *Alae* amplae fumatohyalinae, stigmate ferrugineo, radio et radice fuscis, squamula nigra, areola subregulari subpetiolata. *Pedes* mediocres; postici elongati nigri, femoribus et tibiarum basi rufo-castaneis; anteriores rufi, coxis et trochanteribus nigris. *Abdomen* capite thoraceque vix paululum longius, parumque angustius, oblongoovatum, a latere visum clavatum apice truncato; segmento 1 basin versus sensim angustato, latitudine fere duplo longiore, nigro, apice castaneo-badio, tuber-

culis lateralibus parum ultra medium sitis; 2—4 longitudine latioribus, castaneo-badiis; reliquis nigris. *Aculeus* fere dimidii abdominis longitudine niger; stylis duobus minutis lineari-fusiformibus, supra aculeum exsertis.

Feminam unicam *Comes de Küenburg* ex *Hungaria* ad me transmisit.

23. E. LAEVIGATOR.

Segmentis 2 et 3 nec non apice primi, tibiis anterioribus femoribusque, rufis; tarsis posticis apice albidis aut ferrugineis. m. f.

Longitudo 4½—5½ linearum. *Antennae* apicem versus graciliores curvatae, mari corpore paulo breviores, feminae vix dimidio corpore longiores. *Thorax* gibbus aut gibbulus. *Alae* mediocres subangustae, plus minus fumatohyalinae, stigmate fulvo aut ferrugineo, rarius fusco, radio radice et squamula nigris; areola subirregulari, sessili aut subpetiolata, rarius petiolata. *Pedes* mediocres elongati, fulvi aut rufi, coxis et trochanteribus nigris; postici tibiis nigro-fuscis, subtus et basi subfulvis aut rufescentibus, tarsis nigrofuscis, articulis 4 et 5, interdum quoque 3, ferrugineis aut fulvis, rarius albidis. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius, thorace angustius, interdum fere dimidii thoracis latitudine, elongato-fusiforme; segmento 1 apicem versus sensim dilatato, latitudine plus duplo seu triplo longiore, vel

nigro, apice rufo aut castaneo, vel solo petiolo nigro, tuberculis lateralibus ultra medium sitis; 2 et 3 rufis aut castaneis; sequentibus nigris; 4 interdum basi, rarius quoque lateribus et apice, rarissime toto, rufo aut castaneo. *Aculeus* longitudine tertiae aut quartae partis abdominis.

Mares et feminae passim in *Silesia* lecti sunt, mensibus Iunii et Augusti, nec non circa *Niesky*, *Steglitz* et *Helmstadium*, mensibus Iulii et Augusti, in umbellatis et fruticetis. Marem, eumque unicum segmento 4 toto rufo, cepi in summo cacumine Sudetarum, *Schneekoppe* appellatum, die 29 Augusti. Mares nonnulli, circa *Gottingam*, *Sickershausen* et *Parmam*, feminaeque, circa *Hannoveram*, *Halam Saxonum*, *Norimbergam*, in *Hungaria* et *Volhynia*, lecti, mecum communicati sunt.

Varietas:

1. *Tarsis posticis totis nigris.* m. — *Longitudo* 5¾ linearum. *Tibiae posticae* nigrae, basi summa badia. *Femora anteriora* basi nigra. — Caetera sicut in plurimis maribus genuinis.

Hunc marem *ab Uechtritz* cepit prope *Steglitz* in pino sylvestri.

Synonyma:

Ichn. laevigator Villers p. 193, n. 189; rarior in *Gallia australi*.

„ Olivier p. 216, n. 55; in *Gallia meridionali*.

Ichn. cothurnatus Gravenh. Uebers. n. 3742 (haud confundendus cum *Ichneum. cothurnato* reliquorum auctorum).

Nota:

Varietas descripta colore propius accedit ad *bicoloratum*, n. 20; sed habitu et statura magis huic *laevigatori* respondet.

24. E. NIGRIPENNIS. n.

Segmentis 1 et 2, nec non apice primi, femoribus tibiisque, rufis. m. f. (*mas* macula castanea ad orbitas oculorum occipitales).

Hic Banchus pedibus brevioribus et validioribus a reliquis cospeciebus hujus familiae distinctus est.

Longitudo maris 4—5, feminae 4 linearum. *Caput* nigropubescens, mari palpis fusco-stramineis, macula castanea utrimque ad orbitam oculorum occipitalem. *Antennae* corpore breviores, apice curvatae et sensim subtiliores. *Thorax* gibbus, nigro-subpubescens. *Alae* mediocres, fusco-hyalinae, feminae obscuriores; stigmate et radio fuscis aut nigris, radice et squamula rufis aut rufofulvis; areola subirregulari, sessili aut subsessili. *Pedes* mediocres rufi aut rufofulvi; coxis subpubescentibus trochanteribusque nigris, horum posticis mari apice rufis; tarsis posticis feminae fuscescentibus. *Abdomen maris* capite thoraceque lon-

gius et angustius, lineari-fusiforme, *feminae* capitis thoracisque longitudine, thorace paulo angustius, oblongo-fusiforme, a latere visum clavatum, apice truncato subcompresso; segmento 1 petiolato, parte antica subquadrata, duplo latiore quam petiolus, latioreque quam in reliquis cospeciebus, longitudine petioli, mari nigro, apice rufo, feminae rufo, summa basi nigra; 2 et 3 rufis, 3 plerumque apice nigricante; reliquis nigris. *Stylus analis* maris brevis exsertus obtusus. *Aculeus* feminae longitudine tertiae partis abdominis.

Par hujus speciei *austriacum Dahlio* debeo; marem alterum, eumque minorem, *Besser* transmisit e *Volhynia*.

✗ 25. E. ILLUSOR. n.

Abdomine rufo, apice et summa basi nigro; femoribus tibiisque rufis, posticis apice nigris; tarsis posticis medio albidis. m. f. (*mas* facie flavomaculata; *femina* antennis alboannulatis).

Longitudo 4—5 linearum. *Caput* feminae totum nigrum; mari orbitis oculorum facialibus, plerumque facie, seu macula magna faciali, cum orbitis plus minus confluente, lineaque longitudinali nigra abbreviata dimidiata, vel tantum lineolis seu punctis duobus infra antennas, interdum obsoletis, clypeo labro et mandibulis, flavis, his apice et basi nigris. *Antennae* subsetaceae; mari

longitudine corporis, porrectae, interdum apicem versus ferrugineae; feminae ut plurimum paulo breviores, articulis 14—17 aut 13—18 supra albis. *Thorax* gibbulus aut gibbulo-cylindricus. *Alae* mediocres, plus minus subfumatohyalinae; stigmate testaceo, radio fuscescente, radice rufa aut fusca, squamula nigra aut fusca; areola subirregulari subpetiolata. *Pedes* anteriores graciles rufi, coxis et trochanteribus, nonnunquam etiam femorum basi, nigris; postici graciles longi, coxis et trochanteribus nigris, femoribus rufis geniculo nigro, tibiis rufis, apicem versus nigris, tarsis articulo 1 nigro, 2 rarius toto nigro aut fusco, plerumque apice albo, 3 et 4 albis, 5 fusco aut nigro. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine seu paulo longius, thorace angustius, lineari- seu elongato-fusiforme, apice plus minus ventre compressum; segmento 1 latitudine triplo aut plus triplo longiore, apicem versus sensim dilatato, vel nigro, apice rufo, vel rufo, petiolo nigro, tuberculis lateralibus paululum ultra medium sitis; 2—4 rufis; 5 vel toto rufo, vel nigro, lateribus, interdum etiam basi, rufis; 6 et 7 nigris. *Aculeus* longitudine sextae partis abdominis.

Mares et feminas accepi, circa *Vindobonam Berolinum* et *Warmbrunn* lectos. Ipse marem cepi, mense Iunii, in fruteto prope *Pepelwitz*, feminam, eodem mense, in gramine, prope *Sibyllenort*. Marem unicum, clypeo mandibulis et faciei medio totis nigris, *ab Uechtritz* cepit in pinetis prope *Oberkirchen* in Silesia. Praeterea

ad me transmissi sunt quidam mares, circa *Vratislaviam* et *Hannoveram* capti, feminaeque, circa *Norimbergam*, *Halam Saxonum*, *Aboam* et in *Volhynia* lectae.

Varietas:

1. *Tarsis posticis totis fuscis.* f. — Caetera sicut in plurimis feminis genuinis.

De patria incertus sum.

Nota:

Hanc speciem *Dahl* mecum communicavit sub nomine *Ichn. illusoris* Ziegleri.

26. E. GRACILICORNIS. n.

Abdomine rufo, apice nigro; femoribus et tibiis rufis, harum posticis apice nigro; scutello et antennarum annulo albis. f.

Haec femina a praecedente differt antennis paululum gracilioribus, pedibus paululum brevioribus, praecipue autem abdomine crassiore, fere sicut in *B. robusto*, n. 21, formato.

Longitudo 4½ linearum. *Caput* palpis testaceis, labro et mandibularum medio badiis. *Antennae* articulis 13—16 albis. *Thorax* puncto albo infra alas. *Scutellum* album; interdum puncto nigro basali. *Alae* testaceo-hyalinae, stigmate radio et radice testaceo-fulvis, squamula nigra. *Pedes* rufi, coxis et trochanteribus nigris, his ple-

rumque apice rufescente; postici geniculis femorum, apice tibiarum, articulo 1 tarsorum, nigris. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius, thoracis latitudine, fusiforme, apice obtuso subcompressiusculo; segmento 1 latitudine paulo longiore, basin versus sensim angustato, toto rufo; 2—4 rufis; sequentibus nigris, 6 et 7 margine summo albido. *Aculeus* segmento primo paulo brevior.

Tres feminas *Besser* e *Tauria* transmisit.

27. E. ALBITARSUS. n.

Abdomine castaneo basi nigra; femoribus rufis, posticis apice nigro; tibiis rufis, basi albis, posticis apice nigris; tarsis posticis medio albis. m. f.

Longitudo 4—5 linearum. *Caput* subpubescens. *Antennae* subfiliformes; mari corporis longitudine, porrectae, apice curvatae, subtus fulvoferrugineae, articulis 1 et 2 totis nigris; feminae dimidio corpore longiores, apice curvatae, ferrugineae, supra plerumque fuscae, basin et apicem versus totae nigrae. *Thorax* gibbus aut gibbulus. *Alae* mediocres, subfumato-hyalinae, stigmate radio et radice nigris aut fuscoferrugineis, squamula maris albida, feminae fusca aut ferruginea; areola parva, subregulari, petiolata aut subpetiolata. *Pedes* mediocres subgraciles; anteriores rufi aut castanei, coxis et trochanteribus nigris, tibiis

basi externa albida; postici coxis et trochanteribus nigris, femoribus rufis aut castaneis geniculo nigro, rarius fere ad medium usque nigris, tibiis nigris, rarius sola basi alba, plerumque interne vel totis vel basin versus castaneis aut badiis, externe nigris, basin versus plerumque castaneis, basi ipsa semper alba, tarsorum articulo 1 nigro, 2 vel toto albo vel basi nigro, rarius toto nigro, 3—4 albis, 5 vel fusco vel rufescente basi alba. *Abdomen* castaneum, mari capite thoraceque paulo angustius et longius, elongatoclavatum, feminae capitis thoracisque longitudine, rarius paulo longius, thorace plerumque angustius, apice truncato ventre subcompresso; segmento 1 nigro, apicem versus sensim dilatato, obsoletissime canaliculato, mari latitudine triplo longiore, feminae latitudine duplo longiore; ultimis interdum nigricantibus. *Aculeus* abdomine paulo brevior, terebra rufa.

Marem *austriacum* unicum *Dahlio* debeo. Feminas legi circa *Gottingam* et in *Hercynia*, mensibus Maji et Iunii, in frutetis; pluresque, circa *Berolinum, Vratislaviam, Hannoveram, Sickershausen, Norimbergam, Vindobonam, Aboam* et *Netley* (haec pedibus posticis obscurioribus, abdomine paulo longiore, a reliquis distincta) lectae, ad me missae sunt.

F A M I L I A III,

seu subgenus:

LEPTOBATUS,

a λεπτὸς, gracilis, et βατὸς, a βαίνω, eo — qui pedibus gracilibus incedit.

Abdomine subsessili, apicem versus compresso; cellula cubitali intermedia rhombea, antennis gracilibus, pedibus elongatis; (aculeo longo).

Caput transversum breve, interdum collum versus angustatum, e. g. *L. Ziegleri.* — *Oculi* ovales. *Antennae* graciles aut subgraciles. — *Thorax* gibbus. — *Scutellum* triangulare convexo-gibbulum. — *Alae* subamplae; areola majore rhomboidali subirregulari. — *Pedes* subgraciles, postici elongati. — *Abdomen* subsessile convexum, apicem versus subcompressum, nitidum laeve, thoracis latitudine et longitudine, seu paulo longius, oblongum. Segmentum primum basin versus sensim paulo angustatum, tuberculis lateralibus ante basin sitis. — *Aculeus* longitudine abdominis aut longior.

Relationes hujus familiae ad *Phytodietos, Lissonotas* et *Exetastas*, sub his jam recensitae sunt. — A *Coleocentris* Leptobati differunt forma et proportione abdominis, valvula ventrali multo breviore et obtusiore, cellula cubitali intermedia.

---

28. L. ZIEGLERI. n.

Abdominis medio castaneo; tibiis anterioribus et femorum anteriorum apice ferrugineis. f.

Longitudo 5 linearum. *Antennae* corpore breviores, apice graciliores involutae. *Thorax* gibbus. *Alae* subamplae subfumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula stramineis; areola irregulari subsessili, cellula interiore nervi dividentis rudimento. *Pedes* graciles elongati, coxis et trochanteribus nigris; femoribus anticis fulvoferrugineis basi nigra, mediis nigris, subtus apicem versus ferrugineis, posticis nigris; tibiis anterioribus fulvo-ferrugineis, posticis fuscis, apicem versus nigris; tarsis anticis ferrugineo-fuscis, posterioribus fuscis. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, oblongo-ovatum nitidum; segmento 1 apicem versus sensim dilatato, latitudine duplo longiore, apice castaneo; 2 et 3 dorso castaneis. *Aculeus* corporis longitudine, niger, terebra castanea.

Feminam unicam *austriacam Dahl,* sub nomine *Ichn. Ziegleri*, mecum communicavit.

29. L. RUFIPES.

Femoribus tibiisque fulvis, harum posticis apice nigris; scutello albo. m. f.

Longitudo maris $4\frac{1}{2}$, feminae 5 linearum. *Antennae* subfiliformes, apice curvatae, mari corpore fere paulo longiores, feminae corpore paulo breviores. *Thorax* gibbus. *Alae* subamplae subfulvescenti-hyalinae, stigmate et radio fulvis, radice straminea, squamula nigra; areola irregulari subpetiolata, cellula interiore nervi dividentis rudimento. *Pedes* mediocres elongati fulvi, trochanteribus et coxis nigris; postici tarsis et tibiarum apice nigricantibus. *Abdomen* subfusiforme, capitis thoracisque longitudine; mari angustius nec apice aeque compressum ac feminae; segmento 1 apicem versus sensim dilatato, latitudine duplo longiore, tuberculis lateralibus paulo ultra medium sitis. *Aculeus* vix abdomine paulo longior, niger, terebra badia.

Par, circa *Sickershausen* captum, *Nees ab Esenbeck* mecum communicavit.

Synonyma:

Ichn. rufipes Gmel. ed. Linn. p. 2683, n. 234.

30. L. DEGENER. n.

Femoribus tibiisque rufis, harum posticis apice nigris. m. f.

Statura et proportio partium *feminae* sicut in specie antecedente, sed corpore toto paulo crassiore, rudimento nervi dividentis cellulae interioris paulo longiore. *Mas*, capite minore et abdomine paulo graciliore, a femina differt, vix a mare *Exetastes fornicatoris*, n. 10, dignosci potest, a quo tamen pedibus antennisque paulo brevioribus, his insuper apicem versus minus gracilibus, differt.

Longitudo 5 linearum. *Alae* stigmate et radio fuscis, radice straminea, squamula nigra. *Aculeus* abdomine longior, fere 4 lineas longus.

Marem *Besser* transmisit e *Volhynia*; femina in *Germania* nata est, nescio autem ubi.

F A M I L I A IV,

seu subgenus:

COLEOCENTRUS,

a κολεὸς, vagina, et κέντρον, aculeus — quia feminae ventre vagina instructae sunt pro receptione terebrae.

Abdomine subsessili, apice compresso, feminae valvula ventrali vomeriformi aucto; areola parva triangulari; (aculeo longo).

Caput transversum. — *Oculi* ovales. — *Antennae* filiformes, porrectae, corpore breviores. — *Thorax* gibbulo - cylindricus. — *Scutellum* triangulare, convexo-gibbulum. — *Alae* amplae, areola triangulari petiolata. — *Pedes* longi subgraciles. — *Abdomen* subsessile, latitudine thoracis, thorace duplo longius, convexum, basin et apicem versus sensim paulo angustatum, apicem versus lateribus compressum; feminae segmentis 6—8 valvula vomeriformi ventrali auctis. — *Aculeus* fere longitudine corporis.

De relationibus hujus familiae ad *Rhyssas* et *Leptobatos* hos conferre velis. — Coleocentri valvula ventrali adpropinquant etiam *Acaenitis*, et quidem *Ac. aratori* et *dubitatori,* differunt autem ab his, tam proportione antennarum pedum et abdominis, quam areola triangulari.

---

31. C. EXCITATOR.

Pedibus rufis, coxis nigris, tarsis posticis flavis. f.

Longitudo 9 — 12 linearum. *Caput* palpis flavis; facie plerumque macula, aut linea abbreviata, utrinque ante clypeum, flava aut ferruginea, rarius praeterea punctis duobus obsoletioribus infra antennas. *Antennae* articulis 1 et 2 plerumque, 3 — 5 interdum, subtus flavis aut ferrugineis. *Alae* fulvescentihyalinae, stigmate rufo aut fulvo, radio fusco, radice flava, interdum testaceo-picea, squamula flava; areola regulari aut irregulari. *Pedes* anteriores fulvi aut flavofulvi, coxis nigris, apice plus minus rufis aut fulvis, rarius totis fulvis aut fere totis nigris, trochanteribus et tibiis subtus plus minus flavis; postici coxis nigris, trochanteribus et femoribus rufis, tibiis rarius nigris basi rufa, plerumque fuscis aut fuscoferrugineis, basin versus rufis, tarsis flavis, articulo 1 basin versus rufo aut fuscescente. *Abdomen* thoracis latitudine, eo autem duplo longius, interdum capite thoraceque duplo longius, segmentis membrana picea seu piceo-straminea marginatis; segmento 1 latitudine duplo aut triplo longiore. *Aculeus* corpore brevior, rarius corporis longitudine, niger, terebra rufa aut badia.

Feminas quasdam *Richter* et *ab Uechtritz* passim in *Silesia* ceperunt; aliae quaedam, circa *Berolinum, Meiningen,* in *Hungaria* et *Volhynia,* lectae, mecum communicatae sunt.

Synonyma:

Ichn. excitator Poda p. 105, n. 4.
„ Scopoli Carn., n. 748; longitudo 8½ linearum; thorax basi puncto rufo (?); aculeus corpore brevior, 9 lineas longus (?, forsan 6 lineas, cum corpus totum haud 9 lineas longum sit).
„ Villers p. 185, n. 155.
„ Olivier p. 212, n. 32.
„ Christ p. 366.
„ Panzer Fauna fasc. 92, tab. 5; habitat in sylvaticis.

32. C. CALIGATUS. n.

Pedibus rufis, posticorum tarsis tibiisque nigris. f.

Statura et proportio partium feminae antecedentis, segmento 1 parum latiore.

Longitudo 9—10 linearum. *Caput* palpis rufis aut fulvis. *Alae* fumatohyalinae, stigmate et radio nigris, squamula et radice rufis aut fulvis. *Pedes* rufi aut fulvi; postici tibiis et

tarsis nigris aut fuscis, illis vel sola basi summa, vel praeterea latere toto interiore, rufis aut ferrugineis. *Abdomen* interdum segmentorum marginibus obsolete-castaneis. *Aculeus* fere corporis longitudine, terebra badia.

Unam feminam cepi die 24 Maji prope *Scheidnich*, in trunco salicis; alteram vidi in museo *Comitis de Hoffmannsegg.*

FAMILIA V,

seu subgenus:

TROPISTES;

τροπιστης, carinator, a τροπίζω, carina instruo — ob dorsum carinatum.

Abdomine subsessili compresso, dorso carinato; areola nulla, cellulae interioris nervo inferiore externo subangulato, cum nervo inferiore exterioris ad angulum cellulae radialis contiguo; (aculeo longo).

Caput breve transversum, minus tamen breve quam in plurimis antecedentibus, subglobosum. — *Oculi* ovales. — *Antennae* filiformes graciles, corpore paulo breviores, apice involutae. — *Thorax* gibbulo-cylindricus. — *Scutellum* convexum triangulare. — *Alae* mediocres; areola nulla, cellulae interioris nervo inferiore exteriore subanguloso, cum nervo inferiore cellulae exterioris ad angulum cellulae radialis inferiorem contiguo. — *Pedes* mediocres subgraciles. — *Abdomen* laeve, subsessile aut subpetiolatum, thorace longius et angustius, compressum, supra carinatum, basi subnitidulum, apice nitidum, a latere clavatum; segmento primo versus apicem sensim dilatato, tuberculis lateralibus inter medium et basin sitis; segmento secundo reliquis minus compresso. — *Aculeus* fere longitudine abdominis.

Individuum unicum hujus familiae, quod coram habeo, ratione alarum medium tenet inter *Cremastos* et *Porizones*, nam forma cellulae radialis respondet Cremastis, sed punctum, in quo cellula ista et cellulae duae cubitales se contingunt, Porizonibus. Ab ambobus autem Tropistae discedunt abdomine haud petiolato. — Quodammodo autem,

per Tropistas, transitus paratur a Porizonibus ad *Xylonomos;* Tropistae a Xylonomis et *Xoridis* non nisi abdomine compresso, a Xylonomis vero etiam abdomine laevi, discedunt; Xoridis autem nervus inferior exterior cellulae interioris magis angulosus est quam Tropistis.

---

33. T. NITIDIPENNIS. n.

Abdominis medio badio; pedibus fulvis, coxis nigris. f.

Longitudo 3 linearum. *Caput* palpis sordide-stramineis; mandibulis medio obscuro-ferrugineis. *Alae* hyalinae irideae, stigmate et radio fuscopiceis, radice et squamula stramineis, cellula interiore subangulosa. *Pedes* fulvi; coxis nigris, anterioribus subtus apice ferrugineis. *Abdomen* segmentis 2 et 3 badiis, sequentibus nigrofuscis nitidioribus. *Aculeus* terebra castanea.

Unam feminam (circa *Hannoveram* captam?) *Reusmann* mecum communicavit.

FAMILIA VI,

seu subgenus:

AROTES,

ab *ἀρότης*, arator — ob valvulam ventralem vomeriformem.

Abdomine subpetiolato, apice ventre compresso, feminis valvula ventrali vomeriformi; areola nulla; pedibus posticis validis; (aculeo longo).

Caput breviusculum transversum. — *Oculi* ovales. — *Antennae* porrectae subgraciles, corpore breviores. — *Thorax* gibbulo-cylindricus. — *Scutellum* convexiusculum, triangulare apice obtuso. — *Alae* subamplae; areola nulla, cellula interiore nervos duos recurrentes excipiente. — *Pedes* elongati, anteriores graciles, postici validiusculi. — *Abdomen* subpetiolatum, capitis thoracisque longitudine seu paulo longius, thorace angustius, fusiforme, apice compressum; segmentis 6 et 7 valvula ventrali concava spinaeformi, ultra anum porrecta. Segmentum primum longum, apicem versus sensim paulo dilatatum, canaliculatum, parte antica latitudine duplo longiore, tuberculis lateralibus in medio sitis. Segmentum secundum subtransversum; reliqua transversa. — *Aculeus* longitudine corporis.

De relatione Arotarum cum *Crypturis* hos consulere velis. — Ratione alarum Arotae adpropinquant ad *Ophiones Trachynotas* et *Hellwigias;* ratione formae et proportionis capitis et segmenti primi speciebus nonnullis, capite minus globoso, *Xylonomorum*, e. g. *X. irrigatori;* ratione apicis abdominis, pedum et aculei, *Acaenitis;* sed habitu toto naturali, et characteribus exhibitis conjunctim sumtis, Arotae satis ab omnibus illis subgeneribus discerni possunt.

34. A. ALBICINCTUS. n.

Segmento 1 albidomarginato, femoribus tibiisque anterioribus subtus testaceis; annulo tarsorum posticorum et antennarum albo. f.

Longitudo 6—7 linearum. *Caput* ore ferrugineo, mandibulis nigris. *Antennae* articulis 14—21, aut plurimis eorum, albis. *Alae* fumato-hyalinae, stigmate et radio nigris, radice fusca. *Pedes* anteriores fusconigri, femoribus subtus stramineis, tibiis subtus flavescentibus, basi albidis; postici nigri, summa tibiarum basi, articulisque tarsorum 2—5, albis. *Abdomen* segmento 1, ut plurimum etiam 2, margine summo albido. *Aculeus* terebra rufa.

Tres feminas vidi in museo *Comitis de Hoffmannsegg.*

Mas?

Antennis subtus fulvis, facie flava. m.

Longitudo 6 linearum. *Caput* palpis testaceo-albis, basi apiceque fuscis, mandibulis medio rufis aut ferrugineis, clypeo et facie flavis, hac, individuo italico, subfuscomaculata. *Antennae* filiformes porrectae, corpore paulo breviores, articulo 1 nigro, subtus albo, sequentibus fuscis, subtus fulvis, ultimis, italico, rufis, subtus fulvis. *Thorax* subcylindricus; puncto albo infra alas; individuo volhynico praeterea lineola albida trans-

versali sub scutello. *Alae* fumato-hyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula albidis. *Pedes* anteriores coxis fuscis, trochanteribus albis, supra fuscis, femoribus fuscis, subtus pallide-flavis aut stramineis, tibiis fuscoferrugineis, subtus et basi albidis, tarsis albidis; postici nigri aut fusci coxis nigricantibus, tibiis basi summa albis, tarsis albis; articulo 1 basi fusca. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius et paulò angustius, fusiforme, apicem versus subcompressiusculum, nigrum aut fuscobadium, segmentis 1 et 2 margine albis. — Caetera sicut in femina.

Mares duo, e *Volhynia* et e *Regione Pedemontana*, mihi transmissi sunt.

GENUS X.

OPHION.

Abdomine compresso aut subcompresso, petiolato; antennis filiformibus.

F A M I L I A I,

seu subgenus:

CAMPOPLEX,

a verbis καμπη, eruca, et πλήσσω, percutio; — qui erucas percutit.

Parte antica segmenti primi convexiuscula aut subglobosa; areola triangulari, rarius nulla; antennis pedibusque mediocribus; (aculeo brevi aut mediocri, rarius longo).

Caput transversum, plurimis breve, collum versus subangustatum, nonnullis subbreve, nec collum versus angustatum, e. g. *C. terebranti.* — *Oculi* ovales, interdum subreniformes, speciebus plurimis parvis nigris viridi-aenei. — *Antennae* mediocres, apice curvatae. — De his et de *partibus oris* conferas quae Nees ab Esenbeck ad C. pugillatorem mecum communicavit. — *Thorax* gibbus aut gibbulus. — *Scutellum* gibbulum, vel suborbiculatum, vel triangulare apice obtuso. — *Alae* mediocres; areola rarius nulla, plerumque triangulari, vel sessili, interdum subquinquangulari, e. g. *C. mauro*, vel petiolata, interdum minutissima aut obsoleta, v. c. *C. immolatori, declinatori, albipedi, psiloptero.* — *Pedes* mediocres aut subgraciles. — *Abdomen* petiolatum, nitidulum, laeve, thorace longius seu ejus longitudine, thorace angustius, rarius ejus latitudine; dorso plerumque convexum, rarius carinatum, e. g. *C. cultratori, pugillatori, mixto,* his speciebus per totam longitudinem compressum, illis plerumque lateribus aut ventre, praesertim versus apicem, compressum aut subcompressum, rarius totum teretiusculum elongato-clavatum aut elongato-fusiforme, praesertim in maribus quibusdam, v. c. *C. rufiventris, majalis, albidi, tenuiventris, xanthostomi,* rarius quoque feminis; v. c. *C. or-*

bitalis; a latere visum, apicem versus sensim altitudine crescens seu clavatum, idque eo magis quo magis segmenta compressa sunt. Speciebus, quibus abdomen totum compressum et supra carinatum est (*C. cultratori, pugillatori, mixto*), segmentum secundum quoque compressum est, reliquis autem teres. *Segmentum primum* lagenaeforme; parte antica plurimis subaequilata, latitudine paulo longiore, subquadrata, convexiuscula aut subglobosa, rarius apicem versus sensim dilatata, e. g. *C. nitido;* petiolo tenuiore aut crassiore, longiore aut breviore, plerumque circiter longitudine partis anticae aut longiore quam haec, quibusdam autem multo longiore, praecipue speciebus abdomine toto compresso, supra jam allegatis, nonnullis fere breviore quam pars antica, e. g. *C. albido* et *terebranti*, plurimis etiam angustiore quam pars antica, rarius autem multo angustiore, rarissime fere ejus latitudine, v. c. mari *C. panisci.* — *Aculeus* exsertus, subsursumcurvatus, brevis aut mediocris, rarius fere longitudine abdominis.

Affinitatum et relationum hujus subgeneris ad *Mesoleptos, Cryptos, Phytodietos, Mesochoros* et *Plectiscos*, sub his subgeneribus jam mentionem feci. — Campoplegi haud confundi debent cum *Paniscis*, quippe qui toto habitu, pedibus antennisque longioribus, segmento primo apicem versus sensim dilatato, etc. differunt. — *Campoplex decipiens*, ob defectum areolae, ob formam abdominis et segmenti primi, nec non ob colorem segmenti secundi, ad sectionem secundam *Ano-*

malorum, praeprimis ad *An: perspicillatorem*, prope accedere videtur, sed tarsis posticis gracilibus, illis Campoplegum respondentibus, differt, praeterea quoque nervus secundus recurrens cellulae interioris Anomali perspicillatoris nervo, qui cellulas cubitales sejungit, propior situs est quam in Campoplege decipiente. — *Ophiones* genuini familiae quartae, situ singulari nervi exterioris recurrentis cellulae interioris, satis bene a Campoplegibus discernuntur. — Inter hujus familiae mares abdomine longiore et graciliore unus praesertim, *C. paniscus*, segmento primo toto lineari, aliquam affinitatem cum *Macris* prodere videtur, sed abdomen ejus haud adeo longum tenue et filiforme est ac in his, qui praeterea quoque areola minuta discrepant. — Campopleges cellula cubitali intermedia nulla, (*braccatus, transfuga, terebrans, fallax, anomolus, perfidus, aberrans*) quodammodo *Cremastis* adpropinquare videntur, sed forma et proportione stigmatis alarum, Campoplegibus longioris angustioris, fere lanceolati, Cremastis autem brevioris latioris, fere semicircularis, discerni possunt; Campopleges quoque abdomine crassiore et minus compresso, antennisque crassioribus esse solent, quamvis haec differentia minus constans sit. *Campoplex canescens* autem, abdomine longe-petiolato, aculeo longo, medium tenet inter ambo subgenera. — *Hellwigia* antennis apicem versus incrassatis etc. satis differt.

SECTIO I.

1) *Abdomine antennisque nigris.*

Quaedam species, segmento 2 castaneo-marginato (*Camp. exiguus, aberrans, immolator*), aut macula laterali abdominis castanea (*C. lateralis* et var. 3 *C. majalis*), aut segmentis nonnullis rufo-marginatis (mares et varietas feminae *C. viennensis*) transeunt in *sectionem* 4; aliae, articulo 1 antennarum subtus albido aut ferrugineo (varietas 1 *C. majalis* et *sordidus*) propius accedunt ad sectionem 2.

E sectione 2 *C. maurus,* articulo 1 antennarum fere toto nigro, huc spectat. — *E sectione* 4 individua pluria *assimilis, ensatoris, ruficincti, pugillatoris,* nec non mares *cultratoris,* abdomine nigro, lateribus aut sola macula laterali rufis, speciebus nonnullis sectionis 1 (*C. exiguo, aberranti, immolatori*) respondent.

2) Abdomine nigro, antennarum ~~articulo primo~~ subtus pallido

3) Abdomine rufo nigroque ant[...]
p. 526. ... articulo primo sub-
tus pallido.

4) p. 557. Abdomine rufo, aut r[...]

1. C. DIFFORMIS.

Abdomine subcompresso; pedibus rufis, coxis nigris. m. f. (aculeo dimidio abdomine paulo longiore).

Longitudo maris $2\frac{1}{3}$—$4\frac{1}{2}$, feminae 2—$3\frac{2}{3}$ linearum. *Caput* palpis et mandibulis flavis aut ferrugineis, his apice nigris, rarius totis nigris. *Antennae* dimidio corpore longiores, subgraciles, apice subcurvatae, feminae breviores et graciliores quam mari. *Thorax* gibbus. *Alae* mediocres hyalinae seu fumatohyalinae, stigmate et radio piceis rarius fuscis aut substramineis, radice et squamula flavis aut stramineis, hac interdum ferruginea aut picea; areola subregulari parva, petiolata aut subpetiolata, uni individuo in ala sinistra sessili, in ala dextra subsessili. *Pedes* mediocres rufi aut rufofulvi, antici plerumque dilutiores; coxis nigris, anticis interdum subtus rufis; trochanteribus vel omnibus nigris, anterioribus plerumque apice rufis, vel anterioribus totis, posticis apice, rufis; femoribus posticis rarius basi nigris; tibiis posticis interdum apice et ante basin plus minus fuscis aut fuscescentibus, basi ipsa flavicante; tarsis posticis plerumque fuscis aut nigricantibus, mediis plerumque apice, rarius totis, fuscescentibus. *Abdomen* plerumque capite thoraceque paulo longius et angustius, compressiusculum, rarissime dimidio thorace angustius et compressum; segmento 1 parte

antica plerumque tumido-convexa, latitudine paulo longiore, rarius fere latitudine longitudinis, breviore et duplo latiore quam petiolus; rarissime segmento toto sublineari, parte antica fere latitudine duplo longiore, longitudine petioli, eoque paulo latiore. *Aculeus* rarius dimidii abdominis longitudine, ut plurimum dimidio abdomine longior, subsursum curvatus, terebra castanea aut rufa.

Mares et feminas cepi circa *Helmstadium Gottingam* et in *Hercynia*, mensibus Maji—Augusti, in fruticetis et umbellatis. Plures, circa *Berolinum*, *Warmbrunn*, *Sickershausen*, *Vindobonam* et *Genuam* lecti mecum communicati sunt. Praeterea mares quosdam cepi, mense Iulii prope *Scheidnich*, mense Septembri prope *Trajectum ad Viadrum*, in fruticetis, duosque e *Volhynia* accepi; feminae etiam nonnullae, circa *Vratislaviam Netley* et in *Regione Pedemontana* lectae, ad me transmissae sunt.

Varietates:

1. *Coxis anticis rufis.* m. f. — *Pedes* rufi, coxis posterioribus et trochanteribus posticis nigris. — Caetera sicut in speciei genuinae individuis plurimis. Femina tamen, abdomine paulo crassiore, a reliquis differt, mediumque tenet inter hanc speciem et quaedam individua *Camp. albidi*, n. 13.

Marem cepi, mense Augusti, in umbellatis prope *Salzbrunn;* feminam, circa *Genuam* captam, *a Spinola* mihi misit.

2. *Coxis anterioribus flavis, tibiis posticis apice et ante basin nigris.* f. (*aculeo fere abdominis longitudine*). — *Longitudo* 3¼ linearum. *Pedes* anteriores fulvi, trochanteribus et coxis flavis, his basi ferrugineis; postici rufi, coxis et trochanteribus nigris, tibiis apice et ante basin nigricantibus, tarsis fuscis. — Caetera sicut in individuis gracilioribus speciei genuinae.

Feminam *austriacam* unicam *Dahlio* debeo.

Synonyma:

Ichn. difformis Gmel. ed. Linn. p. 2720, n. 392.

Nota:

Mares hujus speciei et *C. ebenini*, n. 15, vix distingui possunt; feminae differunt longitudine aculei et crassitie abdominis.

2. C. XANTHOSTOMUS. n.

Pedibus fulvis, coxis posticis nigris, ore flavo. m.

A maribus antecedentibus hic differt, abdomine paulo breviore magisque tereti; sed illis quoque haud omnibus abdomen aeque compressum est, indeque hic forsan varietas eorum esse posset.

Longitudo paulo ultra 3 lineas. *Caput* mandibulis et palpis fulvis. *Alae* fumatohyalinae, stigmate et radio piceo-stramineis, squamula et radice flavis; areola subregulari petiolata. *Pedes* rufo-

fulvi; coxis anterioribus vel fulvis basi nigra, vel nigris, subtus fulvis, posticis totis nigris; trochanteribus posticis basi nigris; tarsis posticis articulorum apice fuscescente. *Abdomen* capite thoraceque vix paulo longius, thorace paulo angustius, segmentis 2—5 aequilatis.

Mares duo, in *Etruria* et *Regione Pedemontana* capti, ad me transmissi sunt.

3. C. RUFIPES. n.

Pedibus rufis, coxis et trochanteribus nigris; tibiis flavicantibus, posticis apice et ante basin fuscescentibus; ore testaceo. f. (aculeo dimidii abdominis longitudine).

Statura et proportio *C. molesti* feminae, pedibus tamen paulo gracilioribus. — A *difformi*, n. 1, haec species distinguitur abdomine crassiore et breviore; a sequente, abdomine crassiore; medium tenet inter sequentem et *molestum*.

Longitudo 2½—3 linearum. *Caput* palpis et mandibularum medio flavis aut testaceis. *Alae* fumato-hyalinae, radio et stigmate fuscis aut piceis, radice et squamula flavis; areola irregulari, petiolata aut subpetiolata. *Pedes* rufi; coxis nigris, anterioribus rarius subtus macula castanea; trochanteribus nigris, anterioribus apice rufis; tibiis anterioribus subtus flavicantibus, posticis basi flavicante, apice et ante basin plus minus fuscescentibus; tarsis posticis fuscis. *Aculeus* longitudine dimidii abdominis, vel paulo longior.

Quaedam individua legi mense Augusto, circa *Cudovam* in umbellatis, circa *Warmbrunn* in fruticetis.

Varietas:

1. *Tibiis rufis, mandibulis totis nigris.* f. — *Longitudo* 2¼ linearum. *Pedes* rufi; coxis trochanteribus et summa basi femorum nigris, tibiis posticis apice et ante basin obsolete-fuscis. *Aculeus* dimidio abdomine longior. — Caetera sicut in femina genuina.

Unicam *fennicam* feminam *Sahlbergio* debeo.

4. C. MAJALIS. n.

Abdomine subcompresso; pedibus rufis, coxis nigris, tibiis posticis apice et ante basin plus minus fuscis; ore flavo. m. f. (*fem.* aculeo dimidii abdominis longitudine).

Longitudo maris 2⅓—3, feminae fere 2—fere 3 linearum. *Caput* palpis stramineis, mandibularum medio plus minus flavo aut ferrugineo. *Antennae* dimidio corpore longiores, feminae paulo breviores quam mari, apice subgraciliores subcurvatae. *Thorax* gibbus, feminae interdum gibbulo-cylindricus. *Alae* mediocres, plus minus fumato-hyalinae, feminae interdum hyalinae; stigmate et radio piceis aut stramineis, radice et squamula albidostramineis; areola subregulari aut irregulari, petiolata aut subpetiolata, feminae rarius sessili et

nervo exteriore tenuissimo, in nervum recurrentem secundum incidente. *Pedes* mediocres rufofulvi; anteriores coxis nigris, anticis mari interdum subtus macula ferruginea, feminae subtus plerumque ferrugineis aut flavis aut exalbidis; trochanteribus anterioribus feminae flavis, mediis ut plurimum basi fuscis; postici coxis et trochanteribus nigris, his feminae interdum apice flavo, tibiis rufis aut substramineis, feminae rarius exalbidis, semper autem, utrique sexui, apice et basi, seu annulo ante basin, plus minus, interdum obsoletissime, nigricantibus aut fuscescentibus, tarsis fuscis, articulo 1 plerumque pallidiore aut basi rufo, femoribus feminae nonnunquam geniculis, rarius quoque basi summa, nigris. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine seu paulo longius, apicem versus plus minus compressum, mari interdum fere teres segmento 1 parte antica medio plus minus tumidiuscula, latitudine longiore, longitudine petioli, seu paulo breviore, eo autem duplo latiore. *Aculeus* dimidio abdomine vel paulo longior vel paulo brevior, subsursumcurvatus.

Mares et feminas legi, mense Augusto, in fruticetis circa *Warmbrunn;* unum marem cepi in summo cacumine montis *Reiſtraeger*, in pinetis. Plures feminas cepi, mensibus Maji—Septembris, in fruticetis, rarius in floribus, circa *Scheidnich*, *Trajectum ad Viadrum*, *Gottingam* et *Barterodam* (Barterodae capta unica est tibiis posticis medio albidis); plures mecum communicatae sunt, circa *Vratislaviam*, *Berolinum*, *Hannoveram*,

Norimbergam, *Aboam*, *Netley*, *Parmam*, *Genuam* et in *Regione Pedemontana*, lectae; (pedemontana est unica areola sessili).

Varietates:

1. *Articulo 1 antennarum subtus subferrugineo.* f. — Caetera sicut in plurimis feminis genuinis.

Unum individuum, circa *Sickershausen* captum, *Nees ab Esenbeck* transmisit.

2. *Articulo 1 antennarum subtus albido, coxis anticis flavis; aculeo longitudine tertiae partis abdominis.* f. — *Longitudo* 3 linearum. *Pedes* anteriores rufo-fulvi, coxis et trochanteribus pallide-stramineis, coxis mediis basi nigra; postici coxis et trochanteribus nigris, his apice flavo, femoribus rufis, tibiis exalbidis, apice et ante basin fusconigris, tarsis fuscis, articulo 1 basi straminea. Caetera feminae genuinae respondent.

Feminam unicam *Manger* cepit prope *Warmbrunn.*

3. *Segmento 3 macula laterali badia.* f. — Caetera ut in plurimis feminis genuinis.

Tres coram habeo feminas; nescio autem ubi in *Germania* captae sunt.

4. *Femoribus posticis nigro-maculatis.* m. f. — *Longitudo* 2—2⅔ linearum. *Caput* facie plu-

rimis tomento griseo-sericante, distinctiore quam in specie genuina, vestita. *Antennae* articulo 1 maris subtus rarius apice rufescente, feminae interdum subtus subalbido. *Pedes* anteriores fulvi, mari interdum substraminei, trochanteribus flavis, coxis anticis basi nigra, mediis totis nigris, femoribus mediis mari rarius basi nigra, tibiis mediis mari interdum basi pallidiore; postici coxis et trochanteribus nigris, his plerumque apice flavo, femoribus rufis, superne basin versus, ut plurimum quoque geniculis, plus minus nigris, tibiis rufis aut subtestaceis aut albidis, apice et ante basin, vel basi tota, nigricantibus aut fuscis, tarsis fuscis. *Abdomen* maris rarius macula laterali badia segmenti tertii. — Caetera sicut in specie genuina.

Mares duos cepi, in *Volhynia* et in *Regione Pedemontana* accepi; Pedemontanus distinctus est articulo 1 antennarum apice rufescente, pedibus pallidioribus, macula laterali abdominis. Feminas nonnullas legi, mensibus Iunii et Iulii, in plantis ante fenestram positis, inter Aphides et larvas Syrphorum *Vratislaviae;* duas, circa *Netley* captas, *Hope* ad me misit, easque articulo 1 antennarum et tibiis posticis pallidioribus.

5. *Trochanteribus omnibus et femorum basi nigris.* f. — *Longitudo* 2¾ — 3 linearum. *Pedes* coxis et trochanteribus nigris, his apice flavo; femoribus rufis, summa basi nigra, posticis etiam geniculo nigro; tibiis posterioribus exalbidis, apice et ante basin nigris, anticis totis stramineis;

tarsis posticis fuscis, anterioribus stramineis. — Caetera sicut in feminis plurimis genuinis.

Feminas duas *taurinenses a Steven* mecum communicavit.

Nota:

Mas pedemontanus varietatis 4 medium tenet inter hanc speciem et *ensatorem*. Feminae ejusdem varietatis autem, socialiter cum pluribus feminis *chrysosticti* viventes, captae, *chrysostictum* et *majalem* in unam speciem jungere videntur.

5. C. SORDIDUS. n.

Pedibus rufis; coxis nigris, anticis subtus flavicantibus; tibiis posticis apice et ante basin fuscis; ore flavo. f. (aculeo longitudine abdominis).

Statura et proportio partium feminae antecedentis, sed aculeo longiore, segmento primo apicem versus sensim dilatato, parte ejus antica haud tumidiuscula, qua hujus segmenti forma *sordidus* quoque a reliquis cospeciebus hujus familiae differt.

Longitudo 2—2⅓ linearum. *Caput* palpis et mandibularum medio flavis. *Antennae* corpore breviores, filiformes; articulo 1 subtus interdum ferrugineo. *Thorax* gibbulus. *Alae* subfumato-hyalinae aut hyalinae, stigmate piceo aut stramineo, radio fusco, radice et squamula pallide-

stramineis; areola irregulari subsessili aut subpetiolata. *Pedes* rufi; coxis nigris, anticis subtus flavicantibus aut rufis; trochanteribus flavis, posticis testaceis basi plerumque nigricante; tibiis posticis basi flavicante, apice et ante basin nigrofuscis, medio plerumque ferrugineo aut rufescente; tarsis posticis fuscis. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, thorace angustius; segmento primo petiolo lineari, parte antica apicem versus sensim plus minus dilatata, longitudine petioli aut paulo breviore, eo autem latiore, latitudine duplo longiore. *Aculeus* abdominis longitudine seu paulo brevior.

Feminas nonnullas *Manger* legit circa *Warmbrunn.*

6. C. LATERALIS. n.

Abdomine subcompresso, macula laterali castanea; pedibus fulvis, coxis nigris; ore flavo. f. (aculeo longitudine tertiae partis abdominis).

Statura et proportio partium *majalis*, n. 4; abdomine vix paululum crassiore, aculeo breviore.

Longitudo $2\frac{1}{3}$ linearum. *Caput* palpis et mandibularum medio flavis. *Alae* subhyalinae, stigmate et radio stramineis, radice et squamula pallideflavis; areola irregulari petiolata. *Pedes* fulvi aut rufo-fulvi, coxis et basi trochanterum posticorum nigris. *Abdomen* segmento 3 macula laterali, interdum etiam angulis apicalibus segmenti

secundi, castaneis. *Aculeus* longitudine tertiae aut fere quartae partis abdominis.

Duae feminae, circa *Warmbrunn* et in *Regione Pedemontana* captae, mecum communicatae sunt.

7. C. TIBIALIS. n.

Abdomine subcompresso; pedibus rufis, coxis posticis et coxarum mediarum basi nigris; tibiis posticis albis, apice et ante basin nigris; ore flavo. f. (aculeo longitudine tertiae partis abdominis).

Statura et proportio partium omnino *cerophagi*, n. 9; an ejus varietas aculeo breviore?

Longitudo $2\frac{1}{3}$ linearum. *Caput* palpis et mandibulis flavis. *Alae* hyalinae aut subfumatohyalinae, stigmate et radio stramineis, radice et squamula albentibus; areola subirregulari, petiolata aut subsessili. *Pedes* anteriores fulvi trochanteribus flavis, coxis mediis, nonnunquam etiam anticis, nigris, subtus plus minus albidis, tibiis plerumque basin versus stramineis; postici coxis et trochanteribus nigris, his apice stramineo, femoribus fulvis, tibiis albidis aut testaceis, apice et ante basin nigris aut fuscis, tarsis fuscis, articulo 1 basin versus plus minus albido. *Aculeus* longitudine tertiae aut quartae partis abdominis.

Feminas nonnullas *Manger* legit circa *Warmbrunn*.

8. C. NANUS. n.

Abdomine subcompresso; pedibus fulvis, coxis et femorum posticorum basi nigris; tibiis posticis albis, apice et ante basin nigris; ore flavo. f. (aculeo longitudine quartae partis abdominis).

Longitudo 1½ linearum. *Caput* palpis et mandibularum medio flavis. *Antennae* corpore breviores, subcurvatae, filiformes. *Thorax* gibbulus. *Alae* subamplae hyalinae irideae, stigmate et radio pallidepiceis, radice et squamula albidis; areola minuta irregulari petiolata, in ala sinistra fere inconspicua. *Pedes* graciles fulvi, coxis nigris; trochanteribus flavis, posticis nigris apice fulvo; femoribus posticis superne basi nigricantibus; tibiis mediis apice et ante basin subfuscescentibus, posticis albis, apice et ante basin nigricantibus; tarsis posticis testaceis, apice articulorum fuscescente. *Abdomen* compressum, capite thoraceque paulo longius et angustius; segmento 1 parte antica subtumidiuscula, latitudine longiore, longitudine petioli, eo autem duplo latiore. *Aculeus* longitudine quartae partis abdominis.

Unicam feminam, circa *Sickershausen* captam, *Nees ab Esenbeck* mecum communicavit.

9. C. CEROPHAGUS. n.

Abdomine subcompresso; pedibus fulvis, coxis nigris, tibiis posticis albis, apice et ante basin nigris; ore flavo. m. f. (*mas* coxis anticis subtus flavis, mediis subtus rufis; *femina* aculeo fere dimidii abdominis longitudine).

Statura maris gracilior est quam feminae, paulo crassior autem quam *dispari*, a quo hic mas etiam colore pedum differt. Caeterum autem hic mas etiam cum femina insequente conjungi posset.

Longitudo $2\frac{1}{5}$—$2\frac{3}{5}$ linearum. *Caput* palpis et mandibularum medio flavis. *Antennae* subfiliformes, vix dimidio corpore paululum longiores, apice curvatae. *Thorax* gibbulus. *Alae* mediocres hyalinae, stigmate pallide-piceo aut stramineo, radice et squamula pallide-flavis; areola subirregulari petiolata. *Pedes* mediocres; coxis nigris, anticis subtus plus minus flavis, mediis mari subtus rufescentibus; trochanteribus anterioribus pallide-flavis, posticis nigris; femoribus fulvis, posticis interdum basi plus minus fuscis aut nigris; tibiis anticis pallide-flavis, mediis subtus fulvis, supra pallidis, apice et puncto ante basin ferrugineis aut subfuscescentibus, posticis feminae albis, mari testaceo-stramineis, utrique autem apice et ante basin nigris; tarsis fulvis, posticis nigris. *Abdomen* capite thoraceque parum longius seu eorum longitudine, mari subcylindricum,

thorace angustius, feminae a latere clavatum, superne visum fusiformicylindricum, thorace paululum angustius; segmento 1 parte antica tumidiuscula, petiolo latiore et paulo breviore, latitudine longiore. *Aculeus* subsursumcurvatus, dimidio abdomine paulo brevior.

Mares nonnullos *Manger* cepit circa *Warmbrunn.* Feminas quasdam ipse legi, die 17 Iulii, in floribus petroselini prope *Helmstadium;* unam cepit *Roentgen* circa *Niesky.*

Varietas:

1. *Coxis anterioribus totis nigris.* m. — *Longitudo* 2⅕ linearum. *Alae* areola irregulari petiolata, multo minore quam in specie genuina. *Pedes* anteriores testaceofulvi, trochanteribus pallidioribus, coxis nigris; postici coxis et trochanteribus nigris, his apice rufo, femoribus rufis geniculo nigro, tibiis albido-stramineis, apice et ante basin nigris, tarsis nigris, articulo 1 basi albidostraminea. *Abdomen* gracilius quam mari genuino, cum quo caetera bene conveniunt.

Individuum unicum *Manger* cepit circa *Warmbrunn.*

10. C. VIRGINALIS. n.

Abdomine subcompresso; pedibus fulvis, coxis nigris, tibiis tarsisque posticis albis nigro-maculatis. f. (aculeo longitudine sextae partis abdominis).

Longitudo $2\frac{2}{3}$ linearum. *Caput* palpis et mandibularum medio stramineis. *Antennae* subfiliformes, dimidio corpore paululum longiores, subcurvatae, articulo 1 subtus fusco. *Thorax* gibbus. *Alae* mediocres hyalinae seu subfumatohyalinae, stigmate et radio piceis aut stramineis, radice et squamula flavicantibus; areola petiolata irregulari. *Pedes* mediocres; anteriores coxis nigris, femoribus fulvis, trochanteribus tibiis et tarsis pallidioribus; postici coxis et trochanteribus nigris, femoribus fulvis, tibiis albis, apice et annulo angusto ante basin fusco-nigris, tarsis albidis, articulorum apicibus nigro-fuscis. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius et angustius, a latere visum clavatum; segmento 1 parte antica subquadrata, petiolo breviore et duplo latiore, segmentis reliquis aequilatis. *Aculeus* longitudine sextae partis abdominis subsursumcurvatus

Quasdam feminas legi, mense Iulii, *Gottingae* in floribus petroselini.

11. C. SENICULUS. n.

Areola subnulla; ore et trochanteribus anterioribus flavis; femoribus rufis; tibiis flavis, posticis apice et basi nigris. m.

Hic mas a duobus sequentibus discedit statura tota crassiore, imprimis segmento 1 latiore, areola sub-nulla.

Longitudo vix paulo ultra 4 lineas. *Caput* facie griseo-sericante, palpis et medio mandibularum flavis. *Antennae* dimidio corpore longiores, apice incurvae. *Thorax* globosus subsericans. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula flavis; areola minutissima, nervis ejus autem, nec non petiolo, seu nervo, cellulam interiorem ab exteriore sejungente, crassioribus quam in reliquis cospeciebus. *Pedes* coxis nigris, anticis subtus flavis; trochanteribus anterioribus flavis, posticis nigris; femoribus rufis, anticis subtus flavicantibus; tibiis anterioribus flavis, apicem versus dilute-rufis, posticis albo-flavis, apice et basi nigris, spinis albidis; tarsis anterioribus testaceis, posticis nigris. *Abdomen* subsericans, capite thoraceque paulo longius, thorace paulo angustius; segmento 1 parte antica quadrata, paulo breviore at triplo latiore quam petiolus, scrobiculis tribus dorsalibus; 2—5 aequilatis, ventre compressis.

Hunc marem ab *Uechtritz* cepit, mense Iulii, in floribus Chaerophylli bullosi, prope *Reinsdorf* in Silesia.

12. C. DEFICIENS. n.

Areola nulla, abdomine subcompresso; pedibus rufis; trochanteribus et coxis nigris. f. (aculeo vix abdominis dimidii longitudine).

Statura et proportio partium sicut in feminis crassioribus speciei sequentis; defectu areolae autem, et pedum colore, differt.

Longitudo 4 $\frac{1}{4}$ linearum. *Caput* palpis piceis. *Alae* subhyalinae, stigmate et radio fuscopiceis, radice et squamula pallidestramineis. *Pedes* rufi, coxis et trochanteribus nigris; tarsis posterioribus fuscis basi rufa. *Aculeus* vix dimidii abdominis longitudine subsursum curvatus.

Unicam feminam *Richter* cepit circa *Vratislaviam*.

13. C. ALBIDUS.

Abdomine subcompresso; pedibus rufis, coxis nigris; tibiis posticis albidis, apice et ante basin nigris; tarsis posticis nigris, basi articulorum albida; facie griseo-sericea, ore flavo. m. f. (*fem.* aculeo dimidii abdominis longitudine).

Haec species a quibusdam antecedentium, ad quas vel colore pedum vel longitudine aculei propius accedit, segmento primo, caeteris paribus paululum breviore, imprimis parte ejus antica tumidiore subglobosa, differt.

Longitudo 2⅓—5 linearum. *Caput* facie plus minus griseo-sericea; palpis et mandibularum medio vel flavis vel fulvis vel ferrugineis. *Antennae* dimidio corpore longiores, apice curvatae subgraciliores. *Thorax* gibbus. *Alae* mediocres, plus minus subfumato-hyalinae, radio et stigmate fuscis aut piceo-stramineis, radice et squamula flavo-stramineis; areola subregulari, petiolata aut subpetiolata, rarius sessili. *Pedes* mediocres rufi; coxis nigris, mediis nonnunquam, rarius quoque anticis, subtus rufis; trochanteribus anterioribus vel unicoloribus, flavis aut rufis aut fuscis, vel nigris apice rufo, posticis nigris; femoribus posticis interdum geniculo nigro; tibiis anterioribus rufis aut fulvis, interne plerumque pallidioribus, mediis ut plurimum apice et puncto ante basin ferrugineis, posticis interne rufis, externe albis aut alboflavis, apice et annulo ante basin nigris; tarsis anticis apice obscuriore, posticis nigris, basi articuli primi, summaque basi sequentium, albidis, interdum testaceis, rarius articulo primo, rarissime quoque secundo, albo, apice nigro. *Abdomen* capite thoraceque longius, seu eorum longitudine; quibusdam thorace angustius, segmentis plurimis latitudine longioribus, 2 latitudine fere duplo longiore, aliis thoracis latitudine, segmento 2 quadrato, sequentibus transversis, pluribus hac ratione intermediis; segmento 1 parte antica subgloboso-orbiculata, duplo aut plus duplo latiore quam petiolus, hujusque longitudine vel paulo breviore, rarius fere paulo longiore quam ille;

subcompressum; mari ut plurimum plus minus teretiusculum, interdum cinereo-sericeum, praeprimis ad latera segmenti 2 et 3. *Aculeus* subsursum-curvatus, dimidii abdominis longitudine, vel paulo longior aut paulo brevior, rarissime tantum tertiae partis abdominis longitudine; terebra rufa.

Mares et feminas legi, mensibus Maji et Augusti, circa *Gottingam* et *Cudovam*, in umbellatis et fruticetis; plures mecum communicati sunt, circa *Berolinum Vindobonam* et *Sickershausen* capti. Praeterea mares quosdam accepi, circa *Parisios* et in *Regione Pedemontana* lectos, unumque ipse cepi, mense Iulii, in frutetis prope *Scheidnich*. Feminae maribus sunt frequentiores, et praeter istas, cum maribus lectas, plures cepi passim in *Silesia* et circa *Helmstadium*, mensibus Maji — Septembri, in frutetis et umbellatis; multae quoque transmissae sunt, circa *Halam Saxonum*, *Norimbergam* et *Parmam*, nec non in *Volhynia Hungaria* et *Tauria* lectae. Femina Volhynica omnium est maxima, longitudine nempe 5 linearum, cum maxima reliquarum longitudinem 4 ⅕ linearum haud excedat; reliquis etiam crassior est, abdomine latitudine thoracis.

Varietates:

1. *Tibiis tarsisque posticis nigrofuscis; illis medio, his basi, exalbidis.* m. — *Longitudo* 2 ½ linearum. *Pedes* postici coxis nigris, trochante-

ribus rufis basi nigra, femoribus rufis, tibiis exalbidis, apice et basi tota nigris, tarsis nigrofuscis, articuli primi basi exalbida. *Abdomen* segmento 2 latitudine duplo longiore, sequentibus brevioribus subquadratis.

Unum marem, circa *Netley* captum, *Hope* ad me misit.

2. *Tibiis posticis rufis, apice plerumque nigricante.* f. — *Statura* et proportio partium plerumque feminis genuinis crassioribus respondet. — *Longitudo* 2⅔ — 3⅓ linearum. *Pedes* coxis nigris, anticis interdum subtus rufescentibus; trochanteribus anterioribus vel totis rufis vel nigris apice rufo; femoribus rufis; tibiis rufis, posticis plerumque apice et ante basin plus minus fuscescentibus, basi ipsa pallidiore aut exalbida; tarsis posticis fuscis, articulo 1 interdum pallide-rufo. *Abdomen* vel thoracis latitudine vel paululum angustius. — Caetera sicut in speciei genuinae individuis plurimis crassioribus.

Quaedam feminae, circa *Warmbrunn* et *Gottingam* lectae, mecum communicatae sunt.

Synonyma:

Ichn. albidus Gmel. ed. Linn. pag. 2705, n. 332 α (Gmel. cum hac specie conjunxit Ichn. Leskii p. 66, n. 285, qui autem, ob abdominis maculam lateralem, ad *C. ensatorem* adhibendus est).

Nota:

Varietas descripta, statura et proportione partium, speciei genuinae respondet, colore pedum autem melius cum *C. difformi*, n. 1, convenit, indeque medium obtinet inter has duas species.

14. C. VIENNENSIS. n.

Abdomine subcompresso; pedibus fulvis, coxis nigris, femorum posticorum basi nigra, tibiis posticis fuscis, medio exalbidis. m. f. (*mas* coxis anterioribus apice flavis; *fem.* aculeo tertiae partis abdominis longitudine).

Longitudo 3 — 3 ½ linearum. *Corpus* totum subsericeum. *Caput* palpis et mandibularum medio flavis. *Antennae* dimidio corpore longiores, apicem versus graciliores subcurvatae, mari paulo crassiores quam feminae. *Thorax* gibbulus. *Alae* mediocres, mari hyalinae, feminae subfumato-hyalinae, stigmate stramineo, mari obscuriore aut fuscescente, radio fusco, mari pallidiore, radice et squamula flavis; areola regulari petiolata. *Pedes* mediocres rufi, mari paulo dilutiores; coxis nigris, anterioribus mari apice flavis; trochanteribus flavis, basi nigra; femoribus posticis basi nigra; tibiis posticis externe exalbidis apice et ante basin fuscis aut nigris, interne fuscis aut ferrugineis, feminae plerumque obscurioribus quam mari, mediis feminae sicut posticae coloratis, mari totis rufis; tarsis anterioribus mari fulvis, feminae fuscis, posticis

mari fuscis, feminae nigris, *Abdomen* cylindrico-fusiforme, mari capite thoraceque paulo longius et angustius, a latere visum teretiusculo-clavatum, feminae capitis thoracisque longitudine, thorace paulo angustius, a latere visum compresso-clavatum; segmento 1 parte antica subtumidiuscula, duplo latiore at vix paulo longiore quam petiolus, petiolo ipso breviore et crassiore quam plurimis reliquis cospeciebus; segmentis 3—5 mari marginibus summis subrufescentibus. *Aculeus* subsursumcurvatus, longitudine trientis abdominis.

Duos mares unamque feminam, circa *Vindobonam* lectos, *Dahl* transmisit.

Varietas:

1. *Femoribus omnibus basi summa nigris.* m. f. — *Longitudo* maris 2½, feminae 3 linearum. *Alae* maris fennici areola sessili. *Coxae anteriores* ejusdem maris subtus haud flavae sed rufae. *Abdomen* ejus segmento 2 margine summo rufo; maris volhynici segmentis 2 et 3 summo margine obsolete-ferrugineo, sequentibus margine summo obsoletissime griseis; feminae volhynicae segmentis 2—7 summo margine obsoletissime ferrugineis. — Caetera cum individuis genuinis conveniunt.

Par *volhynicum* hujus varietatis *Besser* mecum communicavit; marem *fennicum* autem *Sahlbergio* debeo.

15. C. EBENINUS. n.

Abdomine subcompresso; pedibus rufis, coxis et trochanteribus nigris. m. f. (aculeo perbrevi).

Longitudo maris $3\frac{1}{3}$—$4\frac{1}{2}$, feminae $2\frac{1}{2}$—$3\frac{3}{4}$ linearum. *Caput* palpis et mandibularum medio rufis aut ferrugineis, feminae interdum piceis seu mandibulis totis nigris. *Antennae* apicem versus graciliores curvatae, mari dimidio corpore longiores, feminae paulo breviores quam mari. *Thorax* gibbus. *Alae* mediocres, plus minus subfumatohyalinae, stigmate et radio stramineis aut fuscopiceis; squamula et radice flavis aut stramineis, illa mari rarius nigra; areola regulari, rarius irregulari, petiolata aut subpetiolata, mari ut plurimum subsessili. *Pedes* mediocres rufi, coxis et trochanteribus nigris, his plerumque apice rufo; tibiis posticis interdum apice nigro; tarsis posticis plus minus fuscis. *Abdomen* capite thoraceque parum longius et angustius, subcylindricum aut cylindrico-fusiforme; a latere clavatum, mari subteretiusculum, feminae subcompressum; segmento 1 parte antica plus minus tumida, paulo breviore et duplo latiore quam petiolus, plerumque latitudine longiore, rarius suborbiculata. *Aculeus* longitudine quintae partis abdominis.

Marem et feminas nonnullas legi, mensibus Iunii et Septembri, circa *Vratislaviam,* in gramine et fruticetis; quaedam paria, circa *Warmbrunn,*

Vindobonam et in *Regione Pedemontana* capta, mihi transmissa sunt. Insuper autem feminas plures legi, mensibus Augusti et Septembri, circa *Gottingam*, *Trajectum ad Viadrum* et *Cudovam*, in fruticetis et in umbellatis; aliasque accepi, circa *Hannoveram, Sickershausen, Norimbergam, Netley*, nec non in *Tauria* et *Volhynia* lectas.

Varietates:

1. *Trochanteribus anterioribus totis fulvis*. f. — Caetera sicut in plurimis feminis genuinis.

Unum cepi individuum, die 18 Septembris, in loco aprico valli *Gottingensis* volitans.

2. *Tibiis posticis apice et basi nigris*. f. — *Femora* postica geniculo nigricante. — Caetera individuis majoribus speciei genuinae respondent.

Duas cepi feminas, mense Septembri, in loco aprico frutetoso prope *Trajectum ad Viadrum*, cum genuinis, unam *Richter* e Sudetis *Silesiae* retulit.

16. C. INSECTATOR.

Abdomine subcompresso; pedibus fulvis, trochanteribus posticis coxisque nigris; areola minutissima longepetiolata. f. (aculeo perbrevi).

Longitudo 2 linearum. *Caput* palpis et mandibularum medio testaceis, facie subgriseosericea.

Antennae corpore paulo breviores, apicem versus sensim tenuiores. *Thorax* gibbulus. *Alae* hyalinae irideae, stigmate et radio piceo-stramineis, radice et squamula flavis; areola minuta irregulari longepetiolata. *Pedes* mediocres fulvi; coxis omnibus et trochanteribus posticis nigris. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, thorace paulo angustius, dorso cylindricum, lateribus apicem versus subcompressum, apice ipso obtuso; segmento 1 parte antica latitudine longiore, haud tumidiuscula, latiore et longiore quam petiolus, petiolo ipso breviore et crassiore quam in reliquis cospeciebus. *Aculeus* exsertus perbrevis, crassior quam in reliquis cospeciebus.

Unicam *pedemontanam* feminam *Bonelli* transmisit.

Synonyma:

Ichn. insectator Schrank Austr. n. 748.
„ Villers p. 184, n. 151; in Gallia australi.
„ Gmel. ed. Linn. p. 2698, n. 177.
„ Olivier p. 223, n. 99.

17. C. TENUIVENTRIS. n.

Abdomine subsericante subteretiusculo, petiolo longo tenui; pedibus rufis; trochanteribus et coxis nigris; tibiis posticis nigris, medio sordidealbidis. m. f. (aculeo brevissimo).

Longitudo $2\frac{1}{3}$ — $3\frac{1}{3}$ linearum. *Caput* palpis stramineis. *Antennae* dimidio corpore paulo

longiores, feminae apice magis curvatae quam mari. *Thorax* gibbulus. *Alae* fumatohyalinae, feminae magis pellucidae, stigmate et radio fuscis, radice maris picea aut fusca, feminae straminea, squamula testacea, feminae nonnunquam fusca, areola petiolata, plus minus regulari. *Pedes* subgraciles; coxis et trochanteribus nigris, horum anticis interdum apice rufo; femoribus rufis, posticis feminae ut plurimum geniculo nigricante; tibiis anterioribus rufis aut fulvis, externe plus minus albidis, apice et ante basin interdum fulvoferrugineis, posticis mari rufis, externe sordide-albidis apice et ante basin nigris, feminae vel sicut mari, vel medio sordiderufescentibus, subtus plerumque fuscescentibus; tarsis anterioribus plus minus fuscescentibus, posticis nigris, articulo 1 mari plerumque basi pallidiore. *Abdomen* subsericeum, capite thoraceque longius et angustius, mari interdum thoracis dimidii latitudine, subfusiformi-clavatum, feminae apicem versus plerumque parum compressum; segmentis 1—4 sensim latioribus, 1—3 angustioribus quam reliquis cospeciebus; 1 petiolo paulo angustiore et duplo longiore quam pars antica. *Aculeus* subexsertus, subsursumcurvatus.

Mares et feminae mecum communicati sunt, circa *Vindobonam* et *Norimbergam* lecti, praeterea mas, prope *Berolinum* captus, et feminae, circa *Sickershausen* et *Genuam* lectae. — *Neeseo ab Esenbeck* prodibat femina e folliculo, fasciis duabus basique nigris, cujus larva in larva *Phalae-*

nae Betulariae degerat, *Sturmio* altera e folliculo ovato, $2\frac{1}{2}$ lineas longo, albo, cingulis duobus punctisque sparsis nigris.

Varietas:

1. *Trochanteribus anterioribus rufis.* f. — *Longitudo* 3 linearum. *Caput* palpis albidis, mandibularum medio flavo. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio piceo-fuscis, squamula et radice flavis, areola subregulari petiolata. *Pedes* anteriores rufi, coxis nigris; postici coxis et trochanteribus nigris, femoribus rufis, tibiis nigris, medio testaceo-albidis, basi summa ferrugineis, spinis apicalibus albis, tarsis nigris, basi articuli primi albida. *Abdomen* segmentis 2—6 subaequalibus, 4—7 compressiusculis, 1 petiolo paulo breviore quam in specie genuina. — Caetera huic respondent.

Unicam *fennicam* feminam *Sahlberg* mihi misit.

18. C. DISPAR.

Abdomine subcompresso; pedibus rufis, trochanteribus posticis coxisque nigris; femoribus tibiisque posticis pro parte fuscis. m.

Statura et proportio partium sicut in mare antecedente; sed abdomine minus tereti, segmentis 1 et 2 paululum brevioribus et latioribus.

Longitudo $2 — 2\frac{2}{3}$ linearum. *Caput* palpis et mandibulis stramineis. *Antennae* fere longitu-

dine corporis, apice curvatae subgraciliores. *Alae* mediocres, subfumatohyalinae; stigmate radio et squamula piceis aut stramineis, radice straminea; areola parva subregulari petiolata. *Pedes* mediocres; anteriores rufi aut fulvi, coxis nigris, anticis interdum apice fulvis, trochanteribus individuorum minorum subflavicantibus; postici coxis et trochanteribus nigris, femoribus rufis, superne, imprimis basin versus, fuscis, tibiis subtus rufis aut testaceis, supra vel fuscis, apice et ante basin paulo obscurioribus, vel ferrugineis, apice et ante basin fuscis, tarsis fuscis. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine; segmento 1 parte antica subglobosa, breviore et paulo latiore quam petiolus.

Marem maximum, stigmate radio et squamula pallidioribus, petiolo paulo breviore, *Bonelli* cepit in *Regione Pedemontana;* unum cepi, mense Iulii, in fruticetis prope *Ahdenstedt;* duo alii, in *Silesia* et prope *Trajectum ad Moenum* capti, mecum communicati sunt, minimi omnium, et trochanteribus anterioribus flavicantibus, tibiisque posticis medio ferrugineis, distincti.

Synonyma:

Ichn. dispar Gmel. ed. Linn. p. 2721, n. 406. (haud *I. dispar* Thunb. Ichn., n. 96).

19. C. GENICULATUS.

Abdomine subcompresso; femoribus rufis, posticis basi aut apice nigris; tibiis testaceis, posticis albidis, apice et ante basin nigris; tarsis posticis fuscescentibus, articulorum basi exalbida. m. f. (aculeo dimidii abdominis longitudine).

Mas differt a sequente, abdomine graciliore, haud compresso, a mare *C. tenuiventris*, n. 17, segmentis 1 et 2 brevioribus, 2 imprimis crassiore et breviore. *Femina* statura et proportione partium convenit cum femina *C. albidi*, n. 13, et *C. viennensis*, n. 14; ab illa autem discedit colore pedum, quo melius cum hac congruit, a qua autem aculeo longiore, sicut in femina *albidi*, differt, medium tenens inter ambas species.

Longitudo maris $2\frac{1}{4}$—$2\frac{1}{2}$, feminae $2\frac{2}{3}$ linearum. *Caput* palpis et mandibularum medio stramineis aut testaceis. *Alae* plus minus fumato-hyalinae, stigmate et radio fuscescentibus aut piceis, feminae ferrugineis, radice et squamula pallide-flavis; areola regulari subpetiolata, mari nonnunquam subirregulari et petiolata. *Pedes maris* coxis et trochanteribus nigris; femoribus rufis, mediis interdum basi nigris, posticis apice, ut plurimum quoque basi, plus minus nigris; tibiis anticis testaceo-flavis, mediis testaceis aut testaceo-albidis, apice et ante basin plerumque fuscescentibus, posticis albidis, apice et ante basin ni-

gris; tarsis anticis fuscescentibus aut rufis, mediis fuscis, articulorum basi pallida, posticis nigris, articulorum basi alba; *feminae* trochanteribus et coxis nigris; femoribus rufofulvis, posterioribus macula nigricante baseos; tibiis stramineis, mediis basi et apice fulvis, posticis exalbidis, apice et ante basin nigris; tarsis fuscis, articulis basi testaceo-albidis. *Abdomen maris* capitis thoracisque longitudine, thorace angustius, teretiusculum, a latere visum clavatum, segmentis 2—5 dorso aequilatis, plerumque griseo-testaceo-sericeis.

Unum marem, circa *Norimbergam* captum, *Klug* mecum communicavit; quosdam alios, *pedemontanos, Bonellio* debeo. Feminam unicam *genuensem a Spinola* transmisit.

Varietates:

1. *Tibiis posticis medio rufis.* m. — *Pedes* rufi; coxis nigris; trochanteribus posticis totis, mediis superne, nigris; femoribus posticis geniculo nigricante; tibiis mediis basi albida, posticis rufis, apice et ante basin nigris, basi ipsa alba; tarsis anticis rufis, mediis fuscis basi articulorum albida, posticis nigris basi articulorum alba. — Caetera sicut in mare genuino.

Unicum *pedemontanum* marem *Bonelli* mihi misit.

2. *Tarsis posticis totis fuscis.* m. — *Longitudo* fere 3 linearum. *Alae* subhyalinae irideae, stigmate stramineo. *Pedes* graciliores quam mari

genuino, rufi; trochanteribus et coxis nigris, illis apice flavo; femoribus posterioribus macula baseos, posticis insuper geniculo, nigris; tibiis mediis testaceis, apice et ante basin fuscis, posticis testaceo-albidis, apice et ante basin nigris; tarsis fuscis. *Abdomen* fusiforme, haud sericeum. — Caetera mari genuino respondent.

Unum marem, circa *Genuam* captum, *a Spinola* transmisit.

20. C. ARVENSIS. n.

Abdomine subcompresso; femoribus rufis, posterioribus pro parte nigricantibus; tibiis rufis, posticis apice et ante basin fuscis. m.

Statura et proportio partium *C. disparis*, n. 18; abdomine autem paulo breviore et latiore, imprimis segmentis 1 et 2 brevioribus et latioribus.

Longitudo 2—2½ linearum. *Caput* palpis, plerumque medio mandibularum, testaceis. *Alae* plus minus subfumatohyalinae, stigmate testaceo-piceo, radio fuscopiceo, radice et squamula stramineis, hac interdum picea; areola subregulari, petiolata aut subpetiolata. *Pedes* coxis nigris, anticis interdum subtus testaceis; trochanteribus nigris, anterioribus interdum subtus aut apice stramineis aut fulvis, anticis rarius totis stramineis; femoribus rufis aut fulvis, mediis plerumque externe fuscis, posticis vel ut media, vel fusco-nigris, ut plurimum apicem versus rufis aut castaneis;

tibiis fulvis aut testaceo-rufis, posticis apice nigro aut fusco annuloque ante basin fusco, distinctiore aut obsoletiore, mediis rarius subtus fuscis; tarsis fuscis, anterioribus vel basi vel totis rufofulvis.

Unum cepi individuum die 22 Maji in umbellatis prope *Gottingam;* quaedam alia, circa *Warmbrunn, Norimbergam* et in *Regione Pedemontana* lecta, mecum communicata sunt. — Individuorum pedemontanorum unum, trochanteribus anticis totis stramineis, alterum, femoribus mediis totis fulvis, a reliquis differt.

21. C. PARVULUS. n.

Abdomine subcompresso; pedibus rufis; trochanteribus posticis, apice femorum posticorum, coxisque, nigris. f. (aculeo longitudine quartae partis abdominis).

Longitudo 2 linearum. *Caput* palpis et mandibularum medio testaceis. *Antennae* filiformes, corpore paulo breviores. *Thorax* gibbulus. *Alae* hyalinae irideae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula pallide-flavis; areola oblique-transversa, subpetiolata, nervo exteriore pertenui. *Pedes* anteriores testacei, trochanteribus pallidioribus, coxis nigris; postici coxis et trochanteribus nigris, femoribus rufis geniculo nigro, tibiis stramineis, apice et basi nigris, tarsis fuscis, articulo 1 basi straminea. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius et angustius, subcylindricum, apicem ver-

sus subcompressoclavatum; segmento 1, sicut in praecedente femina, petiolo crassiore quam in plurimis cospeciebus cognatis, parte antica subquadrata, paululum latiore et dimidio breviore quam petiolus; 2 cylindrico, latitudine duplo longiore. *Aculeus* triente abdominis brevior.

Unicam feminam *Manger* cepit circa *Warmbrunn.*

22. C. ANOMOLUS. n.

Areola nulla; abdomine subcompresso; tibiis anterioribus subtestaceis; femoribus anterioribus apicem versus stramineis. f. (aculeo longitudine dimidii abdominis).

Longitudo 2 linearum. *Caput* mandibulis medio ferrugineis. *Antennae* porrectae, dimidio corpore longiores. *Thorax* gibbus. *Alae* mediocres hyalinae, radio stigmate et squamula nigro-fuscis, radice flava. *Pedes* mediocres, coxis et trochanteribus nigris; femoribus anticis stramineis, basi summa nigra, mediis nigris apice stramineo, posticis totis nigris; tibiis anterioribus stramineis, mediis subtus, nec non apice et ante basin, fuscis, posticis nigricantibus, medio externe ferrugineis; tarsis fuscis, anterioribus basi ferruginea. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, thorace angustius, dorso cylindricum, apicem versus compresso-clavatum, segmento 1 parte antica sub-

quadrata subtumidiuscula, latiore et breviore quam petiolus. *Aculeus* dimidio abdomine paululum longior, subsursumcurvatus, terebra castanea.

Feminam unicam cepi circa *Gottingam.*

23. C. IMMOLATOR. n.

Abdomine subcompresso; femoribus anterioribus tibiisque rufis. m. f. (aculeo brevissimo).

Longitudo 2⅓ linearum. *Antennae* dimidio corpore paulo longiores, filiformes, apice subcurvatae. *Thorax* gibbus. *Alae* mediocres hyalinae, radio fuscescente, stigmate radice et squamula testaceis; areola regulari parva petiolata. *Pedes* mediocres rufi; anteriores trochanteribus et coxis, nec non basi summa femorum unguibusque, nigris; postici coxis trochanteribus femoribusque nigris, his apice rufo, tarsis fuscis. *Abdomen* capite thoraceque paululum longius et angustius, dorso subfusiforme, lateribus clavato-subcompressum; segmento 1 parte antica basin versus sensim angustata, latiore et paulo breviore quam petiolus, hoc crassiore quam in plurimis reliquis cospeciebus; 2 margine obsolete ferrugineo. *Aculeus* subexsertus subsursumcurvatus.

Duas feminas accepi, circa *Norimbergam* captas, unum autem marem e *Volhynia.*

24. C. TRISTIS. n.

Abdomine subcompresso; tibiis anticis, nec non femorum anteriorum parte, rufis; tibiis posterioribus medio externe testaceis. m. f. (aculeo brevissimo).

Statura et proportio partium *maris* prorsus sicut in *geniculato*, n. 19, pedibus forsan paulo gracilioribus; ab *albipalpis* mare, cui colore melius respondet, hic abdomine differt magis cylindrico, apicem versus minus incrassato, segmentis 1 et 2 brevioribus. *Femina* statura etc. omnino respondet feminae antecedenti, abdomine vix paulo breviore et crassiore.

Longitudo maris 3, feminae 2½ linearum. *Alae* maris fumato-hyalinae, feminae subhyalinae, stigmate et radio fuscopiceis aut testaceopiceis, radice et squamula flavis; areola *maris* subregulari et subpetiolata, *feminae* vel parva regulari petiolata, vel quinqueangulari subpyramidata. *Pedes* coxis et trochanteribus nigris; *mari* femoribus anterioribus rufis, mediis tamen externe basin versus nigris, posticis nigris, subtus rufocastaneis; tibiis anterioribus testaceo-rufis, mediis apice et latere interno fuscis, posticis nigris, medio lateris exterioris, basi summa et spinis apicalibus, albis; tarsis anticis rufis, posterioribus fusconigris summa basi articulorum albida; *feminae* femoribus anticis rufis basi nigra, mediis nigris, apice summo rufo, posticis totis nigris; tibiis anticis fulvis, posterio-

ribus exalbido-testaceis, apice basi et interne nigris; tarsis fuscis. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, dorso oblongoovatum, a latere visum clavatum. *Aculeus* brevissimus.

Par hujus speciei Bonelli cepit in *Superga* prope *Taurinum*, mense Aprilis; alteram feminam, circa *Genuam* captam, *a Spinola* mecum communicavit. Femina pedemontana distincta est areola quinqueangulari, stigmate fuscopiceo.

25. C. ANNULATUS. n.

Abdomine subcompresso; femoribus anterioribus apicem versus rufis; tibiis anticis testaceis, posterioribus albidis, apice et ante basin nigris. f. (aculeo longitudine sextae partis abdominis).

Statura et proportio partium *C. immolatoris*, n. 23; abdomine tamen paulo graciliore, aculeo longiore.

Longitudo $2\frac{1}{3}$ linearum. *Caput* palpis et mandibularum medio stramineis. *Alae* hyalinae irideae, stigmate et radio stramineis, radice et squamula flavicantibus; areola parva regulari petiolata. *Pedes* antici rufi, coxis et trochanteribus nigris, his apice rufis, femoribus subtus basi nigra, tibiis testaceo-rufis; posteriores nigri, trochanteribus apice rufis, tibiis albis, apice et ante basin nigris, femoribus mediis vel nigris, apicem versus fusco-rufis, vel rufo-fulvis basi nigra, tarsorum

posticorum articulo 1 basi plus minus albido. *Abdomen* capite thoraceque vix paulo longius, at paulo angustius, subcompressum, a latere visum clavatum. *Aculeus* fere sextae partis abdominis longitudine.

Duae feminae, circa *Warmbrunn* et *Parisios* captae, mecum communicatae sunt.

25b. C. SUBCINCTUS. n.

Abdomine subcompresso; segmento secundo margine castaneo; pedibus anticis fulvis, posterioribus nigris, tibiis albo-annulatis. f. (aculeo fere longitudine dimidii abdominis).

Haec species differt a *C. tristi*, n. 24, aculeo longiore, pedibus brevioribus, a *C. annulato*, n. 25, abdomine pedibusque brevioribus.

Longitudo 1 ⅔ linearum. *Antennae* dimidio corpore paulo longiores. *Thorax* gibbus. *Alae* subhyalinae, stigmate et radio stramineo-piceis, radice et squamula pallide-flavis; areola triangulari sessili subirregulari. *Pedes* antici flavo-fulvi, coxis nigris; medii coxis nigris, trochanteribus et femoribus nigris apice dilute-fulvo, tibiis rufofulvis apice nigrofusco, tarsis nigrofuscis; postici nigri, tibiis medio et summa basi albidis. *Abdomen* nitidulum subcompressum, capite thoraceque paulo longius, thorace angustius, in altero individuo thorace dimidio angustius, a latere clavatum; segmento 1 petiolo lineari, parte antica convexa sub-

orbiculata, breviore et duplo latiore quam petiolus; 2 vel fere latitudine duplo longiore vel latitudine paulo longiore, margine summo castaneo. *Aculeus* dimidio abdomine paulo brevior.

Duas feminas, circa *Netley* captas, *Hope* mecum communicavit.

26. C. ALBIPALPIS. n.

Abdomine subteretiusculo, femoribus anterioribus dilute-rufis; tibiis anterioribus testaceis, posticis medio et basi albis; palpis albis. m. f. (aculeo subexserto).

Statura et proportio partium omnino *C. tenuiventris*, n. 17; areola paulo minore.

Longitudo maris $2\frac{2}{3}$—$3\frac{1}{3}$, feminae 3—$3\frac{1}{2}$ linearum. *Caput* palpis albidis. *Alae* plus minus subfumato-hyalinae irideae, stigmate et radio fuscis, radice albido-straminea, squamula nigra aut testacea; areola regulari petiolata parva. *Pedes* coxis et trochanteribus nigris; femoribus anterioribus rufo-fulvis, mediis mari basi, interdum latere externo toto, nigris, posticis mari totis nigris, feminae nigrofuscis, medio aut interne castaneis; tibiis anterioribus pallide-testaceis, mediis ut plurimum apice et ante basin fuscis, posticis nigris, basi medio et spinis apicalibus albis aut exalbidis, rarius piceo-testaceis; tarsis exalbidis aut testaceis, mediis articulorum apice subfuscescente, posticis nigris, articulo 1 basi albida.

Par hujus speciei, in horto prope *Berolinum* captum, vidi in museo *Klugii;* alteram feminam cepi mense Octobri prope *Vratislaviam;* mares quidam. circa *Warmbrunn Parisios* et in *Regione Pedemontana* lecti, mecum communicati sunt. — *Pedemontanus,* omnium gracillimus, provenit e folliculo, illi simili, e quo Sturmio Camp. tenuiventris provenerat. *Warmbrunnensis* omnium est crassissimus, pedibus brevioribus validioribus et obscurioribus, abdomineque breviore, a reliquis hujus speciei maribus distinctus.

27. C. ABERRANS. n.

Areola nulla; abdomine subcompresso; pedibus anterioribus testaceis, coxis nigris, tibiis posticis medio ferrugineis; facie griseovillosa. m.

Longitudo 3¼ linearum. *Caput* facie et genis griseo-villosis; palpis stramineis. *Antennae* corpore breviores, apicem versus graciliores incurvae. *Thorax* gibbus griseo-sericeus. *Alae* mediocres subhyalinae irideae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula albidostramineis. *Pedes* mediocres; anteriores testaceo-fulvi, coxis nigris, trochanteribus testaceis; postici nigri, trochanterum apice tarsis tibiisque ferrugineis, his basi apiceque nigricantibus. *Abdomen* subsericeum, capite thoraceque longius, apicem versus compressum magisque ventricosum quam in plurimis reliquis maribus,

a dorso visum lineari-cylindricum, dimidii thoracis latitudine; segmento 1 parte antica latitudine perparum longiore, paulo angustiore at fere dimidio breviore quam petiolus; 2 margine subbadio.

Unicum cepi *Barterodae*, mense Iunii, in fruticeto.

28. C. VIDUUS. n.

Abdomine subcompresso; pedibus anterioribus fulvis, coxis nigris; tibiis posticis medio albidis. m.

Statura et proportio partium antecedentis; segmentis 1 et 2 autem angustioribus, areola triangulari.

Longitudo paulo ultra 3 lineas. *Caput* palpis et mandibulis stramineis. *Antennae* corpore paulo breviores. *Alae* hyalinae, stigmate et radio piceis radice et squamula stramineis; areola triangulari subregulari petiolata. *Pedes* anteriores dilute-fulvi, coxis nigris, anticis subtus fulvis, trochanteribus mediis nigris apice fulvo; postici nigri, tibiis testaceo-albidis, apice et summa basi nigris, tarsis subtus testaceo-albidis.

Marem unicum vidi in museo *Klugii*, *Berolini*.

29. C. PANISCUS. n.

Abdomine subcompresso; femoribus anticis totis, mediis interne, rufis; tibiis anticis stramineis, mediis nigro-testaceoque variegatis, posticis medio pallidis. m. f. (*mas* tibiis posticis medio testaceis, *femina* iisdem medio fuscis; aculeo quadrantis abdominis longitudine).

A *C. dispari* et *arvensi*, n. 18 et 20, hic differt abdomine longiore et minus compresso. Mas, segmentorum 1 et 2 forma tenui et angusta, congruit cum *tenuiventri*, n. 17.

Longitudo maris 2¾, feminae 2½ linearum. *Caput* palpis et mandibulis stramineis. *Antennae* tenues filiformes, apice subcurvae, mari corpore paulo breviores, feminae corpore dimidio paulo longiores. *Thorax* gibbulus. *Alae* hyalinae, stigmate et radio piceo-stramineis, radice et squamula pallide-stramineis; mari mediocres, areola subpetiolata; feminae breviores et angustiores, cellula cubitali intermedia sessili. *Pedes* mediocres; coxis nigris, anticis subtus feminae totis, mari tantum apice, testaceis; trochanteribus anterioribus pallide-flavis, superne puncto baseos fusco, posticis nigris apice pallide-flavo; femoribus anticis mari stramineo-fulvis, feminae rufis, mediis mari stramineis, supra nigris, feminae rufis, supra obscurioribus, basi apiceque nigricantibus, posticis nigris; tibiis anterioribus stramineis, mediis feminae subtus nigricantibus, supra sordide-stra-

mineis apice nigro, mari fulvo-stramineis, apice nigricante, posticis mari testaceis apice nigro, feminae nigris medio subfuscescente; tarsis feminae omnibus nigris, anticis basi pallescente, mari anticis testaceis apice fuscescente, posterioribus fuscescentibus basi pallidiore. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius et angustius; segmento 1 feminae ut in *C. arvensi*, mari autem multo angustiore, sublineari, parte antica vix paulo latiore quam petiolus, latitudine duplo longiore. *Aculeus* longitudine quartantis abdominis.

Par *austriacum* hujus speciei *Dahl* transmisit.

30. C. EXIGUUS. n.

Abdomine subcompresso, segmenti secundi margine summo castaneo; femoribus tibiisque anticis testaceis, tibiis posterioribus medio albidis. f. (aculeo longitudine dimidii abdominis).

Statura et proportio partium omnino *Camp. majalis*, n. 4.

Longitudo 1—1⅔ linearum. *Thorax* gibbulus. *Alae* amplae hyalinae irideae, stigmate et radio stramineis aut pallide-piceis, radice flava, squamulá fusca, areola irregulari sessili aut subsessili. *Pedes* antici fulvo-straminei aut rufofulvi, trochanteribus et coxis nigris; posterioribus nigris, femoribus mediis apice rufescente, tibiis albido-testaceis, basi apiceque nigricantibus, mediis latere altero interdum toto testaceo-albido.

Abdomen segmento 2 margine summo castaneo. *Aculeus* sursumcurvatus, dimidii abdominis longitudine, seu paulo longior.

Quaedam feminae, circa *Norimbergam Sickershausen* et *Berolinum* lectae, mecum communicatae sunt.

Varietas:

1. *Abdomine toto nigro.* f. — *Longitudo* fere 2 linearum. *Abdomen* magis compressum est quam in femina genuina, et, a latere visum, ovato-pyriforme, quod autem compressione externa, forsan digitis captoris, effictum esse videtur. *Aculeus* dimidio abdomine paululum brevior. — Caetera sicut in femina genuina.

Unum individuum *a Steven* transmisit e *Tauria*.

SECTIO II.

Abdomine nigro; antennarum articulo primo subtus pallido.

Nonnunquam individua occurrunt (*Camp. bimaculati, varipedis, armillati, consumtoris, molesti, chrysosticti*), segmentorum uno alterove rufo-maculato aut marginato; *C. psiloptero* abdomen fere totum fuscoferrugineum est. Hae species transeunt in *sectionem* 3. *C. maurus* autem articulo 1 antennarum fere toto nigro, solo apice subtus stramineo, prope accedit ad *sectionem* 1.

E sectione 1 huc spectant *C. sordidus* et varietas *C. majalis*, articulo 1 antennarum subtus pallidiore. — *E sectione* 3, *Camp. crassiusculus*, abdomine fere toto nigro, segmento 2 solo rufomarginato.

31. C. MEGACEPHALUS. n.

Abdomine subcompresso; antennarum articulo 1 subtus ferrugineo; pedibus rufis, coxis nigris, posticorum tarsis et tibiarum apice nigricantibus. f. (aculeo dimidio abdomine paulo longiore).

Ab omnibus cospeciebus hujus et antecedentis sectionis haec differt capite majore, praeprimis vertice longiore.

Longitudo 3⅔ linearum. *Caput* vertice longitudine duplo latiore, (cum reliquis saltem longitudine triplo latior sit); mandibulis et palpis testaceis. *Antennae* dimidio corpore longiores, apice curvatae, articulo 1 subtus ferrugineo. *Thorax* gibbulo-cylindricus. *Alae* hyalinae; stigmate pallide-piceo, radio fusco, radice et squamula testaceis; areola triangulari irregulari subpetiolata. *Pedes* rufi; coxis nigris, anticis apice rufis; postici tarsis nec non tibiarum apice et summa basi nigricantibus. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, thorace paulo angustius, subfusiforme; segmento 1 petiolo breviore et crassiore quam in plurimis cospeciebus, parte antica latitudine longiore, longitudine petioli, eoque fere duplo latiore. *Aculeus* fere abdominis longitudine, niger, terebra rufa.

Unicum individuum cepit *Roentgen* circa *Niesky*.

Varietas:

Tibiis posticis, trochanteribusque omnibus, nigris. f. — *Alae* stigmate et squamula fuscis. *Pedes* coxis omnibus trochanteribusque totis nigris; tibiis posticis nigris, interne rufocastaneis. *Abdomen* petiolo graciliore quam in femina genuina, cui caeteris haec varietas bene respondet.

Hanc feminam *ab Uechtritz* cepit circa *Pichelsberg*.

32. C. TEREBRANS. n.

Abdomine subcompresso; antennarum articulo 1 subtus ferrugineo; pedibus rufis, coxis posterioribus et apice tibiarum posticarum nigris; areola nulla. m. f. (aculeo dimidio abdomine paulo longiore).

Longitudo 3¾—4 linearum. *Caput* palpis mandibulisque rufo-fulvis. *Antennae* dimidio corpore longiores, apicem versus subtiliores et curvatae; articulo 1 subtus ferrugineo. *Thorax* gibbus aut gibbulus. *Alae* mediocres subfumato-hyalinae, stigmate et radio piceis, radice et squamula sordide-stramineis. *Pedes* mediocres rufi; coxis anticis rufescentibus, posterioribus nigris; tibiis posticis apice nigro; tarsis mediis ut plurimum fuscescentibus, posticis vel dilute-fulvis, articulo ultimo fusco, vel rufis, apice articulorum nigricante. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine vel parum longius, thorace paulo angustius, dorso

subfusiformi; segmento 1 parte antica maris subglobosa, latiore et fere dimidio breviore quam petiolus, feminae paulo breviore quam petiolus, minusque globosa et paulo longiore quam mari. *Aculeus* dimidio abdomine paulo longior, subsursumcurvatus.

Mares *pedemontanos* duos *Bonellio* debeo; feminas *genuenses* duas *a Spinola* mecum communicavit.

33. C. FALLAX. n.

Areola nulla; abdomine subcompresso; pedibus anterioribus testaceis, posticis rufis, puncto coxarum nigro, tarsis nec non tibiarum basi apiceque fuscis. f. (aculeo abdominis dimidii longitudine).

Statura et proportio partium antecedentis; aculeo tamen paulo breviore.

Longitudo fere 4 linearum. *Caput* palpis exalbidis, medio mandibularum flavicante. *Antennae* (apice manca), articulo 1 subtus pallide-flavo. *Alae* subfumato-hyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula flavis. *Pedes* anteriores straminei; postici rufi, coxis puncto nigro laterali, tibiis nigricantibus, medio ferrugineis, tarsis fuscis. *Aculeus* longitudine abdominis dimidii.

Feminam unicam, circa *Parisios* captam, *Desmarest* mecum communicavit.

34. C. BIMACULATUS. n.

Abdomine subcompresso, macula laterali castanea; pedibus testaceis, posticis coxis et trochanteribus nigris, tarsis nec non tibiarum apice et annulo ante basin fuscis, areola nulla. m.

Statura crassior et major quam in *chrysosticti* mare.

Longitudo 3 linearum. *Caput* palpis et mandibulis flavis. *Antennae* filiformes subgraciles, corpore breviores; articulo 1 subtus flavo. *Thorax* gibbulo-cylindricus. *Alae* subhyalinae irideae, radio et stigmate piceo-stramineis, radice et squamula pallide-stramineis. *Pedes* subgraciles; anteriores pallide-testacei, femoribus fulvis, coxis mediis basi fuscis; postici coxis et trochanteribus nigris, apice testaceis, femoribus fulvis, tibiis sordide-testaceis, apice et ante basin fuscescentibus, basi summa pallida, tarsis fuscis, articulo 1 basin versus testaceo. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, thorace paulo angustius, a latere clavatum, dorso subcylindrico, segmentis 2—5 aequilatis, 3 et 4 macula laterali castanea; 1 parte antica subquadrata, latitudine perparum longiore, longitudine petioli, eoque vix duplo latiore.

Marem unicum *Manger* cepit circa *Warmbrunn.*

Nota:

An mas feminae antecedentis?

35. C. NIGRITARSUS. n.

Abdomine subcompresso; pedibus rufis, posticorum coxis, trochanteribus, tarsis et apice summo tibiarum, nigris. m. f. (aculeo subexserto).

Mas abdomine crassiore, apice magis clavato magisque truncato, a reliquis speciebus cognatis differt. *Femina* statura et proportione partium prorsus *C. immolatoris*, n. 23, feminae, quae non nisi colore pedum et articuli primi antennarum differt.

Longitudo maris 2⅓—3, feminae 2⅔ linearum. *Caput* palpis et mandibulis flavis, facie argenteo-villosa. *Antennae* articulo 1 subtus flavo aut albido. *Alae* maris vel ampliores hyalinae, vel minores et plus minus fumatae, stigmate stramineo, rarius piceo, radio piceo, radice et squamula flavis; feminae ampliores hyalinae irideae, stigmate et radio piceis, radice et squamula pallide-flavis; areola irregulari petiolata, mari rarissime sessili. *Pedes* rufo-fulvi; anteriores coxis et trochanteribus pallidioribus, mari interdum flavis; postici coxis et trochanteribus nigris, his apice rufo, mari rarius flavo, tibiis summo apice nigricante, basi feminae, rarius quoque mari, flavicante, tarsis nigris. *Abdomen* maris capitis thoracisque longitudine, thorace angustius; dorso fusiforme, a latere clavatum apice truncato; femi-

nae sicut in femina Camp. immolatoris, paulo tamen gracilius, segmento 3 utrinque obsoletissime-badio. *Aculeus* vix subexsertus.

Duos cepi mares in fruticetis, unum nempe die 26 Maji circa *Gottingam*, alterum mense Iulii circa *Scheidnich*, hunc alis hyalinis et amplioribus a reliquis distinctum; tertium, eumque omnium maximum, stigmate piceo, areola sessili, coxis et trochanteribus anterioribus flavis, trochanteribus posticis apice flavis, tibiis posticis basi pallidis, a reliquis differentem, *de Heyden* cepit circa *Trajectum ad Moenum;* quartum, *parisiensem*, *Desmarest* mihi misit. — Feminam unicam, *berolinensem*, e museo *Klugii* descripsi.

Varietas:

1. *Coxis et trochanteribus omnibus, femorumque posteriorum basi, nigris.* m. — *Longitudo* 2½ linearum. *Pedes* rufi; coxis et trochanteribus nigris, anterioribus subtus testaceis; femoribus posterioribus basin versus nigris; tibiis posticis apice nigris; tarsis fuscescentibus, posticis nigricantibus. — Caetera sicut in mare genuino. De patria hujus individui nescius sum.

36. C. PSILOPTERUS. n.

Abdomine subcompresso; antennarum articulo primo ferrugineo; pedibus stramineis, coxis nigris. m.

Statura et proportio partium antecedentis, sed areola minuta differt.

Longitudo 1 $\frac{3}{4}$ linearum. *Caput* palpis flavis. *Antennae* subfiliformes, dimidio corpore longiores, apice incurvae, fuscae, articulo 1 ferrugineo. *Thorax* gibbulus. *Alae* mediocres hyalinae irideae, stigmate radio nervisque omnibus piceo-stramineis, radice et squamula pallide-stramineis; areola minutissima irregulari longe-petiolata. *Pedes* subgraciles fulvostraminei, coxis nigris, trochanteribus posticis ferrugineis. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius et duplo angustius, dorso lineari-cylindricum, a latere clavatum apice truncato subtriangulari; ferrugineo-fuscum, apice nigrum, segmento 1 parte antica latitudine longiore, paulo breviore et latiore quam petiolus.

Hunc marem *Menzinger* mecum communicavit, cum folliculo albo ovato, tres lineas longo, e quo ille provenerat.

Nota:

Suspicor, hoc individuum, coloribus nondum perfecte temperatis, necatum esse. Perfecto verisimile abdomen totum nigrum est.

37. C. LUGENS. n.

Abdomine subcompresso; areola minutissima; pedibus rufis, coxis nigris, trochanteribus et basi tibiarum flavis; antennarum articulo 1 subtus fulvo. f. (aculeo longitudine dimidii abdominis).

A reliquis cospeciebus cognatis haec differt imprimis abdomine teretiore, petiolo breviore, areola minuta oblique-transversali longe-petiolata.

Longitudo paululum ultra 2 lineas. *Caput* subsericeum, palpis et mandibulis flavis. *Antennae* filiformes, dimidio corpore longiores, subtus apicem versus fusco-ferrugineae, articulo primo fulvo. *Thorax* gibbulus. *Alae* hyalinae, stigmate et radio pallide-piceis, radice et squamula pallide-flavis; areola minutissima oblique-transversali petiolata. *Pedes* mediocres, fulvo-rufi; coxis nigris, anticis subtus flavicantibus; trochanteribus flavis, posticis basi nigra; tibiis summa basi pallide-flavis. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, thorace paululum angustius, subfusiforme, compressiusculo-teretiusculum, a latere clavatum; segmento 1 parte antica subglobosa, longitudine petioli, eo autem fere plus duplo latiore; 2 subquadrato, basin versus sensim angustato; 3—5 transversis, aequilatis; sequentibus sensim brevioribus et angustioribus. *Aculeus* dimidii abdominis longitudine, sursumcurvatus.

Unicam feminam *Manger* cepit circa *Warmbrunn.*

38. C. APOSTATA. n.

Abdomine subcompresso; areola nulla; pedibus rufis, coxis posticis nigris. f. (aculeo dimidio abdomine paulo breviore).

Statura et proportio partium antecedentis, a quo tamen hic petiolo paulo longiore et defectu areolae differt.

Longitudo 1 ¾ linearum. *Caput* subsericeum, ore flavo. *Antennae* articulo 1 subtus testaceo. *Alae* subhyalinae, stigmate pallide-stramineo, radio subpiceo, radice et squamula albo-stramineis. *Pedes* rufo-fulvi; trochanteribus pallidioribus, posticis basi nigra; tibiarum posticarum summo apice, tarsisque posticis, subfuscescentibus. *Abdomen* segmento 1 parte antica paulo breviore et plus duplo latiore quam petiolus. *Aculeus* dimidio abdomine paulo brevior.

Hanc feminam *Manger* cepit circa *Warmbrunn.*

39. C. ORBITALIS. n.

Abdomine teretiusculo subsericante; parte orbitarum oculorum alba; pedibus rufis, coxis et trochanteribus nigris, tibiis tarsisque posterioribus albo nigroque pictis. f. (aculeo vix subexserto).

Statura intermedia inter *tenuiventrem*, n. 17, et *immolatorem*, n. 23; abdomine paulo crassiore quam in illo, paulo graciliore quam in hoc.

Longitudo 2½—3 linearum. *Caput* palpis stramineis, mandibulis interdum medio ferrugineis; orbitis oculorum frontalibus et genalibus, rarius quoque facialibus, albostramineis. *Antennae* dimidio corpore longiores, apice recurvae, articulo 1 subtus albente. *Thorax* gibbus. *Alae* subhyalinae, stigmate et radio nigro-fuscis aut piceis, radice et squamula stramineis; areola subregulari subpetiolata. *Pedes* mediocres rufi, trochanteribus et coxis nigris; tibiis mediis albis aut pallidestramineis, apice fuscis, interne totis rufis, posticis albis, apice et basi nigris; tarsis anticis pallidis, apice articulorum rufescente, posterioribus nigris, basi articulorum alba. *Abdomen* tereticusculo-clavatum, capite thoraceque paulo longius, thoracis latitudine, tenuissime-sericeum; segmento 1 parte antica subglobosa, paulo breviore et fere duplo latiore quam petiolus. *Aculeus* vix subexsertus.

Quaedam individua, circa *Berolinum*, *Norimbergam* et in *Regione Pedemontana* capta, mecum communicata sunt.

40. C. GRACILIS. n.

Abdomine compresso; pedibus anterioribus rufis, trochanteribus et coxis albis, posticis femoribus rufis, tibiis medio albidis. m.

Affinis est *Camp. nigritarso*, n. 35, sed corpore multo angustiore differt.

Longitudo 2 linearum. *Caput* thorace latius, palpis mandibulisque albidis, facie argenteo-sericea. *Antennae* fere longitudine corporis, articulo 1 subtus exalbido. *Thorax* cylindrico-gibbulus. *Alae* subhyalinae irideae, stigmate piceo seu testaceo, radio fusco, radice et squamula exalbidis, areola subirregulari subpetiolata. *Pedes* anteriores rufi, trochanteribus et coxis flavis aut exalbidis, coxis mediis basi nigricante, tibiis mediis apice ferrugineis aut fuscis; postici trochanteribus et coxis nigris, illis apice exalbido-flavis, femoribus rufis, vel geniculo et macula basali nigris, vel basi tota nigra geniculo fusco, tibiis sordide-albidis, apice et ante basin nigris aut fuscis, tarsis nigro-fuscis, articulo 1 basi pallidiore aut albida. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, thorace angustius; segmento 1 parte antica latitudine longiore, vix duplo latiore et paulo breviore quam petiolus; 2 cylindrico, latitudine duplo longiore; sequentibus superne aequilatis, sensim brevioribus; 4—7 ventre compressis et valde protuberantibus.

Unum cepi, mense Augusti, in fruticetis, circa *Cudovam*, alterum *Trajecti ad Viadrum* in floribus ante fenestram positis.

41. C. VARIPES. n.

Abdomine subcompresso; pedibus anterioribus testaceis, trochanteribus et coxis albidis; posticis nigris, trochanteribus femoribus et tibiarum medio rufis. m.

Statura et proportio partium *cerophagi*, n. 9, maris, cui haec species caeteris quoque affinis est; differt autem abdominis apice paulo magis clavato, segmento primo angustiore. A mare antecedente differt hic thorace latitudine capitis.

Longitudo fere 3 linearum. *Caput* palpis et mandibulis stramineis, facie argenteo-villosa. *Antennae* articulo 1 subtus exalbido. *Alae* subhyalinae irideae, stigmate et radio piceis, radice et squamula albidis; areola irregulari sessili. *Pedes* anteriores stramineo-testacei, tibiis pallidioribus, coxis et trochanteribus exalbidis, coxis mediis basi nigris; postici rufi, coxis et geniculis nigris, tibiis testaceo-rufis, apice et ante basin nigris, tarsis nigris. *Abdomen* capite thoraceque paululum longius, thorace fere dimidio angustius; segmento 1 parte antica latitudine duplo longiore, paulo latiore quam petiolus; 2—6 aequilatis; 2 latitudine duplo longiore, margine summo rufo-testaceo; sequentibus sensim brevioribus, 4—6 ventre compressis protuberantibus.

Marem unicum *Manger* cepit circa *Warmbrunn*.

42. C. ARMILLATUS. n.

Abdomine subcompresso; pedibus anterioribus testaceis; posticis nigris, femoribus rufis, tibiis medio albidis. m.

Statura et proportio partium omnino *C. albidi*, n. 13, marium graciliorum, a quibus hic tantum coxis anterioribus et articulo primo antennarum pallidioribus differt.

Longitudo 2—3¼ linearum. *Caput* palpis et mandibulis flavis. *Antennae* articulo 1 subtus exalbido. *Alae* hyalinae, radio et stigmate piceis, hoc nonnunquam stramineo, radice et squamula pallide-flavis; areola irregulari petiolata. *Pedes* anteriores testacei aut straminei, coxis et trochanteribus pallidioribus, coxis mediis basi fusca; postici trochanteribus et coxis nigris, illis apice stramineo, femoribus rufis aut fulvis, interdum geniculo summo nigro, tibiis exalbidis aut pallide-stramineis, apice et annulo ante basin nigris, tarsis fuscis, articulo 1 basi pallide-stramineo. *Abdomen* segmentis 3 et 4 interdum macula laterali castanea obsoleta.

Quosdam mares *Manger* cepit circa *Warmbrunn.*

43. C. CONSUMTOR. n.

Abdomine subcompresso; pedibus fulvis; trochanteribus flavis, posticis nigris; tarsis posterioribus et tibiarum posticarum apice fuscis. m. f. (*mas* coxis anterioribus flavis, posticis nigris; *femina* coxis omnibus nigris; aculeo mediocri).

Longitudo maris 2⅓—3, feminae 2½ linearum. *Caput* facie argenteo-sericea, mandibulis et palpis flavis. *Antennae* filiformes, corpore breviores, mari interdum vix ejus longitudine, articulo 1 subtus flavo-albo. *Thorax* gibbulus. *Alae* mediocres hyalinae, stigmate et radio piceis aut testaceis, radice et squamula pallide-flavis; areola irregulari petiolata, mari interdum subpetiolata. *Pedes* mediocres fulvi; *mari* coxis anterioribus pallide-flavis, interdum puncto nigro, posticis nigris; trochanteribus pallide-flavis, posticis plerumque nigris apice pallide-flavo; tibiis posticis apice, interdum quoque annulo obsoletiore ante basin, fuscis; tarsis posterioribus fuscis, articulo 1 basi pallida; *feminae* coxis nigris, anticis apice flavo; trochanteribus anticis flavis, posterioribus nigris apice flavo; tibiis anterioribus pallide-stramineis, mediis basi et apice rufis, posticis basi apiceque fuscescentibus; tarsis posticis fuscescentibus. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine vel paulo longius, thorace paulo angustius, dorso

fusiformi-cylindricum, a latere clavatum; segmento 1 parte antica plus minus tumidiuscula, latitudine longiore, petiolo duplo latiore, ejus autem longitudine; segmentis ultimis mari interdum ventre badiis. *Aculeus* dimidio abdomine paulo brevior.

Mares duos cepi die 26 Maji prope *Gottingam* in fruticeto, tertium *Roentgen* cepit circa *Niesky*. Feminam *genuensem a Spinola* mecum communicavit.

44. C. MAURUS. n.

Abdomine subcompresso. Pedibus fulvis, coxis et trochanteribus anterioribus flavis, posticis nigris. m.

Statura, proportione partium, colore antennarum et pedum, haec species medium tenet inter *consumtorem*, n. 43, *difformem*, n. 1 et *majalem*, n. 4.

Longitudo 2½ linearum. *Caput* palpis et mandibulis flavis. *Antennae* fere corporis longitudine, apicem versus subgraciles, articulo 1 subtus apice pallide-testaceo. *Thorax* gibbus. *Alae* subhyalinae, stigmate et radio piceis, radice et squamula pallide-flavis; areola irregulari sessili subquinqueangulari. *Pedes* mediocres fulvi; coxis et trochanteribus anterioribus pallide-flavis, posticis nigris, apice trochanterum flavo; tarsis posticis

apice articulorum fusco. *Abdomen* sicut in specie antecedente.

Marem unicum, in *Austria* captum, *Dahl* transmisit.

45. C. FAUNUS.

Abdomine subcompresso; pedibus rufis, trochanteribus posticis coxisque nigris. f. (aculeo dimidio abdomine longiore).

Statura et proportio partium *C. difformis*, n. 1, feminae.

Longitudo 2¼ linearum. *Caput* palpis et mandibulis stramineis. *Antennae* subfiliformes, dimidio corpore longiores, apice curvatae, articulo 1 subtus sordide-albido. *Thorax* gibbulus. *Alae* mediocres hyalinae, stigmate et radio stramineis aut piceis, radice et squamula stramineis, areola regulari petiolata. *Pedes* mediocres rufi, coxis nigris; postici insuper trochanteribus nigris apice rufo, tarsis fuscis. *Aculeus* dimidio abdomine longior subsursumcurvatus.

Unicam cepi feminam, die 24 Iulii, prope *Helmstadium* in fruticeto.

46. C. MOLESTUS. n.

Abdomine subcompresso; pedibus fulvis, coxis nigris; pedum posticorum trochanteribus, basi femorum, tarsis et apice tibiarum, nigris. f. (aculeo dimidio abdomine paulo longiore).

Statura et proportio partium antecedentis; aculeo paulo breviore.

Longitudo 2 linearum. *Caput* palpis et mandibularum medio rufo-fulvis. *Antennae* filiformes, dimidio corpore paulo longiores, articulo 1 subtus exalbido. *Thorax* gibbulus. *Alae* subfumato-hyalinae, stigmate et radio piceostramineis, radice et squamula flavis; areola triangulari irregulari petiolata. *Pedes* rufi; coxis et trochanteribus nigris, horum anticis apice rufis; femoribus posterioribus basi nigris; tarsis posticis nec non tibiarum posticarum apice fuscis. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius, thoracis latitudine; segmento 1 parte antica convexa subquadrata, breviore et fere plus duplo latiore quam petiolus; 2 latitudine longitudinis, basin versus sensim angustato; sequentibus transversis. *Aculeus* dimidio abdomine paulo longior, sursum-curvatus.

Feminam unicam, in *Regione pedemontana* captam, *Bonelli* mecum communicavit.

Varietas:

1. *Segmento secundo margine ferrugineo.* f. — *Pedes* fulvi; anteriores coxis basi nigris; postici

coxis et trochanteribus nigris, macula basali femorum, tibiarum apice, tarsisque nigricantibus. *Abdomen* segmento 2 nigro-fusco, margine ferrugineo. *Aculeus* longitudine dimidii abdominis. — Caetera sicut in femina genuina.

Unicam feminam cepi die 5 Augusti in umbellatis prope *Helmstadium.*

47. C. MACROCENTRUS. n.

Abdomine subcompresso; pedibus rufis, coxis nigris, trochanteribus flavis, femoribus posticis macula fusca, tibiis posticis fuscis basi summa albida. f. (aculeo longitudine abdominis).

Longitudo $2\frac{1}{3}$—$2\frac{1}{2}$ linearum. *Caput* thorace paulo latius, palpis et mandibulis flavis. *Antennae* graciles filiformes, dimidio corpore longiores, apice curvatae, articulo 1 subtus flavo. *Thorax* gibbulus. *Alae* mediocres hyalinae irideae, stigmate et radio piceis aut substramineis, radice et squamula albidis; areola irregulari petiolata, parva aut minuta. *Pedes* mediocres; coxis nigris, anticis apice flavis; trochanteribus flavis, posticis basi fuscis; femoribus posticis externe medio macula nigricante obsoleta; tibiis mediis interdum fusco-rufis, basi summa albida, posticis fuscis, medio subferrugineis, basi summa albida; tarsis anterioribus piceis, posticis fuscis. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, thorace angustius,

a latere clavatum, dorso fusiforme; segmento 1 parte antica latitudine longiore, haud tumidulo, longitudine petioli eoque latiore. *Aculeus* longitudine abdominis, sursum curvatus.

Unam feminam *genuensem a Spinola* ad me transmisit, alteram, *berolinensem*, vidi in museo *Klugii.*

Varietas:

1. *Coxis anticis stramineis, tibiis posticis fuscis, medio ferrugineis.* f. — *Alae* areola sinistra minuta, dextra vix conspicua. *Pedes* antici testacei, coxis et trochanteribus pallide-stramineis; medii coxis nigris, subtus ferrugineis, trochanteribus pallide-testaceis, femoribus tibiisque fuscescentibus, subtus rufo-ferrugineis, tarsis fuscis, subtus testaceis; postici rufo-ferruginei, coxis et trochanteribus nigris, femorum latere altero nec non tibiarum basi et apice nigricantibus, tarsis fuscis. *Aculeus* abdomine paulo brevior, terebra rufa. — Caetera feminae genuinae respondent.

Unicum individuum cepit *Richter* circa *Vratislaviam.*

48. C. TRANSFUGA. n.

Abdomine subcompresso; pedibus anterioribus fulvis, trochanteribus et coxis flavis; pedibus posticis rufis, coxis et trochanteribus, nec non femorum tibiarumque basi et apice nigris; areola nulla. m. f. (aculeo dimidio abdomine breviore).

Haec species, imprimis femina, ab omnibus speciebus confinibus differt *statura* graciliore, nec non defectu cellulae cubitalis intermediae.

Longitudo maris $1\frac{1}{2}$ — 2, feminae 2 — $2\frac{1}{2}$ linearum. *Caput* facie plus minus argenteo-sericea, palpis mandibulisque flavis. *Antennae* filiformes graciles curvatae, dimidio corpore parum longiores, articulo 1 subtus exalbido aut testaceo. *Thorax* gibbulus. *Alae* hyalinae irideae, stigmate et radio fuscis aut piceis, radice et squamula flavis aut albidis. *Pedes* mediocres, anteriores fulvi, coxis et trochanteribus pallide-flavis; postici coxis et trochanteribus nigris, his apice flavicante; femoribus rufis aut castaneis, basi apiceque nigris, interdum latere externo fere toto fusco, tibiis rufis, basi et apice nigricantibus, rarius fuscis, medio piceotestaceis, tarsis fuscis. *Abdomen maris* capitis thoracisque longitudine, rarissime paulo longius, thorace angustius, dorso subfusiforme, rarius cylindricum, a latere clavatum; segmento 1 petiolo longo tenui lineari, angustiore et fere duplo longiore quam pars antica, hac tumidiuscula ovata; 2

latitudine paulo longiore, apicem versus sensim latiore; *feminae* capite thoraceque paulo longius et angustius, clavatum, rarius subcylindricum segmentis 2—6 aequilatis; segmento 1 ut plurimum sicut in mare, rarius parte antica suborbiculata et duplo latiore quam petiolus; 2 subcylindrico aut basin versus sensim angustato, latitudine saltem duplo, plerumque autem triplo, longiore; sequentibus sensim brevioribus. *Aculeus* abdomine dimidio brevior.

Mares feminasque plures, circa *Warmbrunn* captos, *Manger* mecum communicavit.

49. C. CHRYSOSTICTUS.

Abdomine subcompresso, macula laterali castanea; pedibus stramineis, femoribus rufis, coxis posterioribus nigris, tibiis posticis apice et ante basin fuscis. m. f. (aculeo longitudine dimidii abdominis).

Statura et proportio partium omnino *Camp. majalis*, n. 4 (de quo conferas notam, huic speciei subjunctam).

Longitudo $1\frac{2}{3}$ — 3 linearum. *Caput* facie argenteo-subvillosa; oculis vita viridi-nitentibus; palpis et mandibularum medio flavis. *Antennae* corpore breviores, apicem versus subgraciliores; articulo 1 subtus albido aut ferrugineo, rarius obsolete-pallido. *Thorax* gibbulus aut gibbulo-cylindricus. *Alae* mediocres hyalinae, stigmate et

radio fuscis aut piceis, radice et squamula pallide-flavis; areola vel suborbiculata irregulari subpetiolata, vel subregulari petiolata. *Pedes* subgraciles; coxis anticis flavis, mediis nigris, plerumque subtus flavoferrugineis, posticis totis nigris; trochanteribus flavis, posticis basi nigra; femoribus fulvis, posticis rufofulvis aut rufis, interdum geniculo fusco; tibiis pallidioribus, interdum subalbidis, posticis, rarius quoque mediis, apice et ante basin nigro-fuscis; tarsis posticis fuscescentibus. *Abdomen* maris capite thoraceque paulo longius, feminae paulo brevius et paulo crassius quam mari; segmento 3, interdum etiam 4, macula laterali badia, nonnunquam subobsoleta. *Aculeus* longitudine dimidii abdominis, subsursum-curvatus.

Mares feminasque plures *Nees ab Esenbeck* educavit e larvis *Papilionis urticae;* ego ipse plures cepi *Vratislaviae,* in plantis, ante fenestras positis, mensibus Iunii et Iulii, mares ibidem versus finem Octobris; praeterea marem cepi, mense Iunii, circa *Brunsuigam;* feminaeque nonnullae, circa *Gottingam* et *Warmbrunn* lectae, mecum communicatae sunt.

Varietates:

1. *Coxis omnibus nigris.* m. f. — *Longitudo* maris 3, feminae 2 linearum. *Antennae* articulo primo subtus feminae toto stramineo, mari puncto stramineo. *Abdomen* segmento 3 macula laterali

badia. *Coxae* anticae nigrae, subtus flavae. — Caetera sicut in specie genuina.

Marem, in *Etruria* captum, *a Sanvitale* mecum communicavit; feminam *ungaricam* debeo *Comiti de Küenburg*.

2. *Coxis mediis et anticis flavis.* m. f. — *Coxae* anteriores flavae, mediae plerumque basi nigricante. *Abdomen* segmento 3, vel 3 et 4, rarius quoque 2, macula laterali castanea, rarius rufofulva. — *Caetera* sicut in specie genuina.

Mas et femina provenerunt *Neeseo ab Esenbeck*, cum genuinis, e larvis *Papilionis urticae*; a me autem, cum genuinis, in plantis, ante fenestras positis, *Vratislaviae* et *Trajecti ad Viadrum*, lecti sunt, mares tamen feminis multo frequentiores. Praeterea mares plures, circa *Warmbrunn, Berolinum, Gottingam, Brunsvigam, Norimbergam, Niesky, Genuam* et *Aboam* lecti, ad me transmissi sunt.

3. *Abdomine toto nigro.* m. f. — *Coxae* anteriores maris nigrae, subtus flavae; feminae fere totae flavae, seu mediae nigrae, subtus testaceae. — Caetera sicut in specie genuina.

Marem descripsi e museo *Klugii*. Feminae nonnullae, circa *Warmbrunn* et *Vindobonam* lectae, mihi missae sunt.

4. *Abdomine toto nigro, coxis anterioribus flavis.* m. f. — *Coxae* mediae flavae aut rufescen-

tes, interdum basi nigra. — Caetera speciei genuinae respondent.

Unum marem cepi, cum varietate 2, in floribus, ante fenestras positis, *Trajecti ad Viadrum;* alterum, circa *Parmam* captum, *a Sanvitale* mecum communicavit. Feminam *Manger* cepit circa *Warmbrunn.*

Synonyma:

Ichn. chrysostictus Gmel. ed. Linn. p. 2721, n. 407 (optime ad varietatem 2 quadrat).

Nota:

De affinitate inter hanc speciem et *majalem*, n. 4, conferas notam ad *majalem.* Forsan ambae species cum *ensatore* conjungi deberent, nam individua genuina *chrysosticti,* ejusque varietas 1, tam in *majalem* quam in *ensatorem* transire videntur. *Chrysostictus* ut plurimum illis duobus paulo minor est; *majalis* tibiis posticis apice et ante basin obsoletius fuscis, differt; *ensatoris* femina aculeo breviore distincta est. Varietas 2 *chrysosticti* etiam pro varietate minore *armillati* haberi posset.

SECTIO III.

Abdomine rufo-nigroque; antennarum articulo primo subtus pallido.

Abdomen plerisque basi et apice nigrum est, medio rufum aut rufo-cingulatum, cingulis ipsis interdum fuscescentibus. Rarius segmenta omnia margine fusco-rufescunt. *Camp. crassiusculus,* abdomine fere toto nigro, solo segmento 2 rufo-marginato, hanc sectionem cum *sectione 2* connectit. Aliae species (*Camp. multicinctus, gastroides,* femina *fulviventris*), articulo 1 antennarum obscuriore aut toto nigro, transeunt ad *sectionem* 4.

In *sectione 2* species inveniuntur, segmentis quibusdam rufo-maculatis aut marginatis (*Camp. bimaculatus, armillatus, varipes, consumtor, chrysostictus, molestus*), aut abdomine fere toto fuscoferrugineo (*Camp. psilopterus*); in *sectione* 4 mas *notati* variat interdum antennarum articulis 1 et 2 subtus ferrugineis. Hae species nexum exhibent inter sectiones illas et tertiam.

---

50. C. BICINGULATUS. n.

Abdomine subcompresso, segmentis intermediis rufo-marginatis; pedibus flavis, coxis posticis nigris, femoribus fulvis, tibiis posticis albidis, basi apiceque nigris. m. f. (aculeo subexserto).

Statura et proportio partium *latratoris;* aculeo autem multo breviore.

Longitudo 2—2⅓ linearum. *Caput* palpis et mandibularum medio flavis. *Antennae* corpore breviores, apicem versus curvatae graciliores; articulo 1 subtus albente. *Thorax* gibbulus. *Alae* mediocres, hyalinae aut subhyalinae, stigmate et radio fuscis aut piceis, radice et squamula flavescentibus; areola irregulari subtriangulari, petiolata aut subpetiolata, interdum minuta. *Pedes* mediocres, coxis anterioribus flavis aut subfulvis, posticis nigris, mari interdum subtus fulvis; trochanteribus pallide-flavis, posticis interdum basi nigra; femoribus fulvis, interdum geniculo nigro; tibiis pallidioribus, posticis albidis, basi apiceque nigris; tarsis pallidis, posticis subfuscis articuli 1 basi albicante. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, thorace angustius, dorso fusiformi-cylindricum, a latere clavatum; segmento 1 parte antica tumidiuscula, latitudine plus minus longiore, breviore et duplo latiore quam petiolus; rarius segmento 2 solo margine castaneo, plerumque seg-

mentis 2 et 3 rufo-marginatis. *Aculeus* vix subexsertus, subsursumcurvatus.

Par hujus speciei cepi die 25 Augusti, in fruticeto, prope *Grohnde;* praeterea feminas duas mensibus Maji et Iunii circa *Gottingam* et in *Hercynia;* unam *Hegewisch* cepit circa *Hannoveram.* Mas *pedemontanus,* a *Bonellio* transmissus, a reliquis individuis differt, segmento 2 solo castaneo-marginato; mas, a me ipso captus, coxis posticis subtus fulvis, a reliquis individuis discedit.

Varietas.

1. *Femoribus posticis fuscis.* — *Pedes* anteriores fulvi, trochanteribus flavis, coxis nigris, subtus rufofulvis; postici coxis nigris, trochanteribus flavis, femoribus fuscis, introrsum castaneis, tibiis albido-testaceis, apice et ante basin nigricantibus, tarsis nigricantibus. *Abdomen* segmento 2 solo castaneo-marginato; nec aculeo nec stylo anali alio exserto.

Unicum individuum vidi in museo *Klugii.*

51. C. DORSALIS. n.

Abdomine subcompresso, segmentis 2 et 3 dorso castaneis; pedibus rufis; areola nulla. m.

Statura et proportio partium maris sequentis; defectu areolae autem differt.

Longitudo $2\frac{1}{2}$ linearum. *Caput* argenteo-sericeum, mandibulis et palpis rufis. *Antennae*

fuscae, articulo 1 subtus testaceo. *Thorax* argenteo-sericeus. *Alae* subhyalinae irideae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula pallide-testaceis. *Pedes* toti rufi. *Abdomen* segmento 1 margine castaneo; 2 castaneo, basi et lateribus nigricantibus; 3 castaneo, margine nigricante.

Marem unicum cepit *Richter* circa *Vratislaviam.*

52. C. UNICINCTUS. n.

Abdomine subcompresso, segmento secundo rufomarginato; pedibus fulvis, femoribus posticis apice nigris, tibiis posticis albidis apice nigro. m. f. (aculeo longitudine trientis abdominis).

Longitudo 3 linearum. *Caput* subargenteo-sericeum, palpis et mandibularum medio flavis. *Antennae* corpore breviores, apicem versus tenuiores curvatae; articulis 1 et 2 subtus flavis aut fulvis. *Thorax* gibbus. *Alae* mediocres hyalinae, stigmate et radio mari nigrofuscis, feminae piceofuscis, radice et squamula flavis; areola minuta petiolata. *Pedes* mediocres fulvorufi; anteriores feminae trochanteribus, interdum quoque latere altero tibiarum, flavis; postici geniculis nigris, tibiis albidis aut flavis, basi rufa aut ferruginea, apice nigro, tarsis maris nigricantibus, feminae vel totis rufis vel fulvis basi flavescente. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius et paulo an-

gustius, dorso fusiforme, a latere clavatum; segmento 1 parte antica subquadrata, feminae latitudine paulo longiore, paulo breviore at fere triplo latiore quam petiolus; *mari* segmenti primi parte antica rufa, segmento 2 rufo basi nigra, 3 nigro macula laterali castanea, sequentibus nigris subsericeis; *feminae* segmento 2 rufomarginato, interdum quoque segmenti 1 margine summo rufo. *Aculeus* longitudine trientis abdominis, terebra diluterufa.

Marem circa *Helmstadium* cepi; duae feminae, circa *Norimbergam*, et in horto prope *Berolinum* captae, mecum communicatae sunt.

53. C. TRICINCTUS. n.

Abdomine subcompresso, segmentis 1—3 rufomarginatis; pedibus anterioribus testaceis, femoribus fulvis, pedibus posticis nigris, femoribus rufis, tibiis medio albis. m?

Statura et proportio partium maris antecedentis, petiolo tamen breviore et crassiore.

Longitudo 3 linearum. *Caput* palpis et mandibulis albido-testaceis. *Antennae* fuscoferrugineae, apicem versus ferrugineae, articulo 1 subtus albotestaceo. *Alae* fumato-hyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula pallideflavis; areola irregulari subpetiolata. *Pedes* anteriores albido-straminei, femoribus nec non apice tibiarum mediarum fulvis; postici coxis nigris, tro-

chanteribus rufis basi nigra, femoribus rufis geniculo summo nigricante, tibiis albidis, apice et summa basi nigris, tarsis nigris. *Abdomen* segmentis 1 et 2 rufo-marginatis, 3 rufo, macula dorsali nigra ad basin, 4 nigro obscuro-castaneo-nebuloso; reliquis nigris. *Stylus* analis subexsertus obtusiusculus (genitale masculum?).

Unicum individuum *Manger* cepit circa *Warmbrunn*.

54. C. CRASSIUSCULUS. n.

Abdomine subcompresso, segmento secundo rufomarginato; pedibus anterioribus fulvis, posticorum coxis nigris, femoribus rufis apice nigro, tibiis tarsisque albidis; nigromaculatis.

A reliquis hujus sectionis speciebus, imprimis a *C. unicincto*, n. 52, cui pictura magis respondet, haec differt abdomine et segmenti primi parte antica brevioribus atque latioribus, stigmate alarum paulo majore, quo tantum *Camp. melanostictus*, n. 61, hanc speciem excedit.

Longitudo 2⅓ linearum. *Corpus* totum subgriseosericeum. *Caput* palpis et mandibulis flavis. *Antennae* dimidio corpore longiores, apice curvatae, articulis 1 et 2 subtus flavis. *Thorax* gibbus. *Alae* subfumato-hyalinae, radio et stigmate fusco-piceis, radice et squamula flavis; areola minutissima petiolata. *Pedes* anteriores dilute-fulvi, trochanteribus albidis; postici coxis nigris, trochan-

teribus exalbidis basi nigra, femoribus rufis supra fuscescentibus, apice nigro, tibiis albis, basi et apice nigris, spinis albis, tarsis fuscis basi albida. *Abdomen* capitis et thoracis longitudine et latitudine, oblongoovatum, apice subcompressum, nigrum, segmento 2 margine rufo; segmento 1 parte antica subtumida suborbiculata, paulo breviore et plus duplo latiore quam petiolus. *Stylus* analis vix subexsertus, oblique erectus, niger (aculeus aut genitale masculum).

Individuum unicum natum est *Hartliebio* e folliculo subcylindrico, 2½ lineas longo, 1 lineam lato, membranaceo scabriculo sordide-albido, extremitatibus et cingulo passim interrupto ante extremitatem singulam nigris.

55. C. MESOZOSTUS. n.

Abdomine subcompresso; segmentis 2 et 3 margine, 4 toto, rufo-castaneis; pedibus rufis, coxis nigris, trochanteribus anterioribus flavis, posticis nigris, tibiis femoribusque posticis apice nigro. m.

A speciebus confinibus hujus sectionis haec differt petiolo longiore et tenuiore, quo tamen cum sequente congruit.

Longitudo 3—4 linearum. *Caput* palpis et mandibulis albido-stramineis. *Antennae* dimidio corpore paulo longiores, apicem versus graciliores curvatae, articulo 1 subtus exalbido. *Thorax*

gibbulus. *Alae* mediocres subhyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula pallide-stramineis; areola subregulari, subpetiolata aut petiolata. *Pedes* mediocres rufi, coxis nigris; anteriores trochanteribus flavis; postici trochanteribus nigris apice rufo, femorum summo apice, interdum quoque summa basi, nigro, tibiis apice et ante basin fuscescentibus aut nigris, basi ipsa exalbida, tarsis nigris. *Abdomen* capite thoraceque longius et angustius, dorso subcylindricum, a latere elongato-clavatum; segmento 1 petiolo duplo longiore at fere dimidio angustiore quam pars antica, hac latitudine paulo longiore; 2 margine castaneo, interdum medio interrupto; 3 basi nigro, apice castaneo; 4 castaneo.

Mares nonnullos, circa *Genuam* lectos, *a Spinola* mihi misit.

56. C. SPURIUS. n.

Abdomine subcompresso, segmento secundo rufo-marginato; pedibus anterioribus stramineis, femoribus fulvis; pedum posticorum coxis et trochanterum basi nigris, femoribus rufis; tibiis albidis, apice et ante basin fuscis. m.

Statura et proportio partium antecedentis, abdomine paululum breviore, petiolo autem fere paulo longiore.

Longitudo $3\frac{1}{4}$ linearum. *Caput* facie sericea, mandibulis et palpis flavis. *Antennae* articulo 1

subtus flavo. *Thorax* subsericeus. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate piceo-stramineo, radio piceo, radice et squamula albido-flavis; areola irregulari subpetiolata, nervo exteriore tenui. *Pedes* anteriores pallide-straminei, femoribus pallide-fulvis; postici coxis nigris, trochanteribus pallide-flavis basi nigricante, femoribus rufis puncto basali nigro, tibiis albido-stramineis, apice et semiannulo ante basin fuscis, tarsis fuscis. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius, thoracis dimidii latitudine, sublineari-fusiforme, apicem versus compressiusculum; segmento 1 petiolo longo tenui, parte antica latitudine paulo longiore, fere duplo latiore at dimidio breviore quam petiolus; 2 dorso subbadio, margine dilute-rufo.

Unicum marem *pedemontanum Bonelli* mecum communicavit.

57. C. MULTICINCTUS. n.

Abdomine subcompresso, segmentorum macula seu margine laterali rufo; pedibus rufis, coxis nigris, tibiis posticis fuscis, medio luteis, trochanteribus anterioribus flavis, femoribus posticis plerumque fuscomaculatis. m. f. (aculeo dimidio abdomine longiore).

Longitudo maris 2, feminae $2\frac{1}{3}$—$2\frac{1}{2}$ linearum. *Caput* palpis et mandibularum medio flavis. *Antennae* filiformes, mari corpore breviores, feminae longitudine dimidii corporis seu paulo longiores; articulo 1 subtus exalbido aut piceo. *Thorax*

gibbulus. *Alae* mediocres subfumato-hyalinae; stigmate et radio stramineis aut piceo-stramineis, mari obscurioribus, radice et squamula flavis; areola irregulari petiolata, mari interdum subsessili aut subnulla, nervo exteriore obsoletissimo. *Pedes* mediocres, anteriores rufi aut fulvi, mari dilutiores, coxis nigris, trochanteribus flavis, femoribus mediis ut plurimum externe plus minus fuscis; postici trochanteribus et coxis nigris, illis summo apice flavo, femoribus plerumque plus minus nigrofuscis, apicem versus testaceis aut rufis, feminae rarius totis rufis, tibiis nigris medio testaceo aut exalbido, tarsis testaceofuscescentibus aut fuscis. *Abdomen maris* capite thoraceque parum longius, dimidii thoracis latitudine, dorso lineari-cylindricum, a latere clavatum; segmento 1 parte antica tumidiuscula ovata, latiore et breviore quam petiolus; segmento 2 summo margine castaneo; segmentis 4—7 ventre subrufo-marginatis; *feminae* capitis thoracisque longitudine seu paulo longius, thorace parum angustius, fusiforme, apicem versus compresso-ventricosum; segmento 1 parte antica subglobosa, breviore et duplo latiore quam petiolus, interdum margine rufescente; segmentis 2—7 testaceo- aut subrufo-marginatis, 3—7 etiam lateribus, ventrem versus, rufis. *Aculeus* dimidio abdomine longior sursumcurvatus.

Mares nonnullos cepi, mense Augusti, in umbellatis circa *Cudovam;* eodem mense *Nees ab Esenbeck* quasdam feminas legit in umbellatis circa *Sickershausen.*

Nota:

Mas statura et proportione partium convenit cum *C. arvensi*, n. 20, et *chrysosticto*, n. 49, alis autem est angustioribus et brevioribus; differt praeterea ab *arvensi*, trochanteribus anterioribus flavis, a *chrysosticto*, femoribus nigromaculatis, mediumque tenet inter ambos; statura tamen paulo graciliore magis respondet *chrysosticto*.

58. C. MACULATUS. n.

Abdomine subcompresso; segmentis 3—6 castaneis macula dorsali nigra; pedibus rufis, coxis posterioribus nigris, tibiis posterioribus apice et ante basin fuscis. f. (aculeo dimidio abdomine longiore).

Statura et proportio partium feminae antecedentis; corpore toto autem paulo crassiore, segmenti primi petiolo paulo breviore et crassiore, parte antica minus convexa canaliculata, differt. *Longitudo* 3 linearum. *Caput* palpis et mandibulis flavis. *Antennae* articulo 1 subtus testaceo. *Alae* subhyalinae irideae, stigmate stramineo, radio piceo, radice et squamula pallide-flavis; areola irregulari petiolata. *Pedes* coxis anticis pallide-stramineis, mediis nigris puncto apicali testaceo, posticis nigris; trochanteribus stramineis, posticis basi nigra; femoribus rufis, anticis dilutioribus, posticis geniculo nigricante; tibiis pallide-testaceis, mediis apice et ante basin ob-

solete-fuscescentibus, posticis apice et ante basin fuscis, basi ipsa exalbida; tarsis anticis pallide-testaceis, posterioribus fuscis basi pallide-testacea. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, thorace angustius, dorso subcylindricum, a latere clavatum; segmento 1 parte antica ovata, longitudine petioli, eo autem duplo latiore, linea longitudinali canaliculata; 2 margine badio, medio interrupto; 3 castaneo, basi et macula dorsali nigris; sequentibus castaneis, 4—6 macula dorsali orbiculata nigra. *Aculeus* dimidio abdomine longior, sursum-curvatus.

Feminam unicam, circa *Florentiam* captam, *a Sanvitale* ad me transmisit.

59. C. ALTERNANS. n.

Abdomine subcompresso, segmentis 2—5 apice rufis; pedibus testaceis, coxis posticis nigris. f. (aculeo subexserto).

Longitudo 2 linearum. *Caput* palpis et mandibulis stramineis. *Antennae* filiformes, corpore parum breviores, graciles, fuscae, articulo 1 subtus pallide-testaceo. *Thorax* subcylindrico-gibbulus. *Alae* subhyalinae irideae, stigmate stramineo, radio piceo, radice et squamula pallide-flavis; areola subirregulari subquinqueangulari. *Pedes* testaceo-fulvi; coxis stramineis, posticis nigris; trochanteribus stramineis; tibiis posticis apice et ante basin obsoletissimefuscis. *Abdomen*

capitis thoracisque longitudine, thorace paulo angustius, subcylindricum, apice subcompressum; segmento 1 parte antica subquadrata, paulo breviore et paulo latiore quam petiolus; 2—4 apice rufis; 5 rufo, dorso basi nigro; 6 et 7 ventrem versus rufis. *Aculeus* subexsertus subsursum-curvatus.

Hanc feminam *Manger* cepit circa *Warmbrunn.*

60. C. GASTROIDES. n.

Abdomine subcompresso, lateribus rufis; pedibus anterioribus fulvis, coxis nigris; tibiis posticis medio testaceis. f. (aculeo longitudine dimidii abdominis).

Statura et proportio partium *C. multicincti*, n. 57; areola autem sessili.

Longitudo 1½ linearum. *Caput* palpis et mandibularum medio flavo-stramineis *Antennae* corpore breviores, filiformes porrectae; articulo 1 subtus subpallido. *Thorax* gibbulus. *Alae* mediocres hyalinae, stigmate et radio fusco-piceis, radice et squamula albidis; areola irregulari subpetiolata. *Pedes* subgraciles; anteriores fulvi, trochanteribus pallidioribus, coxis nigris; postici nigri, trochanterum apice fulvo, tibiis albido-fulvis, apice et annulo ante basin nigricantibus, tarsis fuscis, articuli 1 basi albicante. *Abdomen* seg-

mentis 3—7 ventre et lateribus rufis. *Aculeus* vix dimidio abdomine paulo longior, subsursum-curvatus.

Unicam feminam cepi die 3 Iunii *Barterodae* in fruteto.

61. C. MELANOSTICTUS. n.

Abdomine subcompresso rufo, nigro-maculato; pedibus anterioribus fulvis, coxis nigris, posticis nigris, medio et basi tibiarum testaceis. f. (aculeo dimidio abdomine breviore).

A reliquis hujus sectionis speciebus haec differt stigmate alarum majore; a sequente, cui colore pedum respondet, insuper aculeo longiore etc.

Longitudo 2 linearum. *Caput* argenteo-sericeum, palpis et mandibulis flavis. *Antennae* filiformes, dimidio corpore paulo longiores, apice curvatae, articulo 1 subtus rufo. *Thorax* gibbulo-cylindricus, griseosericeus. *Alae* fumato-hyalinae irideae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula flavis; areola petiolata subregulari. *Pedes* anteriores fulvi, coxis nigris, tibiis mediis apice nigro; postici nigri, tibiis medio testaceis, basi summa albidis, tarsis fuscis. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius et angustius, apicem versus compresso-ventricosum; segmento 1 parte antica rufa, subtumida, latitudine longiore, duplo latiore quam petiolus niger, hujus autem longitu-

dine; segmentis sequentibus rufis, 4—7 puncto dorsali nigricante. *Aculeus* fere abdominis trientis longitudine, fuscus, terebra ferruginea.

Feminam cepi, mense Augusti, circa *Salzbrunn* in fruticeto.

62. C. FULVIVENTRIS.

Abdomine subcompresso, medio rufo; pedibus anterioribus rufis; posticis nigris, tibiis rufis apice nigro. m. f. (*mas* coxis anterioribus flavis, segmentis 3 et 4 rufis basi nigra; *femina* coxis anterioribus nigris, segmentis 3 et 4 totis rufis; aculeo brevissimo).

Statura et proportio partium omnino *longipedis*, n. 65.

Longitudo 3—3½ linearum. *Caput* facie, praecipue mari, argenteo-sericea; palpis et mandibularum medio flavis. *Antennae* feminae dimidio corpore paulo longiores, apicem versus subgraciles curvatae, mari filiformes et paulo longiores quam feminae; articulo 1 subtus flavo, 2—4 nigris, sequentibus feminae plerumque subtus fusco-ferrugineis. *Thorax* gibbulus, argenteo-sericeus, praecipue mari. *Alae* mediocres, hyalinae seu subfumatohyalinae, stigmate et radio piceo-stramineis, radice et squamula flavescentibus; areola irregulari, mari sessili, feminae subsessili aut subpetiolata. *Pedes* mediocres; anteriores mari fulvi, feminae rufi, coxis maris flavis, feminae vel totis nigris vel apice flavis, trochante-

ribus flavis; postici nigri, trochanteribus apice flavis, tibiis rufis apice nigro, femoribus maris introrsum castaneorufis, tarsis fuscis articulo 1 basi pallido. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, mari apicem versus vix subcompressum, suboblongoovatum, feminae apicem versus compresso-ventricosum; segmento 2 rarius margine rufo; 3 et 4 rufis, mari basi nigra; 5 feminae vel toto vel basi rufo. *Aculeus* vix exsertus, interdum prorsus absconditus.

Marem nonnullasque feminas *Roentgen* legit, mense Iunio, in *Hercynia;* aliae quaedam feminae, circa *Gottingam* et *Vratislaviam* captae, mecum communicatae sunt.

Synonyma:

Ichn. fulviventris Gmel. ed. Linn. p. 2704, n. 319.

63. C. PUMILIO. n.

Abdomine subcompresso, rufo, basi nigro; pedibus rufis, coxis nigris. m.

Longitudo 2—2½ linearum. *Caput* subsericeum, palpis mandibulisque fuscis. *Antennae* filiformes, dimidio corpore paulo longiores, fuscae, seu ferrugineae apicem versus fuscae; articulis 1 et 2 subtus stramineis aut testaceis. *Thorax* subsericeus, gibbulus. *Alae* vix mediocres, subhyalinae, irideae, stigmate et radio piceis aut

piceofuscis, radice et squamula pallide-flavis; areola irregulari petiolata. *Pedes* mediocres rufi, coxis nigris, trochanteribus pallidioribus; femoribus posticis interdum basi fuscis. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius et angustius, dorso subcylindricum, a latere clavatum; segmento 1 nigro, parte antica haud tumida, subquadrata aut latitudine paulo longiore, duplo latiore et paulo breviore quam petiolus; 2 vel nigro, apice castaneo aut rufo, vel rufo maculis duabus baseos fuscis; sequentibus rufis, 5—7 interdum dorso fuscis.

Individuum unum vidi in museo *Klugii, Berolini;* alterum *Manger* cepit circa *Warmbrunn,* idque minus, parte antica segmenti primi subquadrata, segmentis 5—7 dorso fuscis, femoribus posticis totis rufis, medium tenens inter hanc speciem et sequentem.

Varietas?

1. *Abdomine nigrofusco, lateribus rufis.* f. — *Longitudo* 2 linearum. *Caput* palpis albis, mandibulis fulvis. *Antennae* fuscae, articulo 1 subtus fulvo. *Pedes* trochanteribus posticis nigris apice fulvo, femoribus posticis totis rufis. *Abdomen* capite thoraceque vix paulo longius, thorace angustius, dorso cylindrico-fusiforme, a latere ventricoso-compressum; segmento 1 parte antica latitudine paulo longiore, paulo breviore et fere duplo latiore quam petiolus; segmento 2 apice, 3 basi, superne badiis, 2—5 lateribus castaneis,

sensim obscurioribus. *Aculeus* vix subexsertus, subsursumcurvatus.

Unicam feminam *Richter* cepit circa *Vratislaviam*.

64. C. ARGENTATUS. n.

Abdomine subcompresso, segmentis 3—7 pro parte rufis; pedibus rufis, coxis anterioribus flavis, tibiis posticis apice et ante basin fuscis; facie et pectore argenteo-sericantibus. f. (aculeo brevissimo).

Statura et proportio partium *bicingulati*, n. 50.

Longitudo 2½—2¾ linearum. *Caput* facie argenteo-sericea, palpis et mandibularum medio flavis. *Antennae* subfiliformes, dimidio corpore longiores, articulo 1 subtus flavo. *Thorax* gibbulus, subargenteo-sericeus. *Alae* mediocres subfumato-hyalinae, stigmate et radio piceis, radice et squamula flavis; areola subregulari aut irregulari, sessili aut subpetiolata. *Pedes* subgraciles, rufi aut fulvi; coxis anterioribus flavis; trochanteribus flavis, posticis nigris apice flavescente; tibiis posticis apice et ante basin fuscis, basi summa pallescente; tarsis posticis nigro-fuscis, articuli 1 basi pallida. *Abdomen* segmento 2 margine rufo; 3 rufo, macula dorsali baseos nigra; sequentibus vel rufis, dorso macula basali nigra, vel nigris, ventrem versus rufis. *Aculeus* vix subexsertus subsursumcurvatus.

Unam feminam *Manger* cepit circa *Warmbrunn*, alteram *Klug* circa *Berolinum*.

Varietates:

1. *Coxis omnibus nigris*. f. — *Abdomen* segmentis 4—7 rufis, dorso linea longitudinali lata nigra. — Caetera sicut in femina genuina.

Unicam feminam cepi die 2 Iulii circa *Oedelem*.

2. *Abdomine nigro, segmentis 3—5 castaneo-maculatis*. m. — *Statura* et proportio partium feminae genuinae, corpore toto tamen paulo graciliore. — *Longitudo* 2—2⅓ linearum. *Alae* stigmate et radio fuscis. *Pedes postici* trochanteribus testaceis aut flavis, tarsis fuscis, articulo 1 interdum rufo. *Abdomen* segmentis 3—5 lateribus, 3 insuper margine, castaneis.

Unum marem *Manger* cepit circa *Warmbrunn*; alterum, eumque minorem, tarsis posticis totis fuscis, circa *Halam Saxonum* captum, *Germar* misit.

3. *Abdomine rufo, basi nigro*. f. — *Abdomen* segmentis 1 et 2 nigris, 2 margine rufo; 3 rufo, macula dorsali baseos nigra; reliquis totis rufis. — Caetera sicut in femina genuina.

Hanc *Manger* cepit circa *Warmbrunn*.

4. *Abdominis medio toto rufo*. f. — *Antennae* parum breviores quam feminae genuinae. *Alae* stigmate stramineo aut piceo; areola petio-

lata. *Pedes* coxis anterioribus interdum nigris, subtus testaceo-rufis; trochanteribus posticis vel nigris, apice stramineo, vel flavescentibus, basi rufa, femoribus posticis interdum summa basi nigra, tibiis posticis rufis, summo apice nigro, summa basi plus minus pallide-straminea. *Abdomen* segmento 1 interdum margine summo castaneo; 2 nigro, margine rufo; 3—5 rufis, 3 summa basi nigra, 5 interdum dorso fusco; reliquis nigris. — Caetera sicut in femina genuina.

Unam feminam *Manger* cepit circa *Warmbrunn*, alteram, eamque coxis et trochanteribus pallidioribus, segmento 1 toto nigro, 5 dorso fusco, *Richter* circa *Vratislaviam*.

5. *Abdominis medio tibiisque posticis totis rufis.* m. — *Alae* stigmate et radio fuscis. *Pedes* rufi; coxis anticis flavis, mediis nigris, subtus flavis, posticis totis nigris; trochanteribus flavis, posticis basi nigra. *Abdomen* segmento 2 margine badio, 3 et 4 rufis. — Caetera, aculeo excepto, feminae genuinae respondent.

Hunc marem *Richter* cepit circa *Vratislaviam*.

65. C. LONGIPES.

Abdomine subcompresso, medio rufo; pedibus rufis; coxis anterioribus flavis basi nigra, posticis nigris; tibiis posticis apice nigro, basi flava. m. f. (aculeo brevissimo).

Statura et proportio partium omnino *fulviventris*, n. 62; femina abdomine paulo longiore; mas vix a mare *fulviventris* distinctus.

Longitudo 2⅘—4 linearum. *Caput* argenteo-sericeum; palpis et mandibularum medio flavis. *Antennae* subgraciles curvatae, *feminae* dimidio corpore parum longiores, fuscae, subtus articulo primo flavo aut albido, 2—3—5—7 vel nigris vel fuscis, sequentibus ferrugineis aut fulvis; *mari* paulo longiores, articulo 1 subtus flavo, sequentibus vel totis fuscis vel subtus fuscoferrugineis sensim in colorem ferrugineorufum mutatis. *Thorax* gibbulus, subsericeus, pectore praesertim argenteo - sericeo. *Alae* mediocres hyalinae seu subfumatohyalinae, stigmate et radio stramineis aut fuscescentibus, radice et squamula flavis; areola subregulari aut irregulari, petiolata aut subpetiolata. *Pedes* mediocres; coxis anticis flavis seu stramineis, basi nigra, mediis vel flavis basi nigra, vel nigris apice flavo aut ferrugineo, posticis nigris; trochanteribus plerumque flavis, basi posticorum, interdum quoque mediorum, nigra, rarius posticis totis flavis aut totis nigris mediisque nigris apice ferrugineo; femoribus anterioribus

fulvis, rarius fulvoflavis, posticis rufis, ut plurimum geniculis nigris, rarius etiam summa basi nigra; tibiis anticis flavis aut fulvis, mediis vel sicut anticae, vel rufis, apice nigro, summa basi pallidiore, posticis rufis aut flavicantibus, apice nigro, basi pallida; tarsis anterioribus rufis aut subflavescentibus, mediis rarius fuscis, posticis rarius totis rufis nigrisve, plerumque fuscis totis aut basi articulorum rufa seu flava. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius, seu longitudine eorum, thorace paulo angustius, dorso sublineari-fusiforme, apice feminae compressum, mari subcompressum; segmento 1 parte antica plus minus tumida, interdum subglobosa, plerumque latitudine paulo longiore, breviore et duplo latiore quam petiolus gracilis; colore variabili: 1) segmento 1 apice plus minus rufo; 2 vel rufo basi nigra, vel nigro apice rufo; 3 et 4 rufis, 3 interdum macula dorsali baseos nigra; 5 vel toto nigro aut rufo, vel solo margine ventrali rufo; 6 et 7 interdum lateribus rufis. 2) Segmento 1 toto nigro; 2 apice plus minus rufo, interdum quoque margine laterali rufo; 3 et 4 rufis, uno alterove interdum macula dorsali baseos nigra; 5 et 6 interdum margine ventrali rufo. 3) segmentis 1 et 2 totis nigris; 3 rufo, macula dorsali baseos nigra; 4 et 5 rufis, 5 macula laterali fusca. *Aculeus* vix subexsertus, subsursum-curvatus, niger.

Mares et feminas, var. abd. 1, *Manger* cepit circa *Warmbrunn*, *Dahl* circa *Vindobonam*. Praeterea *Klug* marem cepit *Berolini*. Feminas duas

cepi mense Augusti, unam nempe in fruteto prope *Warmbrunn*, alteram, eamque omnium maximam, segmentis 3 — 5 totis rufis, in umbellatis prope *Grohnde;* quaedam aliae, circa *Vratislaviam* et *Sickershausen* lectae, mecum communicatae sunt. — Var. abd. 2 marem cepi in umbellatis circa *Cudovam*, mense Augusti, alterum *Manger* cepit circa *Warmbrunn*. Feminas duas cepi, mensibus Iulii et Augusti, in umbellatis circa *Grohnde;* unam *Klug* circa *Berolinum* cepit. — Var. abd. 3 unicam feminam cepi die 3 Septembris prope *Cudovam*.

Varietates:

1. *Abdominis medio rufo fuscomaculato.* m. f. *Abdomen* segmentis 1 et 2 rarius apice rufis; 3 rufo, macula dorsali majore minoreve fusca nigrave; 4 vel rufo, dorso aut fascia nigra, vel nigro, lateribus rufis. — Caetera sicut in plurimis maribus genuinis.

Marem unum cepi, cum femina genuina, mense Augusti, in fruticeto prope *Warmbrunn;* mares nonnullos feminamque *Manger* eodem loco legit.

2. *Coxis anterioribus totis flavis.*

3. *Coxis mediis totis nigris.*

4. *Tibiis posticis totis flavis aut rufis.*

Hae varietates 2, 3 et 4, cum individuis genuinis, quibus notis reliquis respondent, captae sunt.

Synonyma:

Ichneumon longipes Müll. Prod., n. 1847 (haud *I. longipes* Gmel ed. Linn. p. 2698, n. 262, aculeo abdomine longiore etc. distinctus).

Ichn. canescens Gmel. ed. Linn. p. 2703, n. 308.

66. C. BRACCATUS.

Abdomine subcompresso, segmentis 3—7 castaneis; pedibus anterioribus testaceis, coxis nigris; areola nulla.

Statura et proportio partium omnino *perfidi;* forsan mera ejus varietas articulo primo antennarum subtus albido. A cospeciebus confinibus sectionis tertiae haec species differt defectu areolae et abdomine angustiore, fere sicut in *pugillatore.*

Longitudo 2¾ linearum. *Caput* facie griseo-sericea, palpis et mandibulis flavis. *Antennae* articulo 1 subtus albido. *Thorax* griseo-sericeus, imprimis pectore. *Alae* subfumato-hyalinae, irideae, stigmate fusco, radio piceo, radice et squamula pallide-flavis. *Pedes* anteriores stramineo-fulvi, trochanteribus pallidioribus, coxis nigris, anticis subtus flavicantibus; postici coxis nigris, trochanteribus flavis basi superne ferruginea, femoribus nigro-fuscis, subtus ante apicem castaneis, tibiis nigro-fuscis, medio externe castaneo interne testaceo, spinis apicalibus pallide-testaceis, tarsis

fusco-nigris. *Abdomen* castaneum; segmentis 1 et 2 totis, 3 basi dorsali, nigris. — De sexu incertus sum.

Unicum individuum *Nees ab Esenbeck* circa *Sickershausen* cepit.

Synonyma:

Ichn. braccatus Gmel. ed. Linn. p. 2705, n. 326.

67. C. CRYPTOCENTRUS. n.

Abdomine compresso, medio castaneo; pedibus anterioribus fulvis, coxis pro parte nigris; pedibus posticis nigris, femoribus rufis, tibiarum medio et tarsorum basi testaceis. f. (aculeo brevissimo).

Statura et proportio partium omnino *longipedis*, n. 65, feminae; abdomine fere paululum breviore et crassiore.

Longitudo 3½ linearum. *Caput* argenteo-sericeum, palpis et mandibulis flavis. *Antennae* articulo 1 subtus flavo. *Thorax* argenteo-sericeus. *Alae* subhyalinae irideae amplae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula pallide-flavis; areola subirregulari subpetiolata. *Pedes* anteriores fulvi, tibiis tarsisque pallidioribus, trochanteribus flavis, coxis mediis nigris, anticis flavis basi nigra; postici coxis et trochanteribus nigris, his apice rufo, femoribus rufis, tibiis pallide-testaceis, basi apiceque fusco-nigris, tarsis fuscis,

articulis 1 et 2 pallide-fulvis apice fusco. *Abdomen* segmento 2 margine anteriore et laterali castaneo; 3 et 4 castaneis, 4 margine anteriore fuscescente. *Aculeus* vix subexsertus, subsursum-curvatus.

Individuum *pedemontanum* unicum *Bonelli* mecum communicavit.

68. C. SICARIUS. n.

Abdomine subcompresso, medio castaneo; pedibus rufis, trochanteribus et coxis nigris. f. (aculeo brevissimo).

Statura et proportio partium sicut in femina *longipedis*, n. 65, antennis tamen brevioribus.

Longitudo 3½ linearum. *Caput* subsericeum, palpis et mandibularum medio rufis. *Antennae* vix dimidii corporis longitudine, apicem versus sensim tenuiores, articulo 1 subtus rufo. *Thorax* sericeus. *Alae* subfumato-hyalinae irideae, stigmate stramineo, radio piceo, radice et squamula pallide-flavis; areola irregulari subpetiolata. *Pedes* rufi; coxis et trochanteribus nigris, horum anticis subtus rufis. *Abdomen* subsericeum; segmento 1 apice castaneo; 2—4 castaneis, 2 basi fuscescente, 4 macula transversali dorsali fuscescente; 5 macula laterali castanea. *Aculeus* vix subexsertus, subsursum-curvatus.

Feminam unicam vidi *Berolini*, in musco *Klugii*.

Varietas:

1. *Antennarum articulo 1 toto nigro.* f. — *Longitudo* 3 ¼ linearum. *Caput* palpis et mandibularum medio flavis. *Tarsi* postici fusci, articulo 1 rufo apice fusco. *Abdomen* segmento primo apice castaneo; 2 castaneo, basi nigra; 3 et 4 rufis. — Caetera sicut in femina genuina.

Hanc feminam cepi, mense Augusti, in umbellatis circa *Cudovam.*

69. C. RUFIVENTRIS. n.

Abdomine subcompresso rufo, basi apiceque nigro; pedibus fulvis, coxis dilutioribus. m. f. (aculeo trientis abdominis longitudine).

Statura graciliore, imprimis capite thoraceque angustioribus, haec species ab omnibus hujus familiae cospeciebus discedit.

Longitudo 3 linearum. *Caput* palpis et mandibulis flavis, facie sericea; oculis, etiam post mortem, viridiaeneis. *Antennae* graciles filiformes; feminae dimidio corpore paulo longiores, totae nigrae; mari corpore paulo breviores, articulo 1 subtus fulvo. *Thorax* cylindricus sericeus. *Alae* fumatohyalinae, stigmate testaceo aut piceo, radio piceo, radice et squamula pallide-stramineis; areola subirregulari, petiolata aut subpetiolata. *Pedes* subgraciles dilute-rufi; coxis et trochanteribus anterioribus fulvo-flavicantibus. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius, pauloque an-

gustius; dorso segmentis 2—6 aequilatis; apicem versus feminae subcompressum, mari minus compressum quam feminae; segmento 1 parte antica latitudine paulo longiore, mari apice castanea, rarius tota castanea, petiolo paulo angustiore, rarius dimidio angustiore quam illa, vixque ea paulo longiore; sequentibus dilute-rufis, 2 ut plurimum summa basi nigra, 6 rarissime nigro, 7 semper nigro. *Aculeus* trientis abdominis longitudine, niger, terebra rufa.

Manger legit circa *Warmbrunn* unam feminam cum tribus maribus, quorum maximus, parte antica segmenti primi latiore et tota castanea, segmento sexto autem nigro, a reliquis distinctus est.

70. C. INCULCATOR.

Abdomine subcompresso pedibusque rufis; antennarum articulo primo subtus rufo. f. (aculeo brevissimo).

Longitudo 2½ linearum. *Caput* palpis et mandibularum medio flavis. *Antennae* subfiliformes, porrectae, vix corpore paulo breviores; subtus articulo 1 rufo, sequentibus interdum fusco-ferrugineis. *Thorax* gibbulus. *Alae* mediocres subhyalinae, stigmate et radio piceis aut piceo-fuscis, radice et squamula albidis; areola subregulari, sessili aut subpetiolata. *Pedes* mediocres rufi, trochanteribus nec non coxarum anteriorum latere infero pallide-flavis. *Abdomen* lineari-fusiforme,

capitis thoracisque longitudine, thorace paulo angustius, rufum; segmento 1 petiolo nigro, parte antica subconvexiuscula, latitudine paulo longiore, breviore et fere duplo latiore quam petiolus. *Aculeus* exsertus brevissimus fuscus.

Duo cepi individua, mense Iulii, in gramine et fruticetis, prope *Vratislaviam* et *Ahdenstedt.*

Synonyma:

Ichn. inculcator Linn. Acta Suec. 1736, pag. 125, n. 6. — Syst. XII, p. 936, n. 49.
„ Müll. Friedr. n. 618.
„ Fuessl. Helv. p. 49, n. 961, rarissimus.
„ Fabr. Syst. p. 339, n. 68. — Ent. pag. 174, n. 169; in Europae hortis.
„ Schrank Austr. n. 735.
„ Villers p. 172, n. 114; in Gallia australi.
„ Gmel. ed. Lin. p. 2695, n. 49.
„ Olivier p. 192, n. 144.
„ Cederhielm p. 162, n. 502.
„ Walckenaer p. 62, n. 65.
„ Thunberg Ichn. n. 258.
Ophion inculcator Fabr. Piez. p. 135, n. 27.
Ichn. sagittarius Müll. Prodr. n. 1848.

Nota:

Linneus aliique auctores ad hanc speciem adhibent Ichneumonem Reaum. VI, tab. 30, fig. 9, quem tamen Olivier, meliori jure, ad Ichneumo-

nem (Ophionem) luteum redegit. — Dubius quoque sum de Ichneumone Geoffroii p. 357, n. 80, seu *Ichn. inculcatore* Fourcroyi p. 421, n. 81, cui est longitudo 1¾ linearum, abdominis petiolus tenuissimus longissimus.

71. C. CANESCENS. n.

Abdomine compresso, petiolo longissimo, segmentorum ultimorum lateribus rufis; pedibus anticis dilute-fulvis. f. (aculeo abdomine dimidio paulo longiore).

Longitudo 3⅓ linearum. *Caput* griseo-sericeum, ore flavo. *Antennae* filiformes, dimidio corpore paulo longiores, articulo 1 subtus flavo. *Thorax* gibbulus. *Alae* breviusculae, subhyalinae, irideae, stigmate et radio nigris, radice et squamula flavis, areola petiolata triangulari. *Pedes* graciles; antici dilute-fulvi, trochanteribus et coxis flavis; medii fusci, coxis trochanteribus et tibiarum basi luteo-flavis; postici fusco-nigri, summa coxarum et trochanterum apice, spinisque apicalibus tibiarum, stramineis. *Abdomen* thorace duplo longius, dimidio autem angustius, dorso fere lineare, lateribus apicem versus valde compressum subtriangulare; segmento 1 parte antica fere oblongo-ovata, latiore et fere dimidio breviore quam petiolus; segmentis 4—7 ventre et lateribus rufis. *Aculeus* dimidio abdomine paulo longior; terebra

rufa, subsursumcurvata, in rima ventrali ad segmentum quartum usque replicata.

Feminam unicam *a Steven* e *Tauria* transmisit.

Nota:

Ratione cellularum alae haec species respondet familiae primae, ratione aculei autem et abdominis longe-petiolati, magis cum familia quinta congruit; indeque medium tenet inter ambas.

SECTIO IV.

Abdomine rufo aut rufo-nigroque; antennis nigris, rarius subtus rufis.

Abdomen rarius totum rufum est (*C. orbatori*), aut solis lateribus rufum (*ensatori*), plerisque basi apiceque nigrum, medio rufum aut rufo-cingulatum. — Individua quaedam *Camp. ensatoris, assimilis, ruficincti, pugillatoris*, nec non mas *cultratoris*, segmentis paucis tantum macula laterali rufa aut castanea, indeque abdomine fere toto nigro, ad *sectionem* 1 spectant. Varietas maris *Camp. notati*, articulis 1 et 2 antennarum subtus ferrugineis, propius accedit ad *sectionem* 3.

E *sectione* 1 individua quaedam, macula laterali castanea abdominis (*Camp. lateralis* et varietas 3 *majalis*), aliaque, segmento uno alterove rufo- aut ferrugineo-marginato (*immolator*, et mas feminaeque varietatis *viennensis*), ad hanc sectionem transeunt. — In *sectione* 3 species, antennarum articulo 1 obscuriore (*gastroides* et *multicinctus*) aut toto nigro (femina *fulviventris*), adpropinquant ad sectionem 4.

---

72. C. ORBATOR. n.

Abdomine subcompresso rufo, petiolo nigro; pedibus rufis, trochanteribus et coxis nigris. f. (aculeo brevissimo).

Longitudo 3—3½ linearum. *Caput* palpis pallidis. *Antennae* corpore breviores, porrectae, apicem versus subgraciles subcurvatae. *Thorax* gibbus subgriseo-sericeus. *Alae* hyalinae, stigmate et radio piceis, radice et squamula flavis; areola irregulari triangulari subpetiolata. *Pedes* mediocres rufi, coxis et trochanteribus nigris. *Abdomen* capite thoraceque longius, dimidii thoracis latitudine, compressum, dorso subaequilatum, rufum; segmento 1 petiolo nigro, parte antica convexa tumidiuscula, latitudine paulo longiore, breviore et duplo latiore quam petiolus. *Aculeus* vix subexsertus niger; terebra rufa, erecta, e segmento quinto producta.

Unam feminam, circa *Genuam* captam, *a Spinola* transmisit; alteram vidi in museo *Comitis de Hoffmannsegg*, sub nomine *Ichneum. orbatoris* Knochii.

73. C. ERRABUNDUS. n.

Abdomine subcompresso, segmentis 2—5 rufis; pedibus rufis, coxis et trochanteribus nigris.

Affinis speciei antecedenti, sed abdomine breviore, segmenti primi parte antica latiore planiore et puncto profundo impressa, differt.

Longitudo 2⅔ linearum. *Caput* palpis et mandibularum medio fusco-ferrugineis. *Antennae* dimidio corpore longiores, apicem versus subgraciliores curvatae. *Thorax* gibbulus. *Alae* mediocres hyalinae, stigmate et radio piceis, radice straminea, squamula nigra; areola irregulari subpetiolata. *Pedes* mediocres rufi, coxis et trochanteribus nigris. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, postice valde compressum ventricosum, apice truncatum; segmento 1 nigro, apice badio, parte antica quadrata, breviore at plus duplo latiore quam petiolus, planiuscula, scrobiculo dorsali impressa; 2—5 rufis; 6 et 7 fuscis.

Unicum individuum, circa *Norimbergam* captum, Sturm mecum communicavit.

74. C. CANALICULATUS. n.

Abdomine compresso, segmentis 3—7 rufis, ultimis macula dorsali fusca; pedibus rufis, trochanteribus et coxis nigris. f. (aculeo abscondito.

Affinis *argentato*, n. 64, sed petiolo et toto abdomine brevioribus, hoc insuper apice magis compresso, differt. Statura et proportione partium etiam cum specie antecedente convenit, sed abdomine est breviore; an hujus varietas?

Longitudo 2⅓ linearum. *Caput* palpis et mandibularum medio stramineis. *Antennae* subtus fusco-ferrugineae, basin versus nigrae. *Alae* subfumato-hyalinae, stigmate piceo, radio et squamula fuscis, radice pallide-flava; areola irregulari subpetiolata. *Pedes* graciles dilute-rufi, coxis et trochanteribus nigris, his apice rufescentibus. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, thorace angustius, compressum, a latere pyriforme, dorso fusiforme; segmento 1 nigro, linea dorsali longitudinali exarato, parte antica latitudine paulo longiore, paulo breviore et duplo latiore quam petiolus, planiuscula, scrobiculis duobus dorsalibus ante tubercula lateralia impressis, margine badio; 2 nigro, margine rufo; sequentibus rufis, 3 basi nigra, 5—7 macula dorsali fusca. *Aculeus* absconditus.

Feminam unicam vidi in museo *Klugii*.

75. C. CAEDATOR. n.

Abdomine subcompresso; segmento tertio et lateribus sequentium castaneis; pedibus rufis, coxis nigris, tibiis posticis basi apiceque nigris. f. (aculeo brevissimo).

Longitudo 2—2½ linearum. *Caput* palpis et mandibularum medio testaceis. *Antennae* subfiliformes, dimidio corpore paulo longiores, apice curvatae. *Thorax* gibbulus. *Alae* mediocres hyalinae, stigmate et radio fusco-piceis, radice et squamula albido-stramineis; areola irregulari, subsessili aut subpetiolata. *Pedes* mediocres rufi; coxis nigris, anterioribus subtus sordide-rufescentibus; trochanteribus anterioribus flavis, mediis basi fusconigris, posticis nigris apice flavicante; femoribus posticis interdum summa basi nigricante; tibiis mediis basi apiceque fuscescentibus, posticis nigris medio fusco-rufo; tarsis posterioribus fuscis. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius, apicem versus compressum ventricosum; segmento 1 nigro, parte antica subtumidiuscula, latitudine longiore, paulo breviore et latiore quam petiolus; 2 nigro, apice castaneo; 3 toto castaneo; 4 vel fusco, basi lateribusque castaneis, vel castaneo macula dorsali fuscescente; reliquis fuscis, lateribus castaneis. *Aculeus* vix subexsertus, niger, subsursum-curvatus.

Unam feminam, circa *Sickershausen* captam, *Nees ab Esenbeck* transmisit; alteram, eamque majorem, femoribus posticis basi subnigricantibus, in museo *Klugii* vidi.

76. C. INSIDIATOR. n.

Abdomine subcompresso, medio rufo; femoribus tibiisque rufis, trochanteribus anterioribus flavis. m. f. (*fem.* aculeo abscondito).

Statura et proportio partium antecedentis.

Longitudo fere 2½ linearum. *Caput* griseo-sericeum, palpis et mandibulis flavis. *Antennae* graciles, corpore breviores. *Alae* fumato-hyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula flavis; areola irregulari, subpetiolata aut sessili. *Pedes* anteriores coxis nigris, subtus luteo-flavis, trochanteribus flavis, femoribus fulvis, tibiis tarsisque pallide-fulvis; postici rufi, coxis et trochanteribus nigris, his apice flavis aut luteis, apicibus tibiarum et articulorum tarsi, plerumque geniculo femorum summo, fuscis. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius, thorace paulo vel dimidio angustius, lineari-lanceolatum aut subcylindricum, apicem versus ventre mari subcompressum, feminae compressum et altius quam mari; segmento 1 nigro, parte antica subquadrata convexiuscula, paulo latiore at dimidio fere breviore quam petiolus; 2 nigro, vel cylindrico, latitudine duplo longiore, vel apicem versus sensim latiore,

latitudine paulo longiore; 2 et 3 rufis; sequentibus nigris, 4 lateribus ventrem versus et summo margine dorsali rufis. *Aculeus* brevissimus, situ quieto erectus, vix subexsertus.

Marem unicum cepi, die 7 Augusti, in floribus circa *Warmbrunn*. Ibidem *Manger* feminam cepit. Alteram feminam *a Steven* transmisit e *Tauria*.

76b. C. CARNIFEX. n.

Abdomine subcompresso, medio castaneo; pedibus rufis, coxis et trochanterum basi nigris. m.

Haec species differt ab *insidiatore*, n. 76, antennis longioribus; a *rapace* et *doloso*, n. 81 et 83, antennis longioribus et tenuioribus, segmento 2 longiore et angustiore; a *ruficincto*, n. 87, colore pedum.

Longitudo 2½—3⅕ linearum. *Caput* palpis ferrugineis aut fulvis. *Antennae* filiformes subgraciles, dimidio corpore longiores aut fere corporis longitudine, apice subcurvatae. *Thorax* gibbulus aut subgibbulus. *Alae* mediocres subfumato-hyalinae, stigmate et radio piceo-stramineis, radice et squamula flavis; areola triangulari subregulari petiolata. *Pedes* subgraciles rufi; coxis et trochanterum basi nigris, tarsis posticis apicem versus fuscis. *Abdomen* capite thoraceque perpaulo longius, thorace angustius, a latere visum

clavatum, segmentis 2—6 superne aequilatis; segmento 1 nigro, petiolo lineari, paulo longiore at fere duplo latiore quam pars antica, hac latitudine longiore et plus minus convexa; 2 latitudine duplo longiore, nigro, apice rufo-castaneo; sequentibus subquadratis, 3 rufo basi nigra, 4 lateribus aut basi rufo, reliquis totis nigris.

Quaedam individua, circa *Netley* capta, *Hope* mecum communicavit. Individuum minimum a reliquis differt palpis pallidioribus, antennis longioribus, thorace minus gibbulo.

77. C. ALTICOLA. n.

Antennis crassiusculis; abdomine compresso, medio rufo; pedibus rufis, trochanteribus et coxis nigris. f.

Haec species antennis brevioribus et fortioribus, nec apicem versus sensim paulo gracilioribus, ut in omnibus cospeciebus, sed potius sensim subcrassioribus, distincta est.

Longitudo 2¾ linearum. *Antennae* subfiliformes rectae, dimidio corpore paulo longiores. *Thorax* gibbus. *Alae* subhyalinae irideae, stigmate et radio fuscis, radice pallidetestacea, squamula fusca; areola irregulari sessili. *Pedes* rufi, coxis et trochanteribus nigris; postici summis femorum et tibiarum apicibus nigricantibus. *Abdomen* forma et proportione ut in *pugillatore;* seg-

mento 2 apice rufo; 3 rufo, margine nigro. *Aculeus* quintae partis abdominis longitudine.

Unicam cepi feminam, mense Augusto, in umbellatis circa *Cudovam*.

78. C. CRASSICORNIS. n.

Abdomine subcompresso, medio castaneo; pedibus rufis, coxis nigris. f. (aculeo mediocri).

Hic Ophion a praecedente differt, petiolo breviore atque crassiore, a sequente, aculeo longiore.

Longitudo 2¾—4 linearum. *Caput* palpis, ut plurimum etiam mandibulis, rufo-fulvis aut ferrugineis. *Antennae* dimidio corpore vix paulo longiores, subfiliformes, apice curvatae. *Thorax* gibbulus. *Alae* mediocres hyalinae irideae, stigmate stramineo, radio pallide-piceo, radice et squamula pallide-stramineis; areola irregulari petiolata. *Pedes* mediocres, rufi aut rufofulvi; coxis nigris, interdum anticis subtus mediis apice rufis; trochanteribus posticis ut plurimum basi nigra, interdum omnibus nigris. *Abdomen* capite thoraceque longius, thoracis latitudine vel paulo angustius, compressum, a latere oblongo-clavatum; segmento 1 plerumque apice castaneo; 2 rufo aut castaneo, basi nigra; 3 et 4 rufis aut castaneis; reliquis nigris, 5 interdum versus ventrem rufo. *Aculeus* subsursum-curvatus, longitudine tertiae aut quartae, rarius fere dimidiae, abdominis partis.

Duas feminas cepi circa *Vratislaviam,* quarum altera, omnium minima, trochanteribus et segmento primo totis nigris, distincta est. Aliae quaedam, circa *Berolinum* et *Netley,* nec non in *Hungaria* et *Gallia,* lectae, mecum communicatae sunt: gallica, coxis anterioribus pro parte rufis, segmento quinto toto nigro, aculeo longiore, insignis est.

79. C. AUCTOR. n.

Abdomine subcompresso, medio rufo; tibiis et femoribus rufis, horum posticis basi apiceque nigricantibus. m. f. (*femina* aculeo brevissimo).

Haec species a *Camp. doloso,* n. 83, cui affinis est, capite pedibusque crassioribus differt.

Longitudo 3½—4 linearum. *Caput,* latitudine thoracis, latius quam in reliquis cospeciebus; palpis ferrugineo-fuscis, mandibularum medio rufo. *Antennae* dimidio corpore longiores, apice subgraciliores curvatae. *Thorax* gibbus. *Alae* mediocres subhyalinae, stigmate et radio nigris aut fuscis, radice straminea, squamula maris ferruginea feminae nigra; areola subirregulari, mari subpetiolata, feminae petiolata aut sessili quinqueangulari. *Pedes* mediocres subcrassiusculi rufi, trochanteribus et coxis nigris, mari subtus rufis, femoribus posticis summa basi summoque apice nigris, interdum a basi ultra medium nigricantibus.

Abdomen capite thoraceque paulo longius, thorace fere dimidio angustius, dorso sublineari-fusiforme; segmento 1 nigro, parte antica paulo breviore at plus duplo latiore quam petiolus, interdum margine castaneo; 2 basi nigro, apice rufo; sequentibus ventre compressis, 3—5 rufis, interdum 4 et 5 dorso nigricante, 6 et 7 ventre rufescentibus. *Aculeus* exsertus brevissimus subsursumcurvatus niger.

Marem unicum, circa *Sickershausen* captum, *Nees ab Esenbeck* mecum communicavit sub nomine *Oph. auctoris.* Feminam cepi die 11 Iulii, in umbellatis *Barterodae;* alteram vidi in museo *Klugii*, eamque femoribus posticis magis nigris, areola sessili, pedibus paulo gracilioribus.

80. C. HORTICOLA. n.

Abdomine subcompresso, segmentis 2 et 3 nec non apice primi rufis; femoribus tibiisque rufis, harum posticis apice nigro. m.

A sequente specie haec differt, abdomine breviore et crassiore.

Longitudo 2¾—3¼ linearum. *Caput* plerumque mandibulis et palpis flavis; illorum apice fusco. *Antennae* dimidio corpore longiores, subrecurvae, apicem versus graciliores. *Thorax* gibbus. *Alae* mediocres subfumatohyalinae, stigmate et radio fuscis seu stramineis, radice et squamula stramineo-flavis; areola irregulari, petiolata seu

subpetiolata. *Pedes* mediocres rufi, coxis et trochanteribus nigris; posticis apicibus tibiarum et articulorum tarsi nigris aut fuscescentibus. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius et paulo angustius; segmento 1 laevi, vel rufo, petiolo nigro, vel nigro, margine rufo, parte antica subquadrata, triplo latiore quam petiolus; 2—4 aequilatis; 2 et 3 rufis, sequentibus nigris subcompressiusculis, 4 tamen basi summa seu lateribus castaneo.

Unum marem cepi die 5 Augusti prope *Helmstadium*, in petroselini floribus; alterum vidi in museo *Comitis de Hoffmannsegg*, eumque ore obscuriore, segmento 1 nigro, margine rufo, segmento 3 nigro, lateribus castaneis; tertium in museo *Klugii*, eumque minorem, segmento tertio toto nigro.

81. C. RAPAX. n.

Abdomine subcompresso, medio rufo; pedibus rufis, trochanteribus posticis coxisque nigris; m. f. (*fem.* aculeo brevi).

Mas gracilior est quam species antecedens, paulo crassior autem quam sequens. Femina differt a sequente, abdomine graciliore, minus compresso, aculeo paulo longiore.

Longitudo maris $2\frac{1}{2}$ — $2\frac{2}{3}$, feminae fere 3 linearum. *Caput* palpis et mandibulis flavis. *Antennae* dimidii corporis longitudine, vel paululum longiores, apicem versus subgraciliores. *Tho-*

rax gibbulus. *Alae* mediocres fumato-hyalinae, stigmate et radio fuscis aut piceis, radice et squamula stramineis, hac rarius ferruginea; areola subregulari, feminae subpetiolata, mari petiolata, rarius minuta longepetiolata. *Pedes* rufi; coxis feminae omnibus nigris, mari anterioribus subtus rufis; trochanteribus posticis basi nigris; tarsis posticis plerumque fuscis. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, seu paulo longius, thorace parum angustius, dorso lineari-fusiforme, segmentis 3—7 subcompressis; segmento 1 nigro, seu apice rufescente, parte antica tumidiuscula, latitudine parum longiore, breviore et duplo latiore quam petiolus; 2 et 3 latitudine longioribus, rarius totis rufis, plerumque basi nigris; 4 vel toto rufo, vel toto nigro, vel basi rufo apice nigro; sequentibus nigris, 5 interdum basi rufa. *Aculeus* exsertus brevis niger, subsursum-curvatus.

Par hujus speciei, circa *Hannoveram* captum, *Reusmann* mecum communicavit; insuper nonnullos mares, circa *Vratislaviam* et *Warmbrunn* lectos, accepi.

Varietates:

1. *Coxis anterioribus totis rufis.* m. — Caetera sicut in mare genuino.

Unicum individuum *Manger* cepit circa *Warmbrunn.*

2. *Tibiis posticis basi apiceque fuscis.* m. — *Longitudo* 3 linearum. *Abdomen* segmento 2 mar-

gine, 3 margine et lateribus, 4 lateribus, ferrugineis. — Caetera sicut in plurimis maribus genuinis.

Individuum unicum *Besser* transmisit e *Volhynia.*

3. *Individuum submonstrosum* (?) maris hoc est: *Longitudo* fere 3 linearum. *Antennae* corporis longitudine; articulis ultimis testaceis pellucidis (forsan pars residua exuviarum e statu nymphae). *Coxae* omnes nigrae. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, dorso lanceolato-fusiforme, a latere visum segmentis 3—6 compresso-ventricosis suborbiculatis; segmento 1 nigro, parte antica transversa, tuberculis lateralibus acutis, longe-prominentibus; 2 subtransverso nigro, apice rufo; 3 transverso, longitudine duplo latiore, rufo, basi summa nigra; 4 rufo; sequentibus nigris.

Hoc individuum, cum alio genuino, die 12 Iulii circa *Vratislaviam* in gramine captum est.

82. C. NOTATUS. n.

Abdomine subcompresso, medio rufo; femoribus tibiisque rufis, harum posticis apice fuscis, basi summa albidis. m. f. (aculeo brevissimo).

Hic Campoplex antecedenti est affinis. Femina a *sicario*, n. 68, aculeo longiore differt.

Longitudo 2⅓—3½ linearum. *Caput* plerumque palpis et mandibularum medio flavis aut piceis, facie griseosericea. *Antennae* maris dimidio corpore longiores, feminae paulo breviores quam mari. *Thorax* griseosericeus. *Alae* plus minus fumatohyalinae, stigmate et radio stramineis, hoc interdum piceo, radice et squamula pallide-flavis; areola plus minus irregulari, petiolata, rarius subpetiolata. *Pedes* rufi; coxis et trochanteribus nigris, horum anticis interdum apice aut subtus rufis testaceisve; tibiis anterioribus plerumque flavis aut flavicantibus, posticis summa basi pallidiore, apice fusco aut ferrugineo, saepe annulo fuscescente aut rufo-ferrugineo ante basin; tarsis anterioribus interdum flavis, posticis fuscis, articulo 1 basin versus pallide-stramineo. *Abdomen* capite thoraceque longius, rarius eorum longitudine, thorace paulo angustius, dorso subcylindrico, segmentis 2—5 plerumque fere aequilatis; apicem versus ventre compressum; apice mari obtuso, feminae subtruncato; colore variabili: 1) segmentis 2 et 3 rufis aut castaneis, 2 ut plurimum basi nigricante, 4 interdum basi castaneo; 2) segmento 1 apice, 2 et 3 totis, 4 basi, rufis aut castaneis, 4 interdum rufo aut castaneo, margine nigro, rarius toto rufo. *Aculeus* exsertus perbrevis, apicem versus sensim incrassatus.

Mares et feminas accepi, in *Austria, Volhynia, Tauria* lectos; praeterea marem ex *Etruria,* feminasque nonnullas circa *Berolinum, Genuam* et *Parisios* lectas.

Varietates:

1. *Tibiis posticis albidis, apice et ante basin fuscis.* m. — Medium tenet inter *notatum* genuinum et *ruficinctum*, n. 87; affinis quoque est varietati *Oph. ensatoris*, n. 85. — *Longitudo* 3 linearum. *Caput* palpis et mandibulis flavis. *Antennae* articulis 1 et 2 interdum subtus ferrugineis. *Alae* subfumatohyalinae, irideae, stigmate et radio fuscis aut piceis, radice et squamula flavis; areola vel subregulari petiolata, vel subirregulari subsessili. *Pedes* fulvi aut rufofulvi; coxis nigris; trochanteribus flavis, posticis nigris, subtus et apice fulvis; tibiis posticis exalbidis, apice et ante basin fuscis; tarsis posticis fuscis, articulo 1 basi exalbida. *Abdomen* segmento 1 nigro, margine castaneo; 2 et 3 rufis, basi plus minus nigra; 4 rufo, dorso plerumque nigro; sequentibus nigris, 5 lateribus plus minus rufis.

Mares nonnulli, circa *Vratislaviam*, *Warmbrunn* et in *Regione Pedemontana* lecti, mecum communicati sunt.

? 2. *Tibiis totis rufis.* m. — Haec varietas a specie genuina differt magnitudine et parte antica segmenti primi latiore. — *Longitudo* 3½ — 4 linearum. *Caput* haud sericans, palpis rufescentibus. *Thorax* subsericans. *Alae* stigmate piceo aut substramineo, caeterum ut in specie genuina. *Pedes* rufi, coxis et trochanterum basi nigris. *Abdomen* segmento 1 nigro, parte antica subquadrata convexa, longitudine petioli, eo autem fere plus

duplo latiore; 2 apicem versus sensim latiore, interdum fere latitudine duplo longiore, nigro, apice et lateribus castaneo; 3 et 4 castaneis, 4 interdum dorso nigro; reliquis nigris totis.

Quaedam individua, circa *Netley* capta, *Hope* ad me misit.

83. C. DOLOSUS. n.

Abdomine subcompresso, medio rufo; femoribus tibiisque rufis, harum posticis basi apiceque nigricantibus. m. f. (aculeo brevissimo).

Statura et proportio partium sicut in specie antecedente, pedibus et antennis tamen paulo longioribus; femina insuper abdomine paulo breviore et crassiore, aculeoque breviore, ab antecedente differt, meliusque cum *cryptocentro*, n. 67, convenit, quem pro hujus varietate haberem, nisi color articuli primi antennarum, nec non forma nervi inferioris exterioris cellulae interioris, *doloso* curvati, *cryptocentro* autem angulati, dissuaderent. Si vero tibiae posticae basi pallideflavae essent, maris *dolosi* optime cum varietate descripta *sicarii*, n. 68, conjungi possent.

Longitudo 3—3½ linearum. *Caput* plerisque argenteo sericeum, palpis mandibulisque flavis. *Antennae* maris corpore paulo breviores, feminae dimidio corpore longiores. *Thorax* sericeus. *Alae* plus minus fumato-hyalinae, radio et stig-

mate fuscis, hoc feminae interdum piceo, radice pallide-flava, squamula fusca, mari interdum pallide-flava; areola plus minus irregulari et petiolata. *Pedes* subgraciles rufi; coxis et trochanteribus nigris, anticis mari interdum subtus dilute-fulvis; postici tarsis, tibiarum summa basi et apice, interdum quoque geniculis, nigris aut nigricantibus. *Abdomen* maris interdum capite thoraceque paulo longius, apicem versus sensim clavatum, thoracis latitudine, vix subcompressiusculum; segmento 1 nigro, margine rufescente; 2 vel nigro, apice rufo, vel rufo, basi nigra; 3 et 4 rufis; 5 mari nigro, basi laterali interdum rufa, feminae toto rufo; sequentibus nigris, 6 feminae interdum dorso rufo. *Aculeus* subexsertus brevissimus, apicem versus sensim crassior.

Marem et feminas nonnullas *Manger* legit circa *Warmbrunn;* praeterea marem cepi die 12 Iulii prope *Scheidnich* in prato, alterum vidi in museo *Klugii;* feminam cepi circa *Vratislaviam,* alteramque *a Steven* mihi e *Tauria* transmisit. Mas warmbrunnensis a caeteris distinctus est pedibus paulo crassioribus, abdomine angustiore magisque compressiusculo, segmento quinto rufo-maculato.

84. C. CRUENTATUS. n.

Abdomine subcompresso, segmentis intermediis castaneo-marginatis; femoribus tibiisque rufis. f. (aculeo fere dimidii abdominis longitudine).

Statura et proportio partium *C. difformis*, n. 1, sed aculeo breviore. A speciei insequentis femina haec differt statura tota angustiore, imprimis abdomine pedibusque gracilioribus.

Longitudo 3½ linearum. *Caput* palpis et mandibularum medio testaceis. *Antennae* filiformes, dimidio corpore longiores. *Thorax* gibbulus. *Alae* fumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice straminea, squamula nigra; areola subregulari subpetiolata. *Pedes* graciles rufo-castanei, antici pallidiores; coxis et trochanteribus nigris, his apice rufescente; tarsis posticis fuscis, articulo 1 castaneo, apice fusco. *Abdomen* capite thoraceque longius, thorace angustius, a latere clavato-compressum, dorso segmentis 2—6 aequilatis; segmento 1 parte antica convexiuscula, latitudine fere duplo longiore, paulo breviore et angustiore quam petiolus; 2 fere latitudine duplo longiore, margine castaneo; 3 et 4 margine et lateribus castaneis; 5 et 6 margine laterali subcastaneo. *Aculeus* dimidio abdomine paulo brevior.

Unicam feminam *Richter* cepit circa *Vratislaviam*.

Mas?

Femoribus posticis subtus nigricantibus. — Hic mas a femina differt abdomine, segmento 1, pedibusque paulo brevioribus. Forsan quoque varietas est *Camp. rapacis* maris, a quo, abdomine angustiore, differt. — *Longitudo* 3 linearum. *Alae* areola subirregulari petiolata. *Pedes* rufi, coxis nigris; postici insuper tarsis, tibiarum apice summo, femorumque latere inferiore nigricantibus. *Abdomen* segmentis 2—5 rufo-marginatis.

Hunc marem *Comes de Küenburg* e *Gallicia* ad me transmisit.

85. C. ENSATOR. n.

Abdomine subcompresso, lateribus rufo-maculato; pedibus rufis, coxis nigris, trochanteribus anterioribus flavis, tibiis posticis pallidis, apice et ante basin fuscis. m. f. (aculeo longitudine dimidii abdominis).

Statura et proportio partium *ruficincti*, n. 87, aculeo autem longiore.

Longitudo $2\frac{1}{5}$—3 linearum. *Caput* palpis et mandibularum medio flavis. *Antennae* dimidii corporis longitudine, mari paulo longiores. *Alae* mediocres, interdum subangustae, subfumatohyalinae aut hyalinae, stigmate et radio piceis aut stramineis, radice et squamula flavo-stramineis; areola subregulari, petiolata aut subpetiolata.

Pedes coxis nigris, anticis vel anterioribus interdum apice flavis; trochanteribus flavis, posticis nigris apice flavo; femoribus posterioribus nonnunquam basi nigra, posticis quoque geniculo nigro; tibiis anterioribus flavis aut flavo-fulvis, mediis plerumque apicem versus fulvis, mari pallidioribus apice nigricante, posticis albis aut subrufescentibus, apice et annulo ante basin nigris aut fuscis aut fuscoferrugineis, interne autem rufis aut ferrugineis aut fuscis; tarsis posticis, interdum quoque mediis, fuscis, articulo 1 nonnunquam basi albicante. *Abdomen maris* sublineari-cylindricum, subteretiusculum; segmentis 3—6, rarius solis 3 et 4, macula laterali rufa; *feminae* subcompressiusculum, a latere subclavatum; segmentis 3—7, rarius 3 solo, macula laterali rubricosa aut rufa. *Aculeus* vel dimidii abdominis longitudine, vel paulo brevior, subsursum-curvatus.

Mares duos cepi, mensibus Maji et Iunii, in gramine, circa *Gottingam* et *Vratislaviam;* alii nonnulli, circa *Warmbrunn*, *Genuam* et in *Tauria* lecti, mecum communicati sunt. Horum *warmbrunnensis*, femoribus posterioribus basi nigris, *genuensis,* omnium maximus, segmentis solis 3 et 4 macula laterali castanea, distincti sunt, *gottingensis* autem omnium minimus est. Feminas legi circa *Gottingam*, *Barterodam*, *Helmstadium* et *Cudovam*, mensibus Iulii et Augusti, in umbellatis et fruticetis; *hannoveranam* autem Hegewisch transmisit.

Varietates:

1. *Tibiis posticis basi tota nigra.* m. — Caetera sicut in plurimis maribus.

Hunc marem *Besser* e *Volhynia* transmisit.

2. *Segmentis nonnullis castaneo-marginatis.* m. f. — *Antennae* dimidio corpore longiores, interdum fere corporis longitudine. *Pedes* rufi; coxis feminae omnibus nigris, mari anterioribus subtus rufis; trochanteribus posticis nigris, apice flavo; femoribus posticis maris plerumque summa basi nigris; tibiis tarsisque ut in genuinis. *Abdomen* segmento 1 maris rarissime summo margine obsolete-castaneo; 2 et 3, ut plurimum quoque 4, margine castaneo, qui color autem latera versus magis extenditur; 5 et 6 plerumque lateribus, rarius etiam margine dorsali, castaneis. — Caetera sicut in specie genuina.

Mares unamque feminam *Manger* legit circa *Warmbrunn;* ipse mares quosdam cepi, mense Iunii in gramine prope *Vratislaviam,* die 1 Augusti in salicetis circa *Warmbrunn.* Maximus segmentis 2—6 castaneomarginatis insignis est.

3. *Abdomine rufo, basi et segmentorum 3—7 macula dorsali, nigris.* f. — *Longitudo* 2¾ linearum. *Abdomen* segmentis 1 et 2 nigris, hoc margine rufo; sequentibus rufis, macula magna dorsali nigra. *Aculeus* vix dimidii abdominis longitudine. *Coxae* anteriores subtus rufescentes. — Caetera sicut in specie genuina.

Unicam feminam *Manger* cepit circa *Warmbrunn.*

Synonyma:

Ichn. Leske pag. 66, n. 285.

Nota:

Varietas secunda medium tenet inter *ensatoris, ruficincti,* n. 87, et *latratoris,* n. 90, mares, quorum feminae autem longitudine aculei inter se differunt. — Conferas etiam notas ad *majalem,* n. 4, et ad *chrysostictum,* n. 49.

86. C. ASSIMILIS. n.

Abdomine subcompresso, segmentorum ultimorum lateribus castaneis, pedibus rufis, coxis et trochanteribus anterioribus flavis, posticis nigris, tibiis posticis nigris medio albis. m.

Affinis maribus *Camp. majalis,* n. 4, *chrysosticti,* n. 49, et *ensatoris,* n. 85; ab omnibus colore tibiarum posticarum, a chrysosticto et ensatore quoque magnitudine, a chrysosticto insuper antennarum articulo 1 toto nigro, distinctus.

Longitudo fere 3 linearum. *Caput* palpis et mandibularum medio flavis. *Antennae* dimidio corpore paulo longiores, apicem versus subgraciliores subcurvatae. *Thorax* gibbulus aut gibbulocylindricus. *Alae* mediocres, hyalinae, stigmate et radio fusco-piceis, radice et squamula flavicantibus; areola parva petiolata. *Pedes* mediocres;

anteriores fulvi, coxis et trochanteribus pallide-flavis, illis interdum basi nigra, postici coxis et trochanteribus nigris, his apice pallide-flavo, femoribus rufis, posticis plerumque geniculo summo nigricante, tibiis nigris medio albo aut exalbido, tarsis fuscis. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, seu parum longius; segmentis ultimis lateribus castaneis aut rufescentibus.

Mares nonnullos legi, mensibus Iulii et Augusti, circa *Gottingam* et *Vratislaviam*, in frutetis et gramine.

87. C. RUFICINCTUS. n.

Abdomine subcompresso, segmentis intermediis rufo-marginatis et maculatis; pedibus rufis, coxis nigris, trochanteribus flavis, posticis basi nigris, tibiis posticis albis, apice et ante basin nigris. m. f. (aculeo brevissimo).

Statura et proportio partium *notati*, n. 82, corpore toto tamen paulo graciliore, aculeo breviore.

Longitudo $2\frac{2}{3}$ — 3 linearum. *Corpus* maris gracilius quam feminae. *Caput* palpis et medio mandibularum flavis; facie subargenteo-sericea. *Antennae* subfiliformes, dimidio corpore longiores, apice curvatae. *Thorax* gibbus. *Alae* mediocres, subfumatohyalinae, stigmate et radio piceis, radice et squamula stramineis; areola subregulari petiolata, rarius irregulari, (uni mari

sinistra minutissima longepetiolata, dextra majore subpetiolata). *Pedes* mediocres, rufi aut fulvi, coxis nigris; trochanteribus anterioribus flavis, interdum basi nigricante, posticis nigris apice flavo; tibiis ut plurimum stramineo-fulvis, posticis albis aut exalbidis, apice et ante basin nigris aut fuscis; tarsis posticis fuscis, articulo 1 basi pallido. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine seu paulo longius, dorso sublineari-fusiforme, teretiusculum, apicem versus vix subcompressiusculum; segmento 1 petiolo lineari, parte antica subquadrata aut latitudine parum longiore, subtumidiuscula, dimidio breviore at fere duplo latiore quam petiolus; colore: 1) segmentis 1 et 2 margine, 3 margine et lateribus, castaneis, 4 interdum lateribus obsolete-castaneis; 2) segmento 1 toto nigro, 2 margine, 3 et 4 lateribus, castaneis; 3) segmento 1 toto nigro, 2 margine, 3 lateribus, interdum quoque margine, castaneo. *Aculeus* vix subexsertus, subsursumcurvatus.

Varietatis 1 marem cepi, mense Augusti, in umbellatis prope *Salzbrunn;* alterum *Roentgen* cepit circa *Niesky;* feminas nonnullas accepi, circa *Berolinum* et *Genuam* lectas; par *austriacum Dahl* mecum communicavit; par *lusitanicum* vidi in museo *Comitis de Hoffmannsegg.* — Varietatis 2 par *Manger* cepit circa *Warmbrunn;* marem ipse cepi cum mare varietatis 1. — Par *genuense* varietatis 3 *a Spinola* transmisit.

Varietates:

1. *Solis segmentis 2 et 3 macula laterali castanea.* f. — *Longitudo* 3½ linearum. *Trochanteres* nigri, anteriores apice flavo, postici apice rufo. — Caetera speciei genuinae respondent.

Unicam feminam vidi in museo *Klugii.*

2. *Pedum posticorum trochanteribus totis, femorumque basi et apice nigris, tibiis medio rufis.* f. — *Longitudo* 3—3½ linearum. *Alae* stigmate et radio fuscis; areola subregulari subsessili. *Trochanteres* anteriores flavi, basi fusca, postici toti nigri. *Tibiae* posticae medio rufae, apice et ante basin nigrae, basi ipsa exalbida. *Tarsi* postici toti nigri. *Abdomen* segmento 2 vel margine toto, vel solis angulis apicalibus, 3 margine, castaneis, 4 castaneo, interdum margine dorsali fusco.

Feminas *genuenses* duas *a Spinola* mihi misit.

3. *Coxis anterioribus flavis.* f. — *Longitudo* 2¼ linearum. *Alae* areola subsessili. *Trochanteres* flavi, postici basi nigra. *Femora* postica geniculo summo nigro. *Abdomen* segmentis 2—7 margine dorsali testaceo-rufescente, 3—7 quoque lateribus rufis. — Caetera sicut in specie genuina.

Unicam feminam *a Steven* e *Tauria* transmisit.

Nota:

Confer notam ad *O. ensatorem*, n. 85.

88. C. ANALIS. n.

Abdomine subcompresso; segmento secundo margine, sequentibus ventre et lateribus, ultimo toto, rufis; femoribus rufis, posterioribus basi nigris; tibiis rufis, posticis apice et basi nigris. f. (aculeo brevissimo).

Statura et proportio partium feminae antecedentis et sequentis; petiolo autem longiore ab omnibus hujus sectionis speciebus distincta.

Longitudo 2½ linearum. *Caput* haud sericeum, palpis testaceis, mandibularum medio castaneo. *Alae* fumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula testaceis; areola regulari subpetiolata. *Pedes* rufi; coxis et trochanteribus nigris; femoribus posterioribus subtus basi nigris; tibiis posticis basi et apice nigris; tarsis posticis fuscis. *Abdomen* segmento 1 parte antica subglobosa, duplo latiore et fere dimidio breviore quam petiolus gracilis. *Aculeus* vix subexsertus niger subsursumcurvatus.

Unam feminam vidi in museo *Klugii.*

89. C. ZONATUS. n.

Abdomine subcompresso; segmentis intermediis margine et lateribus, sequentibus lateribus, castaneis, femoribus tibiisque rufis, harum posticis basi apiceque nigris. m. f. (aculeo longitudine quintae partis abdominis).

Haec species, statura, aculei longitudine, colore, medium tenet inter *ruficinctum*, n. 87, et *latratorem*, n. 90.

Longitudo maris 2⅔, feminae fere 3 linearum. *Caput* palpis et mandibularum medio flavis, facie subsericea. *Alae* subhyalinae, stigmate et radio piceis, radice et squamula pallideflavis; areola regulari petiolata. *Pedes* rufi; coxis nigris, anterioribus apice rufescentibus; trochanteribus anterioribus flavis, basi nigricante, posticis nigris, apice flavicante; tibiis posticis nigris, medio rufis; tarsis posticis fuscis. *Abdomen* maris segmento 2 margine, 3 margine et macula laterali, 4 macula laterali, castaneis; feminae segmentis 2—4 margine, 3—7 quoque lateribus, castaneis. *Aculeus* longitudine quintae partis abdominis.

Unam feminam cepi die 19 Maji in horto prope *Gottingam*, alteram, circa *Warmbrunn* captam, *Manger* mecum communicavit. Marem vidi in museo *Klugii*.

Varietates:

1. *Tibiis posticis fere totis rufis*. f. — *Longitudo* 2⅔ linearum. *Pedes* rufi; coxis et tro-

chanteribus nigris, horum anterioribus apice flavis; postici tarsis et annulo subobsoleto ante tibiarum basin fuscescentibus. *Abdomen* segmento 2 margine, 3 margine et macula laterali, 4 macula laterali, rubricosis. — Caetera ut in femina genuina.

Unicum individuum cepi, die 12 Iulii, prope *Helmstadium*, in fruticeto.

2. *Abdomine, praeter segmentorum 3—7 lateribus castaneis, toto nigro.* f. — *Longitudo* 2¼ — 2½ linearum. *Alae* stigmate et radio stramineis. *Pedes* rufi; anteriores coxis nigris, trochanteribus flavis basi nigricante, femoribus mediis interdum summa basi nigra, tibiis mediis plerumque apice summo, interdum etiam ante basin, fuscis aut nigris; postici coxis et trochanteribus nigris, his apice flavis, femoribus summo apice summaque basi plerumque nigris, tibiis albidis, apice et ante basin, vel basi tota, plerumque latere interno toto, nigris, tarsis fuscis. *Aculeus* longitudine quartae aut quintae partis abdominis. — Caetera cum specie genuina conveniunt.

Feminas nonnullas legi, mense Iulio, circa *Vratislaviam*, *Oedelem* et *Ahdenstedt*, in gramine et frutetis.

90. C. LATRATOR.

Abdomine subcompresso; segmentis 2 et 3 margine, sequentibus lateribus, rufis; trochanteribus et coxis anterioribus flavis, tibiis anterioribus femoribusque fulvis, tibiis posticis medio pallidis. m. f. (aculeo longitudine quartae partis abdominis).

Statura et proportio partium *ruficincti* et *zonati*, n. 87 et 89; aculeo autem longiore.

Longitudo 1$\frac{4}{5}$ — 3 linearum. *Caput* facie sericea, palpis et mandibulis flavo-stramineis. *Alae* hyalinae aut subhyalinae, stigmate et radio fuscis aut piceis, radice et squamula stramineis; areola regulari petiolata. *Pedes* coxis anterioribus flavis aut fulvis, interdum basi nigris, posticis nigris; trochanteribus anterioribus flavis, posticis nigris apice flavo, subtus plerumque totis flavis; femoribus fulvis aut rufo-fulvis, posticis nonnunquam summa basi nigra, tibiis anterioribus pallide-fulvis aut flavescentibus, posticis nigris aut fuscis, medio albis aut rufescentibus; tarsis posticis nigris aut fuscis, articulo 1 rarius fere toto albo, apice nigro. *Abdomen* segmentis 2 et 3 margine rubricoso-castaneo, sequentibus ventrem versus utrinque rufis. *Aculeus* longitudine quartae partis abdominis, niger, subsursum-curvatus.

Nonnullos mares et feminas legi, mensibus Iulii et Augusti, circa *Gottingam* et *Helmstadium*,

in umbellatis et frutetis, marem *austriacum Dahl* mecum communicavit.

Varietates:

1. *Segmentis 2 et 3 haud marginatis, sed utrinque macula rubricoso-castanea.* m.

2. *Segmentis 2 et 3 totis nigris.* m.

3. *Segmentis 4—7 totis nigris.* m.

Synonyma:

Ichn. latrator Schrank Boica, n. 2142. ?

Nota:

De *Ichn. latratore* Schrankii adhuc dubius sum: Abdomen ei est vitta transversali rufa; pedes sunt rufi, postici nigri rufo-annulati. Fabricii *Ophion latrator* autem huc certe non spectat, sed ad nostrum *pugillatorem*, n. 102.

Conferas notam ad *ensatorem*, n. 85, et *pugillatorem*.

91. C. ADUSTUS. n.

Abdomine subcompresso, segmentis intermediis margine lateribusque rufis; pedibus anterioribus fulvis, trochanteribus flavis, coxis nigris; femoribus posticis extrorsum castaneis; tibiis posticis rufis, basi apiceque fuscis. m.

Statura et proportio partium speciei sequentis; segmento 1 autem magis sicut in reliquis hujus familiae speciebus formato, petiolo tamen breviore et crassiore.

Longitudo 3⅔ linearum. *Caput* sericeum, mandibulis palpisque flavis. *Thorax* sericeus. *Alae* subhyalinae irideae, stigmate stramineo, radio piceo, radice et squamula exalbidis, areola regulari petiolata. *Pedes* anteriores fulvi, trochanteribus flavis, coxis nigris, mediis subtus rufis; postici nigri, trochanteribus apice flavis, femoribus externe rufo-castaneis, tibiis rufis, summa basi summoque apice fuscescentibus, tarsis fuscis, articulo 1 rufo apice fusco. *Abdomen* capite thoraceque parum longius et angustius; segmento 1 parte antica latitudine paulo longiore, longitudine petioli, eo autem fere duplo latiore; 2—6 cylindricis, ultimis ventre subcompressis; 2 margine, 3 et 4 margine lateribus et ventre, 5 et 6 summo margine et ventre, rufis.

Unicum marem *Manger* cepit circa *Warmbrunn*.

92. C. DECLINATOR. n.

Abdomine subteretiusculo; segmentis 2—4 castaneo-marginatis; femoribus anterioribus rufis, mediis basin versus nigris; tibiis rufis, posticis basi apiceque nigricantibus. m. f. (aculeo dimidio abdomine paulo longiore).

Statura feminae crassior quam maris. Ob hanc staturam et abdomen minus compressum, quibus haec femina a reliquis differt, eadem forsan femina esse posset *rufimani*, n. 98, qui tamen pedibus posticis totis nigris discedit.

Longitudo maris 3—4, feminae 3⅕ linearum. *Caput* plus minus argenteo-sericeum; palpis stramineis; mandibulis feminae flavis, mari nigris, interdum medio obscure-ferrugineo. *Antennae* apicem versus subgraciliores curvatae; mari dimidio corpore longiores aut fere longitudine corporis, feminae vix dimidio corpore paulo longiores. *Thorax* gibbulo-cylindricus. *Alae* mediocres, *mari* hyalinae, stigmate et radio nigris aut piceis, radice straminea, squamula nigra, *feminae* fumatohyalinae, stigmate piceo-stramineo, radio fusco, radice et squamula flavis; areola *maris* irregulari, petiolata aut subpetiolata, interdum incompleta, nervo exteriore semiinterrupto, *feminae* regulari triangulari subpetiolata. *Pedes* subgraciles; anteriores rufofulvi, coxis et trochanteribus nigris, his apice flavis, femoribus mediis latere convexo vel tantum basi, vel per totam longitudinem, ni-

gris, feminae tantum summa basi nigra; postici nigri, trochanteribus apice ferrugineis, tibiis sordide rufis, apice, ut plurimum quoque basi, plus minus nigricantibus. *Abdomen maris* thorace angustius et duplo longius, subcylindricum, apicem versus vix paululum subcompressum; segmento 1 angustiore, apicem versus sensim latiore, parte antica latitudine fere duplo longiore, longitudine petioli, eo autem latiore; 2 — 4 cingulo marginali lato rubricoso; *feminae* capite thoraceque paulo longius, thoracis latitudine, subovato-fusiforme, apicem versus ventre subcompressiusculo; segmento 1 parte antica tumidiuscula, subquadrata, paulo breviore at duplo latiore quam petiolus; 2 margine, 3 et 4 cingulo lato marginali et lateribus totis, 5 et 6 lateribus, vel etiam margine summo, rufis aut castaneis. *Aculeus* dimidio abdomine paulo longior, vaginis nigris, subtilissime pilosellis, terebra compressa subsursumcurvata rufa.

Mares duos cepi, die 13 Septembris, in vallo *gottingensi;* nonnulli alii, circa *Warmbrunn, Genuam* et in *Tauria* lecti, ad me transmissi sunt. Feminas duas *fennicas* autem *Sahlbergio* debeo. — Mas warmbrunnensis, omnium minimus, pedibus paulo crassioribus, medium tenet inter hanc speciem et antecedentem.

Varietas:

1. *Segmentis 3 et 4 fere totis castaneis.* f. — *Longitudo* 3½ linearum. *Femora* postica apice

castanea. *Abdomen* segmento 2 margine castaneo; 3 castaneo, basi dorsali nigra; 4 castaneo, macula parva dorsali ante basin nigra; 5 et 6 margine et lateribus, 7 ventre, castaneis. — Caetera sicut in feminis genuinis.

Hanc feminam, cum genuinis, *Sahlberg* e *Fennia* transmisit.

93. C. LIMBATUS. n.

Abdomine subcompresso; segmento 3 limbo, 4 macula laterali, testaceis; femoribus fuscis, anterioribus apicem versus testaceis; tibiis testaceis, posticis basi apiceque fuscis. f. (aculeo longitudine quintae partis abdominis).

Statura et proportio partium omnino feminae *Camp. notati*, n. 82, a qua non nisi colore discedit. An ejus varietas?

Longitudo fere 3 linearum. *Caput* facie griseo-sericea; mandibulis medio rufis. *Thorax* griseo-sericeus. *Alae* fumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice straminea, squamula fusca; areola irregulari petiolata. *Pedes* coxis et trochanteribus nigris; femoribus anterioribus testaceis, basin versus fuscis, posticis totis fuscis; tibiis testaceis, posticis summa basi summoque apice fuscis; tarsis testaceis, posticis apicem versus fuscis. *Abdomen* nigrum; segmento 3 testaceo-castaneo, macula magna dorsali nigra; 4 macula late-

rali subtestacea. *Aculeus* longitudine quintaë partis abdominis, subsursum curvatus, apicem versus paulo incrassatus.

Feminam unicam vidi in museo *Klugii, Berolini.*

94. C. FEMORALIS. n.

Abdomine subcompresso, segmentis 3—7 lateribus dilute-rufis, nonnullis etiam rufo-marginatis; femoribus anterioribus fulvis, mediis basi nigra; tibiis anterioribus testaceis, posticis albidis, apice et ante basin fuscis. f. (aculeo dimidio abdomine paulo breviore).

Statura et proportio partium *C. difformis,* n. 1, et *ensatoris,* n. 85; ab hoc autem aculeo breviore, ab utroque colore pedum et abdominis distinctus; tamen mari *difformis* interdum segmenta quaedam marginibus summis rufescunt; *ensator* autem colore abdominis haud discrepat.

Longitudo $2\frac{1}{2}$—$2\frac{2}{3}$ linearum. *Caput* facie griseo-sericeo, palpis et mandibulis flavis. *Alae* plus minus fumatohyalinae, irideae, stigmate stramineo, radio fusco, radice et squamula flavis; areola regulari petiolata. *Pedes* coxis et trochanteribus nigris, horum anterioribus apice flavis; femoribus anterioribus fulvis, mediis basi nigra, posticis totis nigris; tibiis anterioribus pallide-testaceis aut flavis, mediis apice rufescentibus, ante basin subfuscescentibus, posticis exalbidis,

apice et ante basin, nec non latere infero toto, fuscis; tarsis anterioribus rufis, posticis fuscis. *Abdomen* lateribus segmentorum 3—7 diluterufis; dorso, vel segmentis 2 et 3 rufo-marginatis, vel segmentis 3—6 margine summo rufescente. *Aculeus* dimidio abdomine paulo brevior, subsursum-curvatus.

Feminas duas *Manger* cepit circa *Warmbrunn.*

Mas?

Tibiis posticis medio rufis. — *Longitudo* 2⅓ linearum. *Caput* haud sericeum, solis palpis stramineis. *Alae* fumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula flavis; areola majore quam feminae, subsessili. *Pedes* anteriores rufi, coxis, trochanteribus, femorum mediorum basi tota, anticorum basi tantum inferne, nigris; postici nigri, tibiarum medio rufo. *Abdomen* vix capite thoraceque paulo longius, thorace angustius, teretiusculum, clavatum, segmento 1 parte antica subglobosa, paulo latiore at dimidio breviore quam petiolus; 2 latitudine longiore; sequentibus sensim brevioribus et latioribus; 3—7 lateribus dilute-rufis, 2 quoque summo margine obsolete-rufo.

Marem unicum, circa *Aboam* captum, *Sahlberg* transmisit.

95. C. TUMIDULUS. n.

Abdomine subcompresso, lateribus rufomaculatis; pedibus anterioribus rufis, coxis nigris; posticis nigris, tibiis medio et basi, tarsis basi, pallidis. f.

Statura et proportio partium speciei antecedentis et *multicincti*, n. 57; aculeo paulo breviore quam in hoc, paulo longiore quam in illa; colore intermedio inter ambas species; segmenti primi parte antica tumidiore quam in illis. Forsan hae tres species merae sunt varietates unius speciei, cum etiam color albidus aut testaceus articuli 1 antennarum *multicincti* interdum obsoletior sit.

Longitudo 2—2⅓ linearum. *Caput* facie griseo-sericea; palpis et mandibulis flavis. *Alae* hyalinae irideae, stigmate et radio piceis, radice et squamula pallide-flavis; areola plus minus irregulari, subpetiolata. *Pedes* anteriores vel rufi, coxis nigris, vel coxis nigris; trochanteribus flavis, femoribus fulvis, tibiis pallide-testaceis, mediis apice et ante basin fuscis, tarsis testaceis apice fusco; postici coxis et trochanteribus nigris, his apice flavis, femoribus vel totis nigris, vel fusco-nigris, introrsum apicem versus badiis, tibiis albis aut testaceis, apice et ante basin nigris, tarsis fuscis, articuli 1 basi albente. *Abdomen* subsericeum; segmento 1 parte antica tuberculata; segmentis 3—7, aut 4—6, macula laterali castanea, margi-

nibus summis dorsalibus subpallescentibus. *Aculeus* longitudine dimidii abdominis.

Unam feminam *ab Esenbeck* cepit, mense Iunii, in umbellatis circa *Sickershausen;* alteram *Hartlieb,* mense Maji, circa *Vratislaviam,* eamque minorem, pedibus anterioribus rufis, coxis nigris, segmentis 3—7 lateribus rufis, abdomine apice magis contracto, indeque breviore et magis truncato.

96. C. PERFIDUS. n.

Abdomine compresso, lateribus rufo; pedibus anterioribus rufis, basi nigris, tibiis posticis medio ferrugineis; areola nulla. f. (aculeo brevissimo).

Statura et proportio partium omnino *dolosi,* n. 83, areola autem nulla.

Longitudo paulo ultra 3 lineas. *Caput* palpis et mandibularum medio stramineis, facie griseo-sericea. *Thorax* griseo-sericeus. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula stramineo-flavis. *Pedes* mediocres, antici testaceo-rufi, coxis nigris, trochanteribus stramineis; medii coxis et trochanteribus nigris, his apice flavicantibus, femoribus castaneo-ferrugineis, basi et externe nigris, tibiis tarsisque testaceis; postici nigri, tibiis mediis ferrugineis, spinis apicalibus fulvis. *Abdomen* segmentis 3—7 ventricosocompressis, lateribus rufis, dorso fusco-

castaneo-marginatis. *Aculeus* subexsertus, sursumcurvatus.

Unicam feminam cepi, cum *Camp. aberrante,* n. 27, die 16 Iunii, *Barterodae,* in fruteto.

Varietas:

1. *Abdomine rufo, basi nigro.* f. — *Longitudo* fere 3 linearum. *Tibiae* mediae rufo-castaneae, apice et ante basin subfuscescentes; posticae nigrae, medio fuscescentes. *Abdomen* segmentis 1 et 2 nigris, margine castaneo; sequentibus rufo-castaneis, 2 basi nigro, 3—7 margine dorsali fuscescente. — Caetera sicut in specie genuina.

Unicam feminam cepi *Vratislaviae* domi ad fenestram.

97. C. DECIPIENS. n.

Abdomine compresso, medio rufo; pedibus anterioribus rufis, basi nigris; areola nulla. f.

Statura et proportio partium *C. mixti,* n. 101; antennis autem brevioribus et areola nulla; quibus etiam a speciebus aliis, caeterum colore affinibus, differt.

Longitudo 5 linearum. *Caput* et *thorax* subgriseo-sericei, puncti. *Antennae* fere dimidio corpore breviores. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice straminea, squamula nigra. *Pedes* anteriores fulvi, trochanteribus et coxis nigris, femoribus anticis subtus macula basali

nigra, mediis nigris apice fulvo; postici toti nigri. *Abdomen* segmento 1 petiolo tenui nigro, parte antica ovata rufa, duplo latiore et dimidio breviore quam petiolus; 2 rufo, dorso nigro; 3 et 4 rufis; sequentibus nigris. *Aculeus* niger, petiolo brevior, terebra rufa.

Hanc feminam *Berolini* vidi, in museo *Klugii.*

98. C. RUFIMANUS. n.

Abdomine subcompresso, medio castaneo; pedibus anterioribus rufis, basi nigris. m. f. (aculeo brevissimo).

Statura et proportio partium *C. perfidi,* n. 96, sed areola differt. A *pugillatore*, n. 102, hic abdominis dorso latiore discedit.

Longitudo 3—4 linearum. *Caput* subsericeum, ore fusco aut flavo. *Thorax* subsericeus. *Alae* hyalinae aut fumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice straminea, squamula nigra; areola irregulari, petiolata aut subpetiolata. *Pedes* sericei; anteriores coxis et trochanteribus nigris, femoribus nigris, apice seu latere superiore fere toto rufis, tibiis rufis, mediis interdum basi aut latere interno fuscoferrugineis, tarsis rufis aut fuscescentibus; postici nigri aut nigrofusci, tibiis interdum medio fusco-castaneis. *Abdomen* segmento 2 apice, 3—5 totis, castaneis, 5 interdum apice nigro, 6 rarius dorso castaneo. *Aculeus* exsertus brevissimus.

Par *lusitanicum* e museo *Comitis de Hoffmannsegg* descripsi; marem alterum, *pedemontanum*, *Bonellio* debeo.

99. C. NIGRIPES. n.

Abdomine subcompresso, medio rufo; tibiis anterioribus et femoribus anticis testaceis; tibiis posticis basi albidis, medio ferrugineis. m.

Statura et proportio partium speciei antecedentis, quae tamen, rudimento nervi dividentis cellulae interioris, ab hac specie differt.

Longitudo 4 linearum. *Caput* subsericeum, palpis pallide-testaceis. *Thorax* subsericeus. *Alae* fumato-hyalinae, stigmate radio et squamula nigris, radice pallide-straminea; areola subregulari petiolata. *Pedes* antici pallide-testacei, coxis et trochanteribus nigris, femoribus fulvis; medii nigri, tibiis et femorum apice testaceis, tarsis fuscis; postici nigri, tibiis medio fusco-ferrugineis, summa basi exalbida. *Abdomen* segmento 3 apice, 4 toto, 5 lateribus, rufis.

Unicum individuum *Richter* cepit circa *Vratislaviam*.

99b. C. MOESTUS.

Abdomine tereti, medio rufo; pedibus nigris, tibiarum basi alba. m.

Haec species a *nigripede* antecedente differt statura minore, abdomine paulo graciliore tereti, areola sessili; an illius varietas?

Longitudo perpaulo ultra 3 lineas. *Caput* palpis piceis. *Alae* fumato-hyalinae, irideae, stigmate radio et radice piceis, squamula fusca; areola triangulari sessili subirregulari. *Pedes* antici coxis et trochanteribus nigris, femoribus nigris versus apicem rufis, tibiis rufis, medio subfuscescentibus, basi albidis; posteriores nigri, tibiarum basi alba. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius, thorace angustius, teres, subclavatum; segmento 1 nigro, petiolo longo lineari, duplo longiore at fere dimidio angustiore quam pars antica, hac latitudine paulo longiore, convexiuscula; 2 latitudine fere triplo longiore, nigro, margine rufo; 3—5 subquadratis rufis, 3 basi 5 margine nigris; reliquis totis nigris.

Marem unicum, circa *Netley* captum, *Hopeo* debeo.

100. C. FLORICOLA. n.

Abdomine compresso, medio rufo; tibiis et femoribus rufis, posticis nigro-maculatis. f. (aculeo longitudine quartae partis abdominis).

Statura et proportio partium *pugillatoris*, n. 102, sed aculeo longiore et apice crassiore, abdomineque paulo crassiore differt. A *perfido*, n. 96, quocum abdominis forma et proportione, optime convenit, hic, areola triangulari, aculeo longiore, pedibus brevioribus, distinctus est.

Longitudo 2½—3 linearum. *Caput* subsericeum, ore toto nigro. *Thorax* subsericeus. *Alae* subfumato-hyalinae, stigmate fusco aut medio testaceo, radio et squamula fuscis, radice flava; areola irregulari sessili, interdum subquinque-angulari. *Pedes* dilute-rufi, trochanteribus et coxis nigris; postici tarsis fuscis, articulo 1 basin versus rufo, tibiis apice et summa basi nigris, femoribus geniculo, ut plurimum quoque latere toto supero, fuscis. *Abdomen* segmento 2 apice, 3 toto, rufis aut castaneis aut badiis. *Aculeus* longitudine quartae aut quintae partis abdominis, subsursum-curvatus, apicem versus crassior.

Nonnullas legi feminas, mense Augusto, circa *Cudovam* in umbellatis.

Varietas:

1. *Femoribus posticis totis, mediis basi, nigris.* f. — *Longitudo* 3½ linearum. *Caput* ore

testaceo-flavo. *Alae* stigmate stramineo, radio fusco, radice et squamula flavis; areola dextra petiolata, sinistra sessili. *Pedes* antici fulvi, coxis nigris; medii fulvi, coxis trochanteribus et summa basi femorum nigris; postici nigri, tibiis medio rufis, tarsis fúscorufescentibus. *Abdomen* magis compressum quam in femina genuina; segmento 2 margine, 3 basi et lateribus, rufis. *Aculeus* longitudine quartae partis abdominis.

Unam feminam *ab Uechtritz* cepit, die 6 Iulii, in umbellatis circa *Langenau.*

101. C. MIXTUS.

Abdominis compressi medio, tibiisque, testaceis aut flavis; femoribus anticis totis, mediis apice, testaceis aut fulvis. m. f. (aculeo brevi).

Statura et proportio partium omnino speciei sequentis; antennis ut plurimum paulo longioribus.

Longitudo maris 5—6, feminae 4½—7 linearum. *Caput* ore rarius toto nigro, plerumque palpis flavis aut testaceis, interdum rufis, mandibulis medio flavis aut testaceis. *Alae* plus minus fumatohyalinae, stigmate et radio piceo-fuscis aut fuscis, rarius ferrugineis, radice et squamula flavis, hac rarius nigra; areola subirregulari, rarius petiolata, ut plurimum subpetiolata aut sessili. *Pedes* testacei aut flavi, rarissime rufi; antici plerumque coxis, rarius quoque trochanteribus, basi plus

minus nigris aut nigrofuscis, rarissime totis nigris aut testaceis; medii coxis trochanteribus et basi seu latere convexo femorum nigris, nonnunquam femoribus nigris apice luteo aut rufo, mari rarissime totis flavis, tarsis interdum fuscis; postici nigri, femoribus plerumque apice rufo aut testaceo, tibiis vel totis testaceis, vel testaceis flavisque apice plus minus fusco aut rufo, tarsis fuscescentibus. *Abdomen* segmento 2 vel testaceo basi nigra, vel nigro apice et ventre, aut solo ventre, testaceis, rarius flavis; 3—5 testaceis, interdum flavis; 5 nonnunquam margine nigro, rarius nigro, basi, aut lateribus basin versus, testaceis, rarissime solis lateribus rufis aut toto nigro; 4 rarissime apice nigro. *Aculeus* perbrevis niger.

Mares feminasque accepi, circa *Warmbrunn*, *Berolinum*, *Hannoveram* et in *Regione Pedemontana* lectos. Praeterea mas ex *Etruria*, nonnullaeque feminae, circa *Halam Saxonum*, *Genuam*, *Netley* et in *Hungaria* lectae, ad me transmissae sunt. Individua Netleyana segmento 5 toto nigro a reliquis differunt. Ipse quasdam legi feminas, mensibus Iunii et Septembris, circa *Scheidnich*, in fruticetis et in truncis quercuum, nec non, die 27 Augusti, in cacumine montis *Reiftraeger*, in pinetis.

Varietates:

1. *Femoribus mediis fere totis testaceis.* f. — *Longitudo* paulo ultra 7 lineas. *Alae* stigmate radice et squamula ferrugineis, radio fusco; areola

subregulari, subpetiolata. *Pedes* antici testaceo-flavi, coxarum basi nigra; medii coxis et trochanteribus nigris, his superne testaceis, femoribus testaceo flavis, basin versus obscurioribus, basi ipsa subtus nigro-fusca, tibiis et tarsis flavis apice fulvo; postici coxis trochanteribus femoribusque nigris, his apice, fere ad medium usque, rufis, tibiis flavis apice fulvo, (tarsis deficientibus). *Abdomen* segmento 2 apice et ventre, 3 et 4 totis, 5 basi et ventre, rufo-testaceis. — Caetera sicut in specie genuina.

Hanc feminam, circa *Aboam* captam, *Sahlberg* transmisit.

2. *Femoribus anticis rufis.* f. — *Longitudo* 6½—9 linearum. *Femora* antica rufa aut fulva, geniculo plerumque flavo, basin versus interdum ferruginea. *Abdomen* segmento 2 apice et ventre, 3 et 4 totis, 5 interdum macula ventrali, testaceis. Caetera ut in plurimis individuis speciei genuinae.

Plures feminae, circa *Berolinum, Warmbrunn, Halam Saxonum, Sickershausen,* nec non in *Regione Pedemontana* et in *Volhynia,* lectae, mecum communicatae sunt.

3. *Femoribus anticis rufis basi nigra.* f. — *Longitudo* 4½ linearum. *Pedes* trochanteribus et coxis nigris, anticis subtus puncto testaceo; femoribus anticis rufis basi fusca, mediis nigris apice rufo, posticis totis nigris; tibiis flavis, posticis apice summo nigro; tarsis testaceo-rufis, posti-

cis nigris. *Abdomen* segmentis 2—4 testaceis, 2 basi nigra. — Caetera ut in speciei genuinae individuis plurimis.

Hanc feminam cepi, die 22 Septembris, in pino sylvestri, prope *Trajectum ad Viadrum.*

4. *Femoribus nigris, anterioribus apice flavis.* m. f. — *Longitudo* maris 4, feminae 4—6 linearum. *Caput* palpis fuscis, mandibulis macula flava aut ferruginea. *Pedes* coxis et trochanteribus nigris, anticis interdum subtus puncto flavo; femoribus anticis vel flavis basi nigra, vel nigris, apice aut latere infero toto flavis, mediis nigris geniculo flavo, posticis totis nigris; tibiis flavis, posticis mari summo apice fusco; tarsis anticis testaceis, mediis fuscis, posticis fuscis aut nigris. *Abdomen maris* segmento 2 ventre, 3 toto, 4 basi, flavis; feminae segmento 2 apice et ventre, 3 toto, flavis, 4 flavo, apice seu fascia angusta marginali nigro. — Caetera speciei genuinae individuis plurimis respondent.

Marem unicum, eumque *helveticum*, vidi Berolini, in museo *Klugii.* Feminam cepi, cum varietate 3, prope *Trajectum ad Viadrum*; nonnullae aliae, circa *Vratislaviam*, *Warmbrunn* et *Aboam* lectae, mecum communicatae sunt.

Synonyma:

Ichn. mixtus Pollich in Nov. Act. Nat. Cur. VII, p. 140, et in Bemerk. d. Kuhrpfälz. Ges.

1779, p. 281 (longitudine 3½ linearum, antennis subtus sordideflavis).

Ichn. mixtus Schrank Boica, n. 2089 (haud *Ichn. mixtus* Gmel. n. 334, facie et antennarum basi flavis, etc. distinctus).

Ichn. compressus Sulzer Gesch. p. 190, tab. 26, fig. 15, habitat in Helvetia (ad nostram varietatem 2 spectat).

„ Christ pag. 369, tab. 39, fig. 2 (cum icone Sulzeriana).

Ichn. surratus Schrank Austr. n. 729 (ad nostram varietatem 4 quadrat).

„ Gmelin ed. Linn. p. 2697, n. 166.

„ Villers p. 182, n. 143; in Gallia australi.

„ Olivier p. 221, n. 90.

Ichn. mercator Fabr. Ent. p. 176, n. 177.

Ophion mercator Fabr. Piez. p. 139, n. 42.

„ Walckenaer p. 74, n. 9 (ubi tamen verba Fabricii, *segmento tertio toto quartoque basi flavis*, prave verbis, *base du troisième et du quatrième jaunes*, translata sunt.)

Geoffroi Ichn. n. 24, p. 332.

Degeer I, tab. 6, fig. 11 et 12, pag. 74 et 573; prodiit e pupa *Phal. Bomb. Ziczac*, initio Maji.

Nota:

Ichneumones Geoffroii et Degeeri allegati ab aliis auctoribus ad speciem insequentem laudantur, cui autem minus respondent.

102. C. PUGILLATOR.

Abdomine compresso, medio rufo, femoribus anticis totis, mediis apice, fulvis; tibiis rufis aut flavis, posticis apice et basi nigris. m. f. (aculeo brevissimo).

Longitudo maris 3—6$\frac{1}{5}$, feminae 3$\frac{1}{3}$—6$\frac{1}{4}$ linearum. *Caput* palpis et mandibulis rarius totis nigris, ut plurimum illis rufescentibus aut testaceis flavisve, his macula cum palpis concolore. *Antennae* corpore breviores, rarius fere ejus longitudine, setaceae, apice curvatae. *Thorax* gibbus. *Alae* mediocres, interdum autem breviores seu fere abdominis longitudine, plus minus fumatae, majores magis hyalinae, minores obscuriores; stigmate fusco aut ferrugineo, rarissime stramineo, radio fusco, radice testacea aut picea, rarius fusca, squamula nigra aut testacea; areola subpetiolata, rarius sessili aut longe-petiolata rarissime quinqueangulari. *Pedes* mediocres; antici tarsis et tibiis flavis fulvisve aut rufis, femoribus rufis aut fulvis, interdum superne basin versus nigris, trochanteribus coxisque nigris, subtus mari saepius, feminae rarius, flavis aut testaceis, trochanteribus rarissime totis testaceis; medii nigri, femoribus inferne et apice, rarissime fere totis, rufis aut fulvis, tibiis tarsisque rufis aut testaceis; postici nigri, tibiis rarissime fere totis testaceis, plerumque rufis aut testaceis flavisve, apice, ut plurimum

quoque summa basi, rarius sola basi, nigris aut fuscis, tarsis rarissime flavis. *Abdomen* capite thoraceque longius, valde compressum, apice mari obtuso, feminae truncato; segmento primo petiolo lineari tereti, parte antica breviore at paulo vel duplo latiore quam petiolus, latitudine plerumque duplo longiore; 2 rarissime toto rufo (individuis minimis) aut toto nigro, ut plurimum nigro, apice castaneo aut rufo; 3 et 4 rufis, rarius subfulvis, margine plerumque nigro aut fuscescente; 4 rarius fere toto nigro; 5 et 6 nonnunquam lateribus et basi castaneis aut rufis. *Aculeus* sexta abdominis parte brevior. *Genitale masculum* brevissimum exsertum obtusum.

Haec species ubique frequens esse videtur. In museo *Comitis de Hoffmannsegg* individua *Neapolitanà* et *Lusitanica* vidi. Mares et feminas cepi, mensibus Maji—Septembris, circa *Vratislaviam, Warmbrunn, Cudovam, Gottingam, Helmstadium*, praecipue in locis frutetosis et graminosis, rarius in umbellatis. Sexus ambo, circa *Berolinum Netley* et in *Fennia* capti, mecum communicati sunt; praeterea nonnulli mares, in *Gallia, Tauria* et *Regione pedemontana*, feminaeque, circa *Hannoveram, Heidelbergam, Sickershausen, Vindobonam* et *Parmam* capti. Individuum tauricum et quaedam pedemontanorum, tarsis posticis totis flavis, horumque unum insuper segmento 2 toto rufo, a reliquis secedunt. Tres feminae *Richtero* prodibant e pupis *Pyralidis faganae*, eaeque solae segmento quinto basi et lateribus rufo.

Varietates:

1. *Coxis et trochanteribus anterioribus flavis totis.* m. — *Pedes* anteriores fulvi, tibiis tarsisque pallidioribus, trochanteribus et coxis flavis. *Femora postica* apice castanea. — Caetera sicut in maribus genuinis plurimis.

Unicum individuum circa *Vratislaviam* cepi.

2. *Pedibus anterioribus et tibiis posticis vel totis, vel maximam partem, flavis.* m. — *Longitudo* 3½—5¾ linearum. *Caput* plus minus griseopubescens, palpis mandibulisque flavis. *Pedes* anteriores flavi, femoribus fulvis, coxis et trochanteribus mediis interdum nigris apice flavo, rarius quoque coxis anticis nigris; postici nigri, tibiis flavis, basi summa et apice nigris, tarsorum articulo 1 interdum basi flavicante, rarius femorum apice rufo. — Caetera maribus genuinis plurimis respondent.

Unum individuum, idque coxis anterioribus nigris, genubus posticis rufis, prodiit mihi e folliculo oblongo-ovato piceofusco, 4⅕ lineas longo, 1¾ lineas lato. Pluria alia mihi missa sunt, circa *Vratislaviam*, *Warmbrunn*, *Berolinum*, *Halam Saxonum*, *Vindobonam* et in *Volhynia*, lecta.

3. *Pedibus anterioribus flavicantibus, femoribus posticis rufis.* m. — *Longitudo* 3—4 linearum. *Caput* griseo-sericans, palpis et mandibulis flavis. *Alae* radice et squamula flavis. *Pedes* anteriores pallide-flavicantes, femoribus fulvis,

coxis basi nigris; postici coxis et trochanteribus nigris, femoribus rufis aut castaneis, geniculo, rarius quoque basi, nigricantibus, tibiis rufis aut testaceo-flavicantibus, basi apiceque nigris, tarsis fuscis, articulo 1 basi plerumque subtestaceo. — Caetera sicut in plurimis maribus genuinis.

Nonnulla legi individua in fruticetis, circa *Warmbrunn* et *Scheidnich*, mensibus Iunii, Iulii et Augusti.

4. *Femoribus anterioribus totis rufis.* m. — *Longitudo* 3—3½ linearum. *Caput* palpis et mandibulis plerumque fulvis aut flavis. *Pedes* anteriores rufo-fulvi, coxis plerumque, trochanteribus rarius, nigris; postici sicut in maribus genuinis, femoribus interdum interne badiis. — *Caetera* individuis genuinis plurimis respondent.

Unum marem, eumque ore toto, coxis trochanteribusque anterioribus, nigris, cepi mense Augusti, prope *Cudovam*, in umbellatis. Alii, circa *Warmbrunn* et *Aboam* lecti, mecum communicati sunt.

5. *Femoribus rufis, posticis basin versus nigris.* m. f. — *Longitudo* 3—5½ linearum. *Femora* rufa, postica basin versus nigra, media interdum supra basi fuscescente. *Tibiae* rufae aut flavicantes, posticae apice et summa basi nigricantibus, medio interdum exalbido. — Caetera variant ut in specie genuina; segmento 5 tamen semper toto nigro.

Unum marem cepi, mense Augusti, in umbellatis prope *Cudovam*, alterum, *berolinensem* vidi in museo *Klugii.* Feminas accepi duas; unam circa *Aboam*, alteram, eamque maximam, circa *Vratislaviam* in strue lignorum, captam.

6. *Femoribus omnibus totis rufis.* m. f. — *Longitudo* 3½—4 linearum. *Pedes* rufi; coxis nigris, anticis rarissime subtus puncto rufescente; trochanteribus anterioribus rufis aut flavis, interdum basi nigris, mediis nonnunquam fere totis nigris, posticis nigris, interdum apice rufo; femoribus posticis summo geniculo, rarissime etiam basin versus, nigricantibus; tibiis anterioribus plerumque interne flavicantibus, posticis apice et basi summa nigricantibus. — Caetera variant ut in specie genuina; segmento 5 tamen interdum toto rufo.

Nonnullos mares et feminas legi, mensibus Iulii et Augusti, circa *Warmbrunn* et *Scheidnich* in gramine et frutetis; feminam quoque circa *Grohnde* cepi, *berolinensem* vidi in museo *Klugii.*

7. *Pedibus posticis totis nigris, anterioribus colore variabili.* m .f. — *Longitudo* 4—6 linearum. *Pedes* coxis et trochanteribus nigris, anticis mari interdum subtus flavis; femoribus anticis fulvis aut rufis, plerumque basin versus nigris, rarius nigris geniculo rufo, mediis nigris, plerumque geniculo fulvo, posticis interdum ante apicem badiis; tibiis anticis rufis, rarius externe fuscis, mediis

interdum totis fuscis aut nigris, rarius nigris apice rufo, posticis interdum fuscis, rarissime medio aut interne castaneo-rufis. — Caetera omnia variant ut in specie genuina; interdum vero etiam segmentis 6 et 7 ventre et lateribus castaneis, aut segmento 5 toto castaneo.

Mares et feminas legi, mensibus Maji et Iunii, circa *Gottingam*, in gramine et fruticetis; quaedam paria accepi, circa *Berolinum* et in *Volhynia* lecta. Feminae maribus frequentiores sunt; plures earum legi, mensibus Iulii et Augusti, in fruticetis et umbellatis, circa *Scheidnich* et *Cudovam*; plures, circa *Warmbrunn, Halam Saxonum, Hannoveram, Vindobonam, Netley,* nec non in *Regione Pedemontana* et in *Tauria* lectae, ad me transmissae sunt. Mares nonnullos *ab Uechtritz* cepit prope *Steglitz*, in locis elatioribus circa pinos sylvestres volitantes.

8. *Pedibus posticis totis nigris; abdomine nigro, segmentis intermediis lateribus rufis.* f. — *Longitudo* 5 linearum. *Pedes postici* nigri, summo apice femorum et tibiarum ferrugineo. *Abdomen* segmentis 3 et 4 lateribus, 2 et 5 puncto laterali, rufo-castaneis. — Caetera ut in plurimis individuis genuinis.

Unicam feminam *Besser* cepit in *Volhynia*.

9. *Abdomine fere toto nigro.* m. — *Longitudo* $3\frac{1}{2}$ linearum. *Caput* palpis et mandibulis fulvis. *Alae* stigmate radice et squamula fulvis, radio

fusco. *Pedes* anteriores fulvi, coxis nigris inferne testaceis; postici nigri, tarsis tibiisque sordide-testaceis, his apice subfuscescente. *Abdomen* nigrum; segmento 3 rufo, macula magna dorsali marginali nigra.

Unicum individuum *berolinense* vidi in museo *Klugii.*

Synonyma:

Ichn. pugillator Linn. Faun., n. 1624; aculeo pungit et dolorem excitat.

„ Stroem Dronth. III, p. 422 (Translat. p. 379), n. 46.

„ Fuessl. Helv. p. 49, n. 962; in variis larvis, haud raro.

„ Schrank Austr., n. 732; abdominis medio testaceo.

„ Gmelin ed. Linn. p. 2695, n. 50.

„ Rossi, n. 773.

„ Olivier p. 193, n. 146 (Ichneum. Reaumurii IV, p. 134, tab. X, fig. 13, ab Oliviero allegatus, abdominis forma discedit).

„ Cederhielm p. 162, n. 503.

„ Scharfenberg p. 962, n. 17 (exclusa varietate *macula frontali flava*, de qua conferas *Ichn. pugillatorem* in nota, huic speciei subjuncta).

Ichn. falcator Fabr. Syst. p. 339, n. 69. — Ent. Syst. p. 174, n. 170; puncto parvo flavo ante alas (squamula alarum flava?).

Ichn. falcator Gmelin ed. Linn. p. 2695, n. 159.
„ Villers p. 178, n. 131.
„ Christ p. 364.
„ Olivier p. 192, n. 145.
„ Thunberg, n. 275.
Ichn. pugil Müll. Prodr., n. 1849.
Ichn. occisor Schrank Ent. Beitr. p. 90, §. 56. — Austria, n. 730; an varietas *Ichn. venatoris?* (qui autem *Banchus* est et aculeo exserto caret).
„ Gmelin ed. Linn. p. 2697, n. 167.
„ Villers p. 184, n. 152; circa *Lugdunum.*
„ Olivier p. 221, n. 91.
Ichn. Degeeri VII, p. 594, tab. 44, fig. 7—10; larva degit in larva *Zygaenae filipendulae,* et in hujus folliculo construit sibi folliculum ovalem nigrum. Nympha, frictione corporis ad folliculum, sonum excitat, stridori similem, quem grylli parvi cieunt. Ichneumon prodiit die 9 Iulii.
Ichn. cantator Retz p. 68, n. 272.
„ Villers p. 218, n. 276.
Ichn. subfalcatus Gmelin ed. Linn. p. 2701, n. 293.
Ichn. compressus Schrank Boica, n. 2064. (De *Ichn. compresso* reliquorum auctorum conferas *Banchum compressum*).
Ichn. nidulator Thunb., n. 277.
Ophion nidulator Panzer Fauna fasc. 100, tab. 15; in regionibus sylvaticis.

Ophion latrator Fabr. Piez. p. 135, n. 23. (De *Ichn. latratore* conferre velis notam ad hanc speciem).
Ophion falcator Fabr. Piez. p. 136, n. 28.
„ Walckenaer p. 73, n. 4.

Nota:

Descriptio accuratior antennarum et partium oris, auctore *Neeseo ab Esenbeck*, haec est:

Antennae porrectae setaceae, apice recurvae, articulis 54; radicula brevi angusta; scapo subovato concavo; pedicello exserto subcylindrico; articulo quarto (accessorio) hemisphaerico-conico; reliquis cylindricis breviusculis pubescentibus, primo et secundo distincte longioribus, hoc basi obsolete-annulato, reliquis apicem versus parum longitudine decrescentibus contiguis, ultimo parvo acute-conico.

Clypeus non discretus, vix lineae rectae obsoletissimae vestigio indicatus, puncto utrimque impresso, margine infero rotundato. — *Labrum* breve reconditum lineare, margine antico rotundato ciliato. — *Mandibulae* latiusculae arcuatae, basin versus parum dilatatae, apice acute excisae, dentibus breviusculis divergentibus aequalibus obtusiusculis, facie exteriori plana punctata, pilis, praesertim inferiora versus, barbata, margine infero prominente acutiusculo. *Maxillae* labio paulo longiores, idque amplectentes: *Stipes* lanceolato-compressus carinatus, carina ciliatus, apice a latere emarginatus: *Mala* stipite dimidio vix

brevior, membranacea biarticulata; articulo infero breviore obliquo, introrsum in lobum rotundatum ascendentem ciliatum producto; supero paulo majore subquadrato, margine anteriore angulisque iisdem rotundatis ciliatis. — *Palpi maxillares* mala duplo longiores, setacei nudiusculi quinque-articulati; articulis 1 et 2 subclavatis, apice truncatis, hoc paulo crassiori, margine interiori apicem versus magis arcuato, sed vix compresso, nec cultriformi; 3 et 4 subcylindricis, basi paulo angustioribus compressiusculis; 5 filiformi acuto pubescente. Ratio longitudinis 3. 5. ½. — *Labium: Mentum* obovato-conicum, basi compressum, ramo ascendente lato trigono, apice dilatatum truncatum, parum convexum subpubescens: *Lingua* mento vix brevior, rectiuscula subquadrata, ultra medium bifida, incisura recta, laciniis conniventibus subquadratis truncatis, angulis acutis ciliatis, parum deflexis. — *Palpi labiales* lingua vix duplo longiores pubescentes quadriarticulati; articulis 1, 2, 3 obconicis, 2 breviori, magis obliquo et fere triangulo, ultimo cylindrico, basi angustiori obtuso. Longitudinis ratio 4, ⅓, 2.

Varietates hujus speciei sensim una in alteram transeunt. Individua, abdominis medio magis testaceo, tibiis flavicantibus, vix a specie antecedente discerni possunt, eoque difficilius, cum etiam longitudo antennarum et petioli, hujusque partis anticae latitudo relativa, sensim mutetur. Petiolus generaliter individuis majoribus brevior et crassior esse solet quam minoribus.

De synonymia conferre velis notas ad speciem praecedentem et ad *latratorem*, n. 90. De *Oph. latratore* Fabr. et *Ichn. latratore* Thunb. incertus sum, Fabricius enim, in Ent. p. 167, n. 139, et in Spec. p. 431, n. 69, hanc speciem cum *Ichn. elongato* (nostro *Tryphone elongato*) comparavit, eique antennas subtus rufas tribuit. *Ichn. pugillator* Linn. Syst. ed. XII, p. 936, n. 50, Villers p. 172, n. 115, Christ p. 374, fronte albida insignis, ad nostram speciem haud referri potest. De *Ophione nidulatore* Fabr. Piez. p. 136, n. 29, licet bene ad nostram speciem quadret, tamen incertus sum, cum F. dicat, nidulatorem a latratore omnino distinctum esse.

103. C. CULTRATOR. n.

Abdomine compresso, macula laterali castanea; tibiis femoribusque rufis. m. f. (aculeo brevi).

Statura et proportio partium speciei antecedentis.

Longitudo 6—7 linearum. *Caput* ore ferrugineo aut flavo, mandibularum apice nigro. *Thorax* subpubescens. *Alae* mediocres subfumato-hyalinae, stigmate fulvo, radio et radice piceo-ferrugineis, squamula nigra; areola subregulari subpetiolata. *Pedes* mediocres subelongati; coxis nigris, anterioribus subtus rufis, mediis feminae

plerumque totis nigris; trochanteribus nigris, anticis, mari quoque mediis, rufis; femoribus rufis; tibiis fulvis aut rufo-fulvis; tarsis fulvis, feminae posterioribus fuscescentibus. *Abdomen* segmentis 2 et 3 macula laterali communi badia, mari fere obsoleta. *Aculeus* sexta parte abdominis brevior, niger. *Genitale masculum* exsertum brevissimum obtusum.

Marem unum cepi die 24 Maji in vallo *Gottingensi;* alterum, circa *Warmbrunn* captum, *Manger* mecum communicavit. Feminas plures, circa *Gottingam*, *Hannoveram*, *Berolinum*, *Sickershausen*, *Parmam* lectas, accepi.

Varietas:

1. *Femoribus posticis basi nigris; segmentis 2 et 3 castaneis, illo basi, hoc apice, nigris.* f. — *Longitudo* 5⅓ linearum. *Alae* stigmate piceo, radio et radice fuscis. — Caetera ut in feminis genuinis.

Feminae duae, circa *Vratislaviam* et *Halam Saxonum* captae, mecum communicatae sunt.

104. C. NITENS. n.

Abdomine subcompresso oblongo, medio rufo, segmenti primi parte antica lata plana; pedibus rufis. m. f. (aculeo abdominis dimidii longitudine).

Longitudo 2 — 3 linearum. *Caput* palpis interdum subpiceis, mandibulis medio ferrugineis. *Antennae* graciles filiformes; mari fere corporis longitudine, totae nigrae; feminae dimidio corpore longiores, rarius totae nigrae, plerumque articulo 1 subtus distinctius aut obsoletius rufescente, sequentibus fuscis aut nigris, 2—7 nonnunquam rufo-ferrugineis, 11—13—14 ferrugineis aut fuscoferrugineis, reliquis nigris. *Thorax* gibbus. *Alae* mediocres, fumato-hyalinae, stigmate et radio fuscis aut piceis aut nigris, radice straminea, squamula straminea aut ferruginea aut fusca; areola subsessili, irregulari aut suborbiculata. *Pedes* mediocres rufi; mari coxis et trochanteribus nigris; feminae coxis nigris, subtus rufis, anterioribus plerumque totis rufis, trochanteribus posticis nigris apice rufo, rarissime trochanteribus et coxis totis nigris; femoribus posterioribus interdum castaneis, summa basi nigricantibus; tarsis posticis interdum fuscis. *Abdomen* vel capitis thoracisque longitudine et latitudine, vel paululum brevius atque angustius, oblongum aut ovatum seu subfusiforme, apicem versus ventricosum subcompressum; segmento 1 laevissimo

nigro, apice ut plurimum castaneo, parte antica planiuscula, apicem versus sensim dilatata, longitudine petioli, triplo autem vel saltem plus duplo latiore quam ille; 2 castaneo; 3 vel toto castaneo, vel margine nigro, vel nigro, disco badio; sequentibus nigris, 4 nonnunquam basi castanea. *Aculeus* longitudine dimidii abdominis, vel parum longior, terebra apice rufa.

Duo paria *a Steven* transmisit e *Tauria*. Praeterea unum marem accepi e *Regione Pedemontana*, pluresque feminas, circa *Norimbergam*, *Genuam*, et in *Volhynia* lectas.

Nota:

Haec species vix ad *Ophiones* referri potest. Abdomen quidem est petiolatum et subcompressum, sed brevius et crassius, segmenti primi parte antica planiore et latiore, alarumque areola majore, quam alias esse solent. Praeterea quoque feminarum antennae annulatae in nulla alia hujus familiae specie inveniuntur. Medium tenere videtur inter hanc familiam et *Cryptorum* familiam secundam. Abdomine subcompresso et cellula cubitali intermedia triangulari, melius congruit cum *Ophionum* familia prima, forma segmenti primi autem, nec non antennis annulatis, cum familia secunda *Cryptorum*.

105. C. ALIENATUS. n.

Abdomine fusiformi subcompresso, medio rufo, segmenti primi parte antica lata; areola nulla; femoribus tibiisque rufis, harum posticis apicem versus nigricantibus. m. f. (aculeo brevissimo).

Statura et proportio partium fere speciei antecedentis; sed areola nulla, antennis paulo crassioribus, parte antica segmenti primi paulo latiore, aculeo multo breviore, haec ab illa differt.

Longitudo 3 — 3⅔ linearum. *Antennae* dimidio corpore longiores, setaceae. *Alae* fumato-hyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula pallide-stramineis; areola nulla, at in feminae ala dextra rudimento parvo nervi exterioris, quo perfecto areola adesset triangularis irregularis longe-petiolata. *Pedes* rufi, coxis et trochanteribus nigris; postici tarsis tibiisque nigricantibus, his basin versus ferrugineis. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius pauloque angustius, dorso fusiformi, lateribus segmentorum 3 — 7 compressis, apice mari obtuso feminae truncato; segmento 1 petiolo nigro, parte antica laevi subquadrata, longitudine paulo latiore, triplo aut plus duplo latiore at paulo breviore quam petiolus, rufa, petiolum versus plerumque nigra; 2—4 rufis, 4 mari interdum apice nigro; reliquis nigris. *Aculeus* subexsertus; te-

rebra rufa, apice graciliore subulato quasi e cylindro prominente (quod tamen haud distincte videre licet); vaginis nigris clavatis; praeterea stylis duobus clavatis, multo brevioribus et tenuioribus quam vaginae.

Bonelli duos mares unamque feminam e *Regione Pedemontana* transmisit.

FAMILIA II,

seu subgenus:

PANISCUS.

Abdomine subpetiolato compresso, dorso carinato; areola triangulari; pedibus antennisque subgracilibus; (aculeo brevi).

Caput transversum, vel breviusculum, vel breve, collum versus paulo angustatum. — *Oculi* ovales. — *Antennae* graciles aut subgraciles, elongatae, porrectae aut apice curvatae. — De his et de *partibus oris* conferas notam ad P. testaceum. *Thorax* gibbus aut gibbulus. — *Scutellum* gibbulum subtriangulare. — *Alae* amplae; areola triangulari, sessili aut petiolata. — *Pedes* elongati subgraciles. — *Abdomen* subpetiolatum, thorace longius et angustius, laeve nitidum, vel compressum dorso carinato, vel subcompressum dorso subcarinato (e. g. *P. virgato*); a latere visum altitudine apicem versus sensim crescente. Segmentum primum apicem versus sensim dilatatum, vel elongatum, petiolo graciliore, tuberculis lateralibus in medio sitis, vel brevius, petiolo crassiore, tuberculis lateralibus inter basin et medium sitis. — *Aculeus* exsertus brevis. — *Genitalia mascula* plerisque exserta, sub forma styli brevis obtusi aut corpusculorum quorundam subhamuliformium.

De relationibus Paniscorum ad *Mesoleptos, Mesochoros* et *Campopleges* sub his jam locutus sum. — Ab *Anomalis, Ophionibus, Macris, Trachynotis* et *Cremastis* Panisci discedunt forma seg-

menti primi, apicem versus sensim dilatati et, solis Macris exceptis, areola triangulari. Macri quidem hanc cellulam habent, sed habitu toto, imprimis abdomine multo longiore et graciliore, satis differunt. — *Hellwigia*, abdomine alis et praecipue antennis incrassatis, longe a Paniscis discedit.

---

106. P. VIRGATUS.

Testaceus; oculis ocellisque nigro-fuscis; tarsis posticis pallidioribus. m. f. (*mas* facie flavicante; *fem.* plerumque thorace fuscolineato; aculeo brevissimo).

Longitudo 4½—6 linearum. *Caput* mandibulis apice nigris; facie maris plerumque flavicante. *Antennae* graciles, setaceae, corporis longitudine vel eo longiores, apice curvatae, fulvo-ferrugineae. *Thorax* gibbulus, saepe, praesertim feminis, lineis tribus longitudinalibus latis dorsalibus, pectore, punctoque laterali, fuscis, distinctioribus aut obsoletioribus, rarius nigris. *Alae* amplae hyalinae, radio fusco, stigmate radice et squamula stramineis aut dilute rufis areola irregulari, petiolata aut subpetiolata, rarissime nervo exteriore fere obliterato. *Abdomen* capite thoraceque longius, interdum duplo longius, thorace paulo angustius, ventre compressum, fusco- aut rufo-ferrugineum, interdum fusco-nebulosum aut fulvum apice fuscescente, rarius segmentis 5—7 fere totis fuscis, segmento 1 semper pallidiore, apicem versus sensim paulo dilatato, latitudine quadruplo aut quinquies longiore, subcanaliculato, tuberculis lateralibus, plus minus acutis, ultra medium sitis. *Aculeus* brevissimus subexsertus suberectus niger.

Marem et feminam cepi, circa *Vratislaviam*, mense Iunio, in fruticetis, feminam quoque prope *Barterodam;* aliae feminae, circa *Genuam Aboam* et in *Hungaria* lectae, mihi missae sunt; marem *berolinensem* vidi in museo *Klugii;* duos mares, circa *Netley* captos, *Hope* ad me misit. Individuum masculum *Richtero* prorepit e pupa *Bombycis bifidae*, mense Octobris.

Synonyma:

Ichn. Geoffroii p. 332, n. 25; circa Ilices.
Ichn. virgatus Fourcroy p. 401, n. 25.
„ Villers p. 204, n. 228; in Gallia.

Nota:

Cave ne hanc speciem cum *Mesolepto testaceo*, perquam affini, nec fere, nisi abdomine minus compresso, distincto, confundas.

Olivier Walckenaer et Illiger (in Fauna Rossii) Ichn. 25 Geoffroii ad *Ichn. crassipedem* adhibuerunt, qui autem femoribus posticis clavatis etc. satis differt, potiusque ad nostram *Pimplam flavicantem* redigi debet.

 107. P. TESTACEUS.

Testaceus, oculis ocellisque fuscis. m. f. (aculeo brevi).

Haec species a praecedente differt, abdomine et segmento primo plerumque longioribus et an-

gustioribus. Mares ambarum specierum tamen interdum difficiles distinctu sunt. Feminae longitudine terebrae semper satis differunt.

Longitudo maris 3—fere 9, feminae 3¾—8 linearum. *Caput* mandibulis apice nigris, facie interdum flavicante; oculis et ocellis, interdum quoque parte postica occipitis, fuscis aut nigris. *Antennae* apice plerumque obscuriores aut fuscescentes, mari rarius fuscae aut nigricantes basi testaceo-ferruginea. *Thorax* interdum lineis longitudinalibus dorsalibus fuscescentibus. *Alae* hyalinae aut subflavo-hyalinae; stigmate testaceo aut stramineo, mari interdum fuscescente, radio fusco aut testaceo, radice et squamula testaceis; areola irregulari subsessili, plerumque semicompleta, nervi exterioris parte infera obsoleta. *Pedes* fulvi, mari rarius ferruginei tarsis posticis interdum pallidioribus. *Abdomen* capite thoraceque longius aut duplo longius, compressum, apice mari obtusum feminae truncatum; testaceum, saepe apicem versus fuscescens, aut subfuscum basin versus fulvum, rarissime segmentis 6 et 7 totis et segmenti 5 apice nigrofuscis; segmento primo apicem versus sensim paulo latiore, latitudine quinquies aut sexies longiore, parte antica duplo aut plus duplo longiore quam petiolus. *Aculeus* longitudine quintae aut sextae partis abdominis, niger, terebra castanea aut fusca.

Mares et feminas hujus speciei vulgaris cepi, mensibus Augusti et Septembris, circa *Gottingam* et passim in *Silesia*, in fruticetis, rarius in umbel-

latis, unam feminam mense Maji. Plures transmissi sunt, circa *Berolinum Hannoveram Sickershausen Norimbergam Niesky Netley,* nec non in *Hercynia Austria Tauria* et *Lusitania,* lecti. Feminas quoque accepi e *Regione pedemontana, Genua* et *Hungaria.* — Larva hujus speciei prorepit mihi, autumno, e *Noctuae artemisiae* larva, quae, mutationem subitura, jam fila quaedam neverat. Folliculum sibi construebat cylindricum, longitudine 6 latitudine 2½ linearum, obscuro-badium, annulo medio sordide-testaceo obsoleto. Individuum masculum hujus speciei prodibat die 1 Aprilis anni sequentis. — Tres aliae larvae degerant in larvis noctuae cujusdam: autumno paraverant sibi singulae folliculum ovato-cylindricum badio-nigrum unicolorem membranaceo-corneum, longitudine 6—7 latitudine 2 linearum, e quorum singulo, mense Maji anni sequentis, femina hujus speciei prodibat.

Synonyma:

Ichn. Reaumur VI, p. 310, tab. 30, fig. 9—12; larva habitat in *larve à brosse du chataigner,* netque sibi folliculum nigrum, cingulo medio albo (conferas notam ad *Oph. obscurum,* n. 135).

Ichn. luteus Rossi Faun. n. 785; variat admodum magnitudine: E folliculo *Bomb. Quercus* prodiit mihi unus eximiae magnitudinis, nempe longus 14 lin. Occurrit ruri

frequens. Cum aculeum habeat brevem acutum, acriter pungit.

Ichn. luteus Scharfenberg III, pag. 964, n. 18; mense Maji. Larva degit in larvis Geometrae pomonariae Hübn. et Geometrae pilosariae Vienn. aliarumque phalaenarum.

„ Jurine pag. 112 (*Anomalon luteum* Jurinei, quod Illiger, in Rossii Fauna, et Scharfenberg, citant, in opere Jurinei haud invenitur).

Ichn. ramidulus Scharfenberg p. 964, n. 19 (?); frequens mense Iunii; larva degit in larvis *Tenthredinis erythrocephalae* et *abietis.* (Haec species, secundum Scharfenbergium ipsum haud ad *Ichn. ramidulum* Linn. Syst. adhiberi potest. Nihilominus auctor laudat ad suam speciem Ichn. ramidulum Linn. Faun. Suec. et Fabr., qui mihi quidem bene cum ejusdem nominis Ichneumone Linn. Syst. convenire videntur. Quid sit annulus albus ad basin femorum posticorum, cujus Scharfenberg mentionem facit, nescio).

Nota:

Conferas notam ad *Ophionem luteum*, inter cujus synonyma quoque auctores invenies, quos Illiger, in Rossii Fauna, et Scharfenberg, ad Ichn. luteum adhibuerunt.

De *antennarum* et *partium oris* structura *Nees ab Esenbeck* haec mecum communicavit:

Antennae elongatae setaceae, apice revolutae, articulis 54: Radicula brevi angusta; scapo incrassato, oblique extrorsum dimidiato-ovato, concavo; pedicello parum exserto, cylindrico; articulo accessorio annuliformi; reliquis omnibus cylindricis discretis pubescentibus, leniter decrescentibus, apice tumidiusculo, extremis subovalibus, ultimo parvo acuto.

Clypeus transversus convexus laeviusculus oblongus, discretus linea profunde-impressa arcuata, cui utrimque punctum parvum insculptum, margine infero rotundato. — *Labrum* exsertum declive planum transversum, introrsum angustius, margine antico recto ciliato, angulis iisdem rotundatis. — *Mandibulae* arcuatae, oblique-trigonae, basi introrsum gibbae, margine supero apicem versus intumescente, hinc facie exteriori versus basin deorsum obliqua, apice profunde-bifidae, dentibus acutis inaequalibus, supero duplo longiore. — *Maxillae* labium amplectentes, at eo longiores: *Stipes* compresso-triqueter, facie infera coriacea plana laevi triangulari-elongata: *Mala* parte tertia stipitis brevior, membranacea biarticulata seu bipartita, articulo infero paulo majori, introrsum in angulum obtusum ascendentem dilatato, superiori minori subquadrato, margine supero introrsum obliquo, ciliato, exteriori angulo magis rotundato. — *Palpi maxillares* mala quadruplo longiores, pilosi recurvi quinque-articulati; arti-

culo 1 clavato truncato; 2 subcultrato, parum dilatato; reliquis filiformibus, ultimo tenuiori obtuso: Ratio longitudinis $\frac{3}{5}$. 4. $\frac{1}{2}$. — *Labium: Mentum* coriaceum obconico-compressum convexum laeve, margine supero rotundato, infra palpos obiter sinuato, nec dentato: *Lingua* menti dimidii longitudine, membranacea exilis ascendens subquadrata acuta bifida, laciniis contiguis, apice retusis, angulis obtusiusculis, deorsum arcte conniventibus in cucullum. — *Palpi labiales* lingua plus duplo longiores, pilosi filiformes quadriarticulati; articulo 1 clavato truncato; 2 fere obovato compresso latiore; 3 obconico, apice obliquo; 4 subcylindrico, basi aliquanto tenuiori, apice obtuso.

107[b.] P. INQUINATUS. n.

Testaceus, capite thoraceque fuscescentibus, oculis ocellisque nigricantibus. f. (aculeo brevi).

Haec species a *P. testaceo* antecedente et a *P. glaucoptero* insequente differt segmento 1 latiore, a *P. virgato*, n. 105, statura majore et crassiore.

Longitudo 7 — 9 linearum. *Caput* fuscum, pone oculos ferrugineo-testaceum, oculis ocellisque nigro-fuscis. *Antennae* fuscae aut fusco-ferrugineae. *Thorax* ferrugineo-fuscus, metathorace ferrugineo-testaceo. *Scutellum* rufo-testa-

ceum. *Alae* subhyalinae, stigmate testaceo, radio fusco, radice et squamula fuscis aut subtestaceis, areola uti in antecedente specie. *Pedes* rufo-testacei; antici fuscescentes, tibiis tarsisque pallidioribus aut testaceis. *Abdomen* capite thoraceque duplo longius, capitis latitudine, lateribus et ventre compressum, rufotestaceum, in altero individuo obsolete subfusco-nebulosum; segmento 1 apicem versus sensim paulo dilatato, latitudine fere quadruplo longiore. *Aculeus* ut in specie antecedente.

Duas feminas, circa *Netley* captas, *Hope* ad me misit.

Nota:

Suspicor quidem, colorem obscurum capitis thoracis et pedum anticorum praeternaturalem esse, sed quoque statura tota corporis et proportione segmenti primi haec species a confinibus se distinguit.

108. P. GLAUCOPTERUS.

Fulvus; oculis, abdominis apice, pectore, ut plurimum quoque metathorace, nigris. f. (aculeo brevissimo).

Longitudo 7—10 linearum. *Caput* oculis, mandibularum apice, plurimis etiam vertice, nigris. *Antennae* longitudine corporis, vel paulo longiores, subfiliformes, apicem versus nonnun-

quam fuscae. *Thorax* gibbulus; collo et pectore nigris; metathorace vel toto, vel lateribus solis, nigro, interdum punctis duobus dorsalibus rufis; prothoracis dorso rufo, plerumque linea una, rarius earum tribus, nigricantibus longitudinalibus. *Scutellum* gibbum rufum. *Alae* subamplae, fulvohyalinae, stigmate radio radice et squamula fulvis; areola subregulari sessili. *Pedes* elongati fulvi, saepe coxarum posteriorum basi nigra. *Abdomen* thorace duplo aut plus duplo longius, forma et segmenti primi proportione sicut in specie antecedente; segmentis 5—7 nigris, 5 plerumque ventre aut basi rufo. *Aculeus* exsertus brevissimus testaceus; stylis duobus ut plurimum supra aculeum exsertis, subclavatis, illo multo brevioribus et gracilioribus, rufescentibus, apice fusco.

Cepi hanc speciem mense Augusti, in umbellatis, circa *Cudovam.* Pluria individua ad me transmissa sunt, circa *Vratislaviam, Warmbrunn, Berolinum, Vindobonam,* nec non in *Gallia, Regione pedemontana, Volhynia, Fennia,* lecta.

Varietas:

1. *Pectore et metathorace immaculatis.* m. — *Statura* et proportio partium omnino *Panisci testacei*, n. 107, cujus forsan varietas haec est, cum etiam individua *P. testacei* inveniantur abdominis apice fusco (licet haud nigro, sicut in hac varietate). Individua omnia feminina *glaucopteri* genuini, statura majore et crassiore, praeprimis capite multo majore, ab hoc mare, et ab omnibus

P. testacei individuis, tam femininis quam masculinis, differunt. — *Longitudo* 7⅓ linearum. *Caput* fulvum, facie flavicante, oculis et ocellis fuscis, mandibulis apice nigro. *Antennae* apice fusco. *Thorax* testaceo-fulvus; lineis tribus longitudinalibus latis in dorso prothoracis, maculaque dorsali metathoracis, fuscis. *Alae* subfumatohyalinae, radio fuscescente, stigmate radice et squamula stramineis; areola subirregulari subsessili.

Hunc marem cepi die 25 Iunii, anni 1817, in fruticeto prope *Scheidnich*.

Synonyma:

Ichn. glaucopterus Linn. Faun. n. 1630. — Syst. ed. XII, pag. 938, n. 57; habitat in sepibus.
„ Fabr. Syst. p. 341, n. 79. — Ent. II, p. 181, n. 198.
„ Müll. Prodr. p. 159, n. 1845.
„ Schrank Berchtesg. n. 94.
„ Gmelin ed. Linn. p. 2710, n. 57.
„ Villers pag. 199, n. 208; in Gallia, prope Lugdunum, lectus.
„ Rossi Faun. n. 786.
„ Christ p. 359 (ubi autem, pro ein schwarzer Ichneumon mit gelber Brust, legendum est ein gelber Ichneumon mit schwarzer Brust).
„ Olivier p. 196, n. 163.
„ Schrank Boica n. 2055; longitudine 6½ linearum.
„ Latreille Crust. XIII, p. 184, n. 19.

Ichn. glaucopterus Thunb. Ichn. n. 227.
Ichn. Geoffroii pag. 331, n. 23 (Ichneum. Linn. Faun. n. 969, a Geoffroio citatus, huc haud spectat, sed ad *Oph. ramidulum*).
Ichn. ramidulus Fourcr. p. 400, n. 23 (haud Ichn. ramidulus auctorum).
Ophion glaucopterus Fabr. Piez. p. 133, n. 14; in hortis.
„ Walckenaer p. 72, n. 2.
„ Panzer ad Schaeff. Icon. tab. 82, fig. 3.

109. P. FUSCIPENNIS. n.

Testaceus, alis fuscis, oculis pectore et abdominis apice nigris. f. (aculeo brevissimo).

Statura et proportio partium omnino speciei antecedentis.

Longitudo 7—fere 9 linearum. *Caput* oculis ocellis et mandibularum apice nigris. *Thorax* collo rufo aut nigro; pectore et metathoracis parte infera nigris, interdum puncto dorsali ante collum, suturaque inter prothoracem et metathoracem, nigris; plerumque linea una aut lineis tribus longitudinalibus dorsalibus prothoracis fuscis obsoletis. *Scutellum* gibbum fulvum. *Alae* fuscae, basi fulvo-hyalinae; stigmate fulvo, apicem versus plerumque fusco; radio fusco, basin versus testaceo; radice et squamula testaceis; areola subirregulari sessili. *Pedes* testaceo-rufi, coxis rufis.

Abdomen testaceum; segmento 5 margine aut macula dorsali nigro, rarius nigro, ventre testaceo, rarissime toto nigro; 6 et 7 nigris, margine ventrali summo fulvo. *Aculeus* rufus brevissimus.

Feminas octo accepi, circa *Parmam, Genuam* et in *Regione pedemontana* lectas.

FAMILIA III,

seu subgenus:

ANOMALON.

Abdomine compresso, supra carinato, petiolo longo tenui; areola nulla; pedibus gracilibus longis, tarsis posticis crassiusculis; (aculeo brevi).

Caput breviusculum transversum, plurimis postice solito profundius excavatum. — *Oculi* ovales. — *Antennae* graciles aut mediocres, longitudine variabili, nonnullis vix dimidii corporis longitudine, aliis fere longitudine totius corporis. — De antennis et partibus oris consule notam ad *A. cerinops.* — *Thorax* gibbus. — *Scutellum* vel triangulare apice obtuso, vel subquadratum, plurimis plus minus convexum aut gibbulum, *A. perspicillatori* planius quam reliquis. — *Alae* mediocres, areola nulla. — *Pedes* elongati graciles; postici tarsis crassioribus. — *Abdomen* petiolatum compressum longum laeve nitidum, superne carinatum, thorace plus duplo longius et illo multo angustius, a latere visum altitudine apicem versus sensim crescente; segmentis duobus anterioribus longissimis tenuibus teretiusculis, secundo interdum subcompresso. Segmentum primum petiolo longo gracili, vix paulo angustiore quam pars antica, sed triplo aut quadruplo longiore, illa subquadrata convexiuscula. — *Aculeus* exsertus brevis.

Relationis hujus familiae ad *Scolobatas, Campopleges* et *Paniscos* supra jam mentio facta est. — Quibusdam Anomalis, praeprimis *tenuitarso,* tarsi postici quidem paulo graciliores quam reliquis sunt, semper attamen crassiores quam *Cremastis,*

quibus caeterum Anomala, forma abdominis, defectu areolae etc. propius adpropinquant quam ulli alio subgeneri, nam *Pachymeri* discrepant femoribus posticis clavatis, *Ophiones* et *Trachynoti* cellula interiore nervos duos recurrentes excipiente. *Anomalon fibulator, villosum* et *pallidum*, quibus nervus recurrens alter coincidit cum nervo, cellulas duas cubitales sejungente, quodammodo medium tenent inter Anomala et Trachynotos; idem etiam de *A. uniguttato* obtinet, quod insuper corpore graciliore nigro ad Trachynotos propius accedit. *A. ferrugator*, in quo nervus ille fere jam a cellula interiore recurrit, magis magisque Trachynotis adpropinquat; sed omnia Anomala allegata, tarsis posticis crassioribus et latioribus, bene a Trachynotis etc. distinguuntur. — Species abdomine longiore et graciliore, v. c. *A. cerinops, flaveolatum, clandestinum*, aliquam manifestant relationem ad *Macros*, sed defectu areolae, tarsisque posticis latioribus, differunt. — *Hellwigia* tandem, praeter nervos duos recurrentes cellulae interioris, tarsisque posticis gracilibus, imprimis antennis incrassatis, discedit.

SECTIO I.

Scutello flavo.

An. circumflexi var. scutello nigro, sectioni 2 respondet.

E *sectione* 2 autem *A. arquatum*, scutello rubricoso, et *A. flaveolati* individua, scutello ferrugineo-maculato aut toto rufo, propius accedunt ad hanc sectionem.

---

110. A. ENECATOR.

Abdominis medio lateribus rufis; pedibus rufis, tibiis posticis apice nigris, coxis flavis; facie et linea ante alas flavis. m. f. (aculeo longitudine tertiae partis abdominis).

Longitudo 4¾ — 6½ linearum. *Caput* ore facie et orbitis oculorum omnibus, exceptis interdum frontalibus et verticalibus, flavis, mandibularum apice nigro. *Antennae* dimidio corpore vix paulo longiores, subfiliformes, apice subcurvatae, nigrae, articulo 1 subtus flavescente, interdum 5 — 13 subtus ferrugineis, sensim obscurioribus. *Thorax* gibbulus, linea ante alas, plerumque puncto infra alas, flavis. *Scutellum* flavum, rarius medio nigrum. *Alae* breves, mari vix corporis dimidii longitudine, feminae paulo longiores et latiores; subfumato-hyalinae, stigmate testaceo aut subpiceo, radio fusco aut subpiceo, radice et squamula flavis. *Pedes* mediocres subelongati; anteriores fulvi, coxis et trochanteribus flavis; postici rufi, coxis mari pallide-flavis, rarius supra rufis, feminae rufis interdum basi nigra, basi trochanterum et femorum nigra, tibiis vel rufis apice nigro, vel nigris, ante basin annulo lato rufo, introrsum pallidiore. *Abdomen* maris thorace plus quadruplo longius, feminae paulo brevius; segmento 1 rufo, petiolo nigro; 2—5 vel rufis dorso nigricante, vel nigris, ventre rufis; 6 et 7 nigris,

plerumque ventre rufescente. *Aculeus* longitudine tertiae partis abdominis, seu paulo brevior, niger, tenerrime pilosellus.

Marem unum *Dahl* ex *Austria* transmisit; alterum, eumque maximum, vertice toto nigro, puncto infra alas deficiente, scutello medio nigro, coxis posticis supra rufis, ab illo discedentem, *Hope* cepit circa *Netley*. Feminam *Manger* cepit circa *Warmbrunn*, alteram *Sahlberg* e *Fennia* mecum communicavit.

Synonyma:

Ichn. enecator Rossi Faun., n. 777; habitat ruri.

111. A. BIGUTTATUM. n.

Abdomine rufo, apice nigro; pedibus rufis, posticorum coxis et apice tibiarum nigris; antennis rufis; facie et maculis duabus metathoracis flavis. f. (aculeo perbrevi).

Statura tota et proportio partium feminae sequentis; corpore toto tamen antennisque paulo gracilioribus.

Longitudo 6½—8 linearum. *Caput* ore, facie, orbitisque oculorum ad verticem et genas flavis. *Antennae* dimidio corpore longiores, setaceae; articulis 1—3 nigris, subtus pallide flavicantibus; 4—16 rufis, supra ferrugineis, sensim pallidioribus, reliquis fulvis, sensim pallidioribus. *Thorax* maculis duabus magnis sublateralibus metathoracis,

puncto infra scutellum, altero infra alas anticas, tertio infra alas posticas, flavis; colli margine infero rufescente. *Scutellum* flavum. *Alae* testaceo-fuscescenti-hyalinae, stigmate fulvo aut rufo, radio piceo, radice et squamula flavis. *Pedes* anteriores flavi, femoribus fulvis, coxis basi rufis nigromaculatis; postici rufi, coxis et trochanteribus nigris, his apice rufo, femoribus basin versus ut plurimum subfuscescentibus, tibiis a medio ad apicem nigris; tarsis pallide-flavis. *Abdomen* rufum; segmento 2 dorso nigro; 5 nigro, lateribus rufis; 6 et 7 nigris. *Aculeus* exsertus brevissimus testaceo-flavus subclavatus, terebra fusca.

Plures cepi feminas, initio Octobris, *Trajecti ad Viadrum,* prope Buschmühle, pinos sylvestres circumvolitantes.

112. A. CIRCUMFLEXUM.

Abdomine rufo, apice nigro; pedibus rufis, coxis nec non femorum tibiarumque posticorum apice nigris; antennis rufis; facie flavo-maculata. m. f. (aculeo perbrevi).

Longitudo 8 — 10 linearum. *Caput* palpis et labro, interdum quoque mandibularum medio, flavis; clypeo vel toto, vel linea transversali, rarius solo puncto, flavo, rarissime toto nigro; linea faciei longitudinali, latiore aut angustiore, rarissime in punctum parvum contracta, mari rarissime facie tota, orbitis oculorum internis et puncto

ad orbitas verticis, flavis aut ferrugineis; orbitis externis ferrugineis, nonnunquam tenuissimis. *Antennae* dimidio corpore paulo longiores paulove breviores, setaceae, apice incurvae, rufae; articulis 1 et 2, interdum quoque 3, nigris, 1 nonnunquam subtus flavo aut rufo. *Thorax* gibbulus punctus; sutura laterali inter prothoracem et metathoracem plerumque rufescente. *Scutellum* flavum, aut aurantiacum, aut ferrugineum. *Alae* mediocres, flavo- aut fulvo-hyalinae; stigmate radio radice et squamula rufis aut fulvis. *Pedes* elongati rufi; anteriores dilutiores, plerumque tibiis tarsisque, interdum etiam femorum apicibus, flavicantibus, coxis nigris, mari ut plurimum subtus flavicantibus; postici coxis, nec non tibiarum et femorum apice, praecipue subtus, nigris, tarsis fulvis aut flavis, articulo 1 basin versus rufo. *Abdomen* capite thoraceque triplo aut plus duplo longius, apice mari obtusum feminae truncatum, rufum; segmento 1 rarissime medio nigro; 2 dorso, a basi ultra medium, nigro; 3 rarissime ventre nigro; 4 plerisque ventre nigro; 5 vel solo ventre, vel etiam dorso, vel toto, nigro; 6 et 7 totis nigris. *Aculeus* tertia thoracis parte brevior, niger aut fuscus.

Mares et feminas legi, mense Augusto, circa *Cudovam*, in umbellatis fruticetis et pino sylvestri; par quoque circa *Trajectum ad Moenum* captum, accepi. Mares feminis multo rariores obveniunt, harumque plures mecum communicatae sunt, circa *Warmbrunn*, *Langenau*, *Beroli-*

num, *Hannoveram*, in *Hercynia*, circa *Sickershausen*, *Norimbergam*, *Parisios*, *Monspessulanum*, *Parmam*, *Netley*, nec non in *Regione Pedemontana*, *Volhynia* et *Fennia*, lectae. *Netleyana* a reliquis differt capitis picturis flavis minutissimis.

Varietas:

1. *Scutello toto nigro*. f. — Caetera feminis genuinis plurimis respondent; pedes anteriores tamen individui alterius rufi sunt, haud diluti, coxis vero nigris.

Specimina duo *Sahlberg* e *Fennia* transmisit.

Synonyma:

Ichn. circumflexus Linn. Faun. Suec., n. 1631. — Syst. nat. ed. XII, p. 938, n. 59.
" Fabr. Syst. p. 341, n. 80. — Ent. Syst. II, p. 181, n. 199.
" Müll. Prodr. n. 1846.
" Gmelin ed. Linn. p. 2710, n. 59.
" Villers p. 199, n. 209; in Bressia non rarus.
" Olivier p. 197, n. 164 (? in descriptione nec abdominis apicis nigri, nec geniculorum nigrorum, ulla fit mentio).
" Panzer ad Schaeff. Icon. tab. 225, fig. 4 (? Nec scutellum et tarsi postici flavi, nec femorum posticorum genicula nigra picta sunt; forma abdominis quoque naturae haud respondet).
" Thunb. Ichn., n. 503.

Ichn. ramidulus Christ tab. 37, fig. 2; (cave ne hunc cum *Ophione ramidulo* vero confundas).
Ophion circumflexus Fabr. Piez. p. 133, n. 15.
„ Walckenaer p. 73, n. 3.

Nota:

Ichneumon Albini tab. 7, qui plerumque ad *Oph. ramidulum* adhibetur, melius ad *Anomalon circumflexum* quadrat, a quo tamen, longitudine 14 linearum, antennis apice fuscis, segmentis 1—3 totis rufis, sequentibus totis nigris, differt. Proveniebat e larva *Sphingis ligustri.*

Ad nostrum *circumflexum* haud referri possunt: *Ichn. circumflexus* Rossii Faun., n. 788, de quo jam Illiger, in Rossii Faun. ed. II monuit, eum forsan Banchi speciem esse; nec *Ichn. circumflexus* Christii p. 360, scutello thoraci concolore, qui tamen varietati Anomali nostri respondere posset; nec *Ichn. circumflexus* Scharffenbergii p. 965, n. 20, longitudine 14 linearum, capite toto nigro, abdominis apice haud nigro, etc.

113. A. GIGANTEUM. n.

Abdomine rufo, basi et apice nigro; pedibus rufis, coxis nigris testaceo-maculatis, apice femorum tibiarumque posticorum nigro; thoracis lateribus testaceo-notatis; facie flavo-maculata. m. f. (*mas* facie tota flava).

Statura et proportio partium omnino speciei antecedentis.

Longitudo 12—13 linearum. *Caput* palpis, macula mandibularum, labro, clypeo, macula magna seu linea longitudinali faciei, mari facie tota, orbitis oculorum internis et externis, flavis. *Antennae* rufae; articulis 1 et 2 nigris, 1 mari subtus pallido. *Thorax* puncto infra scutellum, plerumque altero parvo sub alis, testaceis; lineola ferruginea, nonnunquam obsoleta, seu macula testacea, laterali, ante coxas medias; metathorace maris lateribus toto nigro, feminae macula ferruginea obsoleta, aut testacea, ante coxas posticas. *Scutellum* flavum. *Alae* fulvo-hyalinae, stigmate ferrugineo aut fulvo, radio fusco, radice et squamula testaceis. *Pedes* anteriores flavo-testacei, coxis maris totis flavis, feminae nigris, subtus testaceis aut ferrugineis, mediis interdum fere totis nigris; postici rufi, coxis nigris, subtus macula testacea aut ferruginea, interdum obsoleta, apice femorum et tibiarum nigro, tarsis flavis, articulo 1 basin versus fulvo aut rufescente. *Abdomen* segmento 1 petiolo nigro; 2 dorso ultra

medium nigro; 3, 4 et 5 linea longitudinali laterali nigra, 3 interdum toto rufo; 6 vel toto nigro, vel ventre et macula laterali rufis; 7 nigro. *Aculeus* niger.

Par hujus speciei, circa *Vratislaviam* captum, mecum communicatum est; duas feminas vidi in museis *Comitis de Hoffmannsegg* et *Klugii.* Femina *Hartliebio* prorepit e pupa *Bombycis trifolii.*

SECTIO II.

Scutello nigro, rarius rufo.

An. arquatum et individua nonnulla *flaveolati*, scutello rubricoso aut rufo aut ferrugineo-maculato, respondent sectioni 1.

E *sectione* 1 varietas *circumflexi*, scutello toto nigro, ad hanc sectionem 2 spectat.

---

114. A. AMICTUM.

Abdomine rufo, segmenti secundi dorso nigro; pedibus rufis, tibiarum posticarum apice nigro; antennis apicem versus testaceis. m. f. (*mas* coxis anterioribus flavis).

Longitudo maris 7½—9, feminae 9—12 linearum. *Caput* ore facie, interdum quoque genis, plerumque autem orbitis oculorum externis, flavis. *Antennae* corpore breviores, porrectae, apice subcurvae; articulo 1 ferrugineo, subtus flavo, supra interdum macula nigra; sequentibus ferrugineis, mari interdum testaceis, sensim pallidioribus, ultimis dilute-fulvis aut testaceis. *Thorax* gibbulus. *Alae* mediocres flavo-hyalinae; stigmate radice et squamula feminae rufis aut ferrugineis, mari testaceis, radio fusco. *Pedes* elongati rufi; anteriores pallidiores, tibiis tarsisque plerumque flavis, coxis et latere infero trochanterum mari flavis; postici longissimi, coxis interdum basi seu fere totis nigris, tibiis apice nigris, tarsis flavis, articulis 1 et 2 interdum rufis, mari latioribus quam in ulla alia specie, excepto forsan *A. signato*, 2 oblongoovato, subtus profunde canaliculato, 5 interdum rufo. *Abdomen* capite thoraceque fere quadruplo longius, mari paulo brevius, apice mari obtuso, feminae truncato, rufum, apicem versus interdum ferrugineum; segmento 2, rarius quoque 1, dorso nigro. *Aculeus* quarta thoracis parte brevior,

vaginis stramineis subpilosellis compressis, terebra rufa. *Genitale masculum* breve obtusum conicum, fuscum aut nigrum.

Mas *Richtero* proveniebat e larva *Bombycis processioneae;* duos alios mares, eosque minores, antennis pedibusque pallidioribus, cepi in *Sudetis Silesiae,* mense Augusti. Feminae plures, circa *Vratislaviam, Grunwitz, Berolinum, Hannoveram, Norimbergam,* nec non in *Tauria, Volhynia* et *Regione pedemontana*, lectae, mecum communicatae sunt.

Synonyma:

Ichn. amictus Fabr. Syst. p. 341, n. 78; habitat in Anglia. — Ent. Syst. II, p. 181, n. 197.
„ Gmel. ed. Linn. p. 2710, n. 183.
„ Villers p. 200, n. 213.
„ Christ p. 361.
„ Olivier p. 196, n. 162.
Ophion amictus Fabr. Piez. p. 133, n. 11.

115. A. PROCERUM. n.

Abdomine rufo, apice et segmenti secundi dorso nigris; pedibus rufis, tibiarum posticarum apice nigro; facie flava; antennis rufis. f.

An varietas feminae sequentis? a qua haec capite paulo latiore, antennis paulo brevioribus, abdomine, a latere viso, paulo crassiore, differt.

Longitudo 7 linearum. *Caput* ore et facie flavis, orbitis externis oculorum ferrugineis. *Antennae* corpore dimidio parum breviores, filiformes, rufo-ferrugineae, articulis 1 et 2 subtus flavis. *Thorax* puncto obsoleto ad radicem alarum, nec non sutura laterali inter prothoracem et metathoracem, ferrugineis. *Alae* fumato-hyalinae; stigmate radio et radice testaceis, squamula rufo-ferruginea. *Pedes* rufi; anteriores tibiis tarsisque flavicantibus; postici tibiis apice nigris, tarsis flavis, articuli primi basi fulva. *Abdomen* segmento 2 dorso medio, 5 ventre et apice, 6 dorso et ventre, 7 dorso, nigris. *Aculeus* longitudine quartae partis thoracis.

Feminam *berolinensem* vidi in museo *Klugii;* alteram *Besser* e *Volhynia* ad me transmisit.

X calcator

116. A. XANTHOPUS. ♂

Abdomine rufo, apice et segmenti secundi dorso nigris; pedibus anterioribus flavis, posticis rufis apice tibiarum coxisque nigris; facie flava. m. f.

Statura et proportio partium *Anom. amicti,* n. 114, abdomine tamen plerumque breviore.

Longitudo 5½—9 linearum. *Caput* ore facie, ut plurimum quoque parte genarum seu orbitarum externarum, flavis, plerisque puncto flavo aut ferrugineo ad orbitas oculorum in vertice, mandibulis basi et apice nigris. *Antennae,* colore

variabili, vel rufo-ferrugineae, articulis 1—3 nigris, vel apicem versus pallidiores articulis ultimis fuscis, vel superne totae fuscae aut nigrae; articulo 1 maris semper subtus flavo. *Thorax* maris nonnunquam puncto infra alas, suturaque laterali inter prothoracem et metathoracem, obsolete-testaceis. *Alae* plus minus fumatohyalinae, stigmate radice et squamula ferrugineis aut rufo-stramineis, radio fusco aut testaceo. *Pedes* anteriores maris flavi, femoribus plerumque rufis aut fulvis, coxis plerumque basi nigris, feminae fulvi, antici tibiis coxis et trochanteribus subtus flavis, coxis supra nigris; postici rufi, coxis, apice tibiarum, nonnunquam etiam trochanterum basi, nigris, interdum tibiarum basi et trochanterum apice mari flavis, tarsis flavis, plerumque articuli primi basi et articulo quinto rufis aut croceis. *Abdomen* capite thoraceque triplo longius, rufum; segmento 2 dorso nigro; 5 rarius toto rufo aut solo margine nigro, plurimis dorso et lateribus nigro; 6 et 7 dorso et lateribus, interdum etiam ventre, nigris. *Aculeus* longitudine quartae partis thoracis, vaginis testaceis.

Maris individuum unum *Roentgen* cepit in *Hercynia*, mense Iunii; quaedam alia in *Regione pedemontana* lecta, mihi missa sunt. Unicam feminam *Nees ab Esenbeck* cepit circa *Sickershausen*.

Varietates:

1. *Pedibus rufis, coxis omnibus et tibiarum posticarum apice nigris.* f. — *Longitudo* 7 linea-

rum. *Antennae* rufae, articulis 1—3 nigris. — Caetera ut in plurimis individuis genuinis.

Unicam feminam, circa *Netley* captam, *Hope* mecum communicavit.

2. ? *Coxis posticis rufis.* m. — *Longitudo* 7 linearum. *Caput* ut in plurimis genuinis. *Antennae* superne ferrugineae; inferne articulo 1 flavo, sequentibus rufis, sensim obscurioribus, ultimis nigro-fuscis. *Thorax* sutura laterali inter prothoracem et metathoracem, hujusque apice, stramineo-fulvis. *Alae* fulvo-hyalinae, stigmate radio radice et squamula testaceo-fulvis. *Pedes* anteriores flavi, femoribus fulvis; postici rufo-fulvi, coxarum basi et tibiarum apice nigris, tarsorum articulis 2—4 flavis. *Abdomen* segmento 1 rufo; 2 rufo, dorso nigro; 3 rufofusco, dorso rufo; 4—6 nigro-fuscis, lateribus sordide-rufescentibus; 7 toto nigro. (Conferatur nota).

Marem unicum, circa *Dresdam* captum, *Baro de Block* mecum communicavit.

Synonyma:

Ichn. xanthopus Schrank Austr. n. 749; longitudine maris 9, feminae 14 linearum.
„ Gmel. ed. Linn. p. 2711, n. 188.
„ Villers, p. 201, n. 216; habitat in Gallia.
Ophion xanthopus Fabr. Piez. p. 133, n. 13.

Nota:

Ichn. xanthopus Olivier pag. 197, n. 165 et Schrank Boic. n. 2052, nec non *Ichn.* Geoffroii

p. 331, n. 22, seu *Ichn. melanocephalus* Fourcroy p. 400, n. 22, quem auctores illi huc referunt, haud ad nostram speciem adhiberi possunt, nam Olivier et Geoffroi nec faciei flavae, nec abdominis apicis nigri, ullam faciunt mentionem, sed caput totum nigrum describunt. Schrank autem, in Fauna Boica; l. c. dicit, caput esse totum nigrum, apicem abdominis mari nigrum feminae concolorem.

Varietas 2 descripta mihi dubia est, pedibus enim posticis, imprimis tarsis eorum, crassioribus, a specie genuina non solum, sed quoque a reliquis speciebus confinibus, discedit, magisque cum mare *amicti* convenit.

116[b]. A. RUFICORNE. n.

Abdomine rufo, segmentis 1, 2, 6 et 7 dorso nigris; antennis rufis; facie flava; pedibus rufis, anticis dilutioribus, tibiis posticis apice nigro. m. f.

Statura et proportio partium *A. amicti,* n. 114. Ab Anomalo praecedente hoc differt antennis abdomineque longioribus, pedibus paulo crassioribus.

Longitudo 7—9 linearum. *Caput* ore facie genis et puncto ad orbitam verticis flavis. *Antennae* graciles, corpore paulo breviores, rufae, apicem versus dilutiores, apice ipso fusco, articulo 1 subtus flavo. *Thorax* sutura laterali inter prothoracem et metathoracem, hujusque apice summo,

rufescentibus. *Alae* fumatohyalinae, stigmate radice et squamula testaceo-fulvis, radio ferrugineo. *Pedes* anteriores maribus flavi, femoribus fulvis, feminis dilute rufi tibiis externe flavis; postici rufi, coxarum basi et tibiarum apice nigris, tarsis flavis basi articuli primi fulva. *Abdomen* capite thoraceque fere quadruplo longius, rufum; dorso segmenti 2 et partis anticae segmenti 1 nigro; segmentis 6 et 7, feminae quoque 5, nigris, lateribus rufis. *Aculeus* brevissimus, ut in antecedentibus.

Duos mares, unamque feminam, circa *Netley* captos, *Hope* ad me misit.

117. A. BREVICORNE.

Abdomine rufo, apice et segmenti secundi dorso nigris; pedibus anterioribus vel flavis (*mari*) vel rufis (*feminae*), coxis nigris, posticis rufo-nigroque alternantibus; antennis brevibus rufis. m. f. (*mas* facie flava).

Statura et proportio partium speciei sequentis, sed antennis rufis multo brevioribus, tarsis posticis paulo crassioribus, differt.

Longitudo 8—9 linearum. *Caput* feminae nigrum, mandibulis interdum medio ferrugineis, puncto testaceo inter antennas et oculos, orbitis oculorum genalibus obscuro-ferrugineis; mari ore facie et orbitis oculorum genalibus flavis, puncto obsoleto testaceo ad orbitas verticales. *Antennae*

subsetaceae, capitis thoracisque longitudine, cinnamomeae aut subfulvae, mari articulis 1—3 supra nigris, 1 et 2 subtus flavis, feminae articulis 1—3 totis nigris. *Alae* rufo-hyalinae, stigmate radio et radice rufis aut fulvis, squamula ferruginea aut fusca. *Pedes* anteriores maris flavi, femoribus extrorsum fulvis, coxis totis nigris, feminae rufi, coxis totis et trochanteribus supra aut basi nigris, femoribus anticis subtus flavicantibus; postici coxis nigris, trochanteribus rufis, mari subtus flavis, femoribus nigris, basin versus rufis, tibiis flavicantibus aut rufis, apice nigris, tarsis maris fuscis, articulo 1 flavo, feminae flavis aut rufis, articulis 4 et 5, vel etiam 3, fuscis. *Abdomen* segmento 2 dorso nigro; segmentis 5—7, feminae etiam apice quarti, rarius quoque puncto dorsali primi, nigris. *Aculeus* niger, longitudine quartae partis thoracis.

Mares duos cepi prope *Vratislaviam*, feminas duas, in prato aprico prope *Sibyllenort*, mense Iunii.

Nota:

Sahlberg transmisit feminam, capite carentem, indeque valde dubiam, longitudine 6 linearum; pedibus anterioribus dilute-rufis, trochanteribus et coxis stramineis, his basi nigris; tarsis posticis fulvo-rufis, articulis 4 et 5, basique primi, rufis; aculeo longitudine dimidii thoracis; caeteris cum *A. brevicorni* genuino convenientem.

118. A. CERINOPS. n.

Abdomine rufo, apice et segmenti secundi dorso nigris; pedibus anterioribus flavo-fulvis, coxis nigris; posticis nigris, tarsis et tibiarum basi fulvis; facie flava. m. f.

Statura et proportio partium omnino *circumflexi*, n. 112, sed antennis gracilioribus.

Longitudo 5—9 linearum. *Caput* facie et ore flavis, mandibulis plerumque basi apiceque nigris, orbitis oculorum externis interdum rufis. *Antennae* nigrae, articulo 1 subtus flavo. *Alae* mediocres, flavo-hyalinae; stigmate radio et radice fulvis aut stramineis, squamula ferruginea aut fusca. *Pedes* anteriores coxis nigris, trochanteribus femoribusque fulvis, tibiis tarsisque flavis aut fulvis; postici coxis et trochanteribus nigris, his apice fulvo aut rufo, femoribus vel nigris, summa basi summoque apice rufis, vel fuscis, basi apiceque fulvis, tibiis rufis aut fulvis, rarius flavis, apice semper nigris, tarsis fulvis aut flavis. *Abdomen* segmentis 1—4 rufis, 2 linea dorsali longitudinali nigra aut fuscescente, 4 nonnunquam apice aut margine laterali nigro; 5—7 nigris, 5 interdum basi aut lateribus rufo. *Aculeus* longitudine quartae partis thoracis, ferrugineus aut stramineus, aut fuscus apice stramineo.

Mares feminasque cepi, mensibus Iulii—Septembris, in fruticetis et gramine, circa *Vratislaviam* et *Gottingam*. Alios mares accepi, circa

Cudovam Warmbrunn Berolinum Sickershausen Hannoveram et *Netley* lectos. *Bonelli* marem cepit in *Alpibus*, mense Iunii. Feminam praeterea cepi prope *Reinerz* in prato, mense Septembri; duaeque aliae, circa *Norimbergam* et in *Hungaria* captae, mecum communicatae sunt.

Synonyma:

Ophion flavifrons Grav. Uebers. n. 3790 (*Ophion flavifrons* Fabr. et *Ichneum. flavifrons* auctorum multum ab illo differunt).

Nota:

Conferas quae de varietate *Anom. fibulatorii* monebo.

De *antennis* et *oris partibus Nees ab Esenbeck* haec mecum communicavit:

Antennae longae setaceae rectae, articulis 40: Radicula angusta pateraeformi; scapo brevi crasso cylindrico truncato, apice recto et parum concavo; pedicello exserto cylindrico, longitudine fere latitudinis; accessorio maxime conspicuo, pedicello vix ultra dimidium breviore, subpateraeformi; cunctis reliquis cylindricis decrescentibus pubescentibus; quinto longissimo subrecurvo, extremis quoque diametrum longitudine superantibus, ultimo paulo longiori tenuiori acuto.

Clypeus obsolete-discretus convexus, margine supero inferoque arcuatis, utrimque impressus. — *Labrum* exsertum perpendiculare semicirculare ciliatum. — *Mandibulae* subarcuatae subtriangu-

lares latiusculae, facie exteriore concava, marginibus prominulis, supera angustissima, apice acute bifidae; dentibus inaequalibus acutis, infero multo breviore. — *Maxillae* labii longitudine, idque arcte amplectentes, totae membranaceae (subcoriaceae pellucidae): *Stipes* lineari-lanceolatus planiusculus obsolete-unisulcatus pubescens: *Mala* longitudine stipitis, biarticulata; lobo infero majori, introrsum dilatato in lobum magnum rotundatum ascendentem ciliatum, superiori subquadrato, margine supero rotundato ciliato. — *Palpi maxillares* mala triplo longiores, setacei recurvi pilosi quinquearticulati; articulis subaequalibus, 3 paulo longiori, 4 breviori, 1 obconico truncato, 2 cultrato, reliquis subcylindricis, 3 compressiusculo, 5 tenuiore obtuso. — *Labium*: *Mentum* corneum obconico-compressum convexum laeve glabrum, apice truncatum, utrinque, infra singulum palpum, obsolete-dentatum: *Lingua* mento brevior, membranacea ascendens subquadrata, lateribus deflexis, apice truncata, angulis rotundatis. — *Palpi labiales* lingua circiter duplo longiores, filiformi-cuspidati pilosi quadriarticulati; articulo 1 longiori clavato-truncato, reliquis longitudine aequalibus, sed crassitie diversis, 2 obconico crassiori, 3 compresso obovato aut fere obcordato, 2 latiori, 4 denique abrupte-tenuiore subcylindrico acutiusculo.

119. A. SIGNATUM. n.

Abdomine rufo, apice et segmenti secundi dorso nigris; pedibus anterioribus fulvis, coxis et femorum mediorum macula nigris, posticis rufo-nigroque alternantibus; macula faciei flava. m.

Longitudo 7 linearum. *Caput* punctum, villis densioribus et longioribus quam in ulla alia hujus familiae specie vestitum; ore testaceo, macula faciei flava. *Antennae* subfiliformes, dimidio corpore longiores. *Thorax* gibbus, confertim punctus, villosus. *Alae* fumato-hyalinae, stigmate radio et radice fulvis, squamula ferruginea. *Pedes* anteriores flavi, coxis nigris, trochanteribus supra ferrugineis, femoribus anticis extrorsum rufo-ferrugineis, mediis ferrugineo-rufis, apice flavo, macula media nigra; postici coxis nigris, trochanteribus rufis, femoribus nigris basi rufa, tibiis flavis apice nigro, tarsis latissimis, fere latioribus quam in *An. amicto*, n. 110, articulo 1 ferrugineo basi flava, 2 ferrugineo apice flavo, reliquis flavis. *Abdomen* capite thoraceque vix duplo longius, rufum; segmento 2 dorso nigro; 3 ventre fuscescente; 4 nigro, macula laterali rufa; sequentibus nigris.

Marem unicum (*berolinensem*) vidi in museo *Klugii.*

120. A. MELANOBATUM. n.

Abdomine rufo, segmento secundo dorso, ultimis ventre, nigris; pedibus anterioribus flavis, coxis et femorum linea nigris, posticis apice femorum flavicante, tibiis rufis apice nigro; facie flava. m.

Statura et proportio partium *A. cerinopis,* n. 118, sed abdomine paulo breviore, tarsis posticis paulo brevioribus latioribusque, licet minus latis quam praecedenti speciei; cum *fibulatore* autem hic, situ nervi recurrentis secundi, congruit.

Longitudo 6—6⅓ linearum. *Caput* ore et facie flavis, orbitis oculorum occipitalibus obsolete-ferrugineis. *Antennae* articulo 1 subtus flavo. *Alae* subhyalinae, stigmate radio et radice fulvis, squamula nigra, nervo secundo recurrente coincidente cum nervo cellulas cubitales sejungente. *Pedes* anteriores flavi, coxis nigris, anticis interne nonnunquam macula flava, trochanteribus interdum supra nigris, femoribus supra vel nigris vel rufoferrugineis linea longitudinali fusca; postici nigri, trochanteribus apice rufo aut flavicante, interdum quoque femorum geniculo rufo-flavicante, tibiis vel rufis apice nigro, vel tantum extrorsum basi et medio ferrugineis, tarsis vel rufis, basi articuli 1 flava, vel articulo 1 rufo apice nigro, 2 nigro basi rufa, 3—5 totis nigris. *Abdomen* thorace duplo longius; segmento 1 vel rufo basi nigra, vel nigro margine rufo; 2 rufo, dorso nigro; 3 et 4

rufis aut ferrugineis, 4 interdum ventre nigro; 5 rufo aut ferrugineo, ventre, vel etiam lateribus, nigro; 6 et 7 vel cum quinto concoloribus, vel totis nigris; 3—7 praeterea interdum testaceo-marginatis.

Unum marem (*berolinensem*) vidi in museo *Klugii;* alterum, eumque majorem, pedibus abdomineque obscurioribus, *a Steven* transmisit ex *Iberia.*

121. A. FERRUGATOR. n.

Abdomine rufo, segmento secundo dorso, ultimis ventre, nigris; pedibus rufis, coxis et tibiarum posticarum apice nigris, facie ferruginea. f.

Statura et proportio partium *latronis,* sed nervi secundi recurrentis situ differt, magisque convenit cum specie antecedente, a qua tamen haec pedibus posticis longioribus et gracilioribus aliterque coloratis etc. nimis differt, quam quod pro ejus femina haberi posset.

Longitudo 6 linearum. *Caput* palpis et mandibulis testaceis, his basi et apice fuscis; facie et orbitis oculorum occipitalibus obscuro-ferrugineis. *Antennae* fuscae; subtus articulo 1 ferrugineo, 2 et 3 nigris, sequentibus ferrugineis, ultimis totis fuscis. *Alae* fumatohyalinae, stigmate radio et radice rufis, squamula fusca, nervis ut in specie antecedente. *Pedes* rufi; coxis nigris; tibia-

rum anteriorum et femorum anticorum latere infero, nec non basi articuli primi tarsorum posticorum, flavicantibus; tibiis posticis apice supra nigris. *Abdomen* rufum; segmento 2 dorso medio, 4—6 ventre, 5 quoque dorso, nigris. *Aculeus* rufus, longitudine quartae partis thoracis, vaginis subclavatis.

Unicam hujus speciei feminam (*berolinensem*) vidi in museo *Klugii.*

122. A. FLAVEOLATUM.

Abdomine rufo, apice et segmenti secundi dorso nigris; pedibus anterioribus fulvo-flavis, posticis rufis, coxis et tibiarum apice nigro-maculatis; facie flava (thorace saepe ferrugineo-maculato). m. f.

Statura et proportio partium *cerinopis* et *circumflexi*, sed pedibus brevioribus, antennis autem gracilioribus, differt.

Longitudo 3½—6 linearum. *Caput* facie, ore, parte genarum infera, plerisque puncto ad orbitas verticis, flavis; feminis plerumque orbitis oculorum frontalibus totis flavis, spatio autem inter has orbitas et genas rufo aut fulvo; maribus spatio hoc semper nigro, rarissime orbitis frontalibus totis flavis. *Antennae* plerisque nigrae, subtus fuscae aut fusco-ferrugineae, rarius totae fusco-ferrugineae, aut ferrugineae articulis 1—3 supra nigris;

articulo 1 subtus semper flavo, rarissime fere toto flavo, solo apice obscuriore. *Thorax* plerisque, imprimis tamen feminis, apice summo metathoracis, interdum etiam macula laterali prothoracis, suturisque lateralibus, rarius macula ante alas et colli margine laterali, ferrugineis; rarissime metathoracis parte fere dimidia postica flavoferruginea. *Scutellum* rarissime obsolete-ferrugineo-maculatum. *Alae* mediocres subbrev, es subhyalinae aut flavo-hyalinae; stigmate fulvo, rarius piceo aut fuscescente; radio ferrugineo aut fusco, radice et squamula ferrugineis aut stramineis. *Pedes* anteriores flavi aut fulvo-flavi, femoribus rufis aut fulvis, coxis mediis interdum fulvis; postici rufi, coxis vel nigris vel rufo-nigroque variis, trochanteribus plerumque basi nigris, tibiis apice nigro aut nigricante, interdum basi fusca; tarsis flavis, articulo 1 vel toto vel basi ferrugineo, vel ferrugineo apice flavo. *Abdomen* rufum; segmento 2 dorso nigro; sequentibus dorso et lateribus plus minus nigris aut fuscis, rarius totis nigris aut totis rufis. *Aculeus* longitudine tertiae partis thoracis, stramineus.

Mares feminasque legi passim in *Silesia* et circa *Gottingam*, mensibus Maji — Augusti, in fruticetis, rarius in gramine. Quaedam paria etiam accepi, circa *Berolinum Vindobonam* et *Netley* lecta; praetereaque mares, circa *Halam Saxonum*, *Trajectum ad Moenum* et *Aboam* lectos, feminasque, in *Hercynia*, circa *Hannoveram*, *Sickershausen* et *Norimbergam* captas.

Varietates:

1. *Segmento secundo toto rufo.* m. — Caeterum maribus plurimis genuinis respondens.

Marem *vindobonensem* unicum *Dahl* transmisit.

2. *Coxis posticis totis rufis.* m. — Caeteris ut in maribus plurimis genuinis.

Duo mares, circa *Vindobonam* et *Aboam* capti, transmissi sunt.

3. *Abdomine supra toto nigro, infra toto rufo.* — *Tarsi* postici toti ferruginei. — Caetera ut in plurimis maribus genuinis.

Mares duos *Comes de Küenburg* ex *Hungaria* mecum communicavit.

4. *Scutello et coxis posticis totis rufis.* m. f. — *Thorax* colore variat: *a*) Prothoracis dorso maculis 2 badiis. *b*) Scutello et puncto parvo infra alas badiis. *c*) Scutello, maculis duabus dorsalibus, unaque laterali, prothoracis, regione ad alarum radicem, metathoracis macula obsoleta laterali, punctoque infra scutellum, castaneis. *Alae* subhyalinae irideae, stigmate radice et squamula stramineis, radio fuscescente. *Pedes* anteriores maris flavi, femoribus fulvis, feminae rufo-fulvi, tibiis tarsisque pallidioribus, trochanteribus et coxis anticis flavicantibus; postici maris rufi, femorum summa basi et tibiarum apice nigris, tarsis flavis, articulo 1 basin versus rufo, feminae

coxis rufis (reliquis partibus deficientibus). — Caetera ut in plurimis speciei genuinae individuis.

Marem thoracis var. a *Manger* cepit prope *Warmbrunn;* marem thoracis var. b, feminamque thoracis var. c, *a Stillfried* cepit prope *Hirschberg.*

5? *Capite crassiore, vertice et antennarum articulo* 1 *toto nigris.* f. — *Longitudo* 3 linearum. *Caput* vertice paulo longiore, occipite minus profunde emarginato quam in specie genuina; ore facie et genarum parte infima, infra oculos, flavis. *Thorax* et *antennae* totae nigrae. *Alae* hyalinae, stigmate piceo, radio fusco, radice et squamula rufis. *Pedes* anteriores rufi, antici coxis et trochanteribus pallidioribus; postici rufi, trochanteribus et supera femorum parte badiis, tibiis apice nigris, tarsis articulis 4 et 5 fuscis. *Abdomen* fulvum; segmentis 1—4 dorso fuscis, 5—7 dorso nigris. *Aculeus* longitudine dimidii thoracis; vaginis rufis clavatis, clava fuscescente, terebra fulva.

Hanc feminam dubiam, circa *Aboam* captam, *Sahlberg* mecum communicavit.

Synonyma:

Ophion flaveolatus Grav. Uebers. n. 3792.
? *Ichn. auricapillus* Gmel. ed. Lin. p. 2699, n. 271.

Nota:

Individua speciei genuinae et varietatum sensim unum in alterum transeunt. In regula individuis

majoribus pedes paulo longiores et graciliores, orbitae verticales et occipitales totae nigrae, coxae posticae obscuriores esse solent; sed haec quoque haud sine exceptione. — Varietas 4, colore et picturis, exacte medium tenet inter hanc speciem et sequentem; sequenti autem corpus totum et artus graciliores sunt.

123. A. ARQUATUM, n.

Abdomine pedibusque testaceis, scutello et thorace rufo-nigroque variis; facie flava. m. f.

Statura et proportio partium *tenuicornis*, n. 125, antennis parum crassioribus. Species ambae difficiles distinctu sunt.

Longitudo maris $3\frac{1}{2}$, feminae $5\frac{1}{3}$ linearum. *Caput* flavum, pone oculos rufum, occipite et vertice nigris. *Antennae* filiformes, corpore breviores; articulo 1 supra ferrugineo, subtus flavo; 2, vel etiam 3, supra nigro, subtus ferrugineo; reliquis ferrugineis, sensim obscurioribus, ultimis plerumque totis fuscis. *Thorax maris* niger, prothoracis dorso, sutura laterali inter hunc et metathoracem, rubricosis, apice metathoracis ferrugineo; *feminae* rubricosus, macula ante collum, regione circa scutellum, lineaque dorsali longitudinali metathoracis, nigris, collo pectore et lateribus thoracis rubricoso-nigroque variis. *Scutellum* rubricosum. *Alae* maris hyalinae, feminae subfumatohyalinae, stigmate radio radice et squa-

mula stramineis. *Pedes* testaceo-fulvi, anteriores pallidiores; postici apice tibiarum obscuro-ferrugineo, tarsis flavis, articulo 1 obscuro-ferrugineo, trochanteribus mari basi nigricante. *Abdomen* testaceum; feminae segmentis 5—7 dorso et lateribus obscurioribus. *Aculeus* longitudine tertiae partis thoracis; vaginis stramineis compressis subpilosellis, terebra rufa.

Marem *Menzinger* cepit circa *Friburgum*, feminam *Reusmann* circa *Hannoveram*.

Varietas:

1. *Abdominis apice nigro, scutello et thorace fere totis nigris.* m. f. — *Longitudo* 5 linearum. *Thorax* et *scutellum* maris toti nigri; feminae collo et sutura laterali inter prothoracem et metathoracem stramineis, apice metathoracis et macula ejus dorsali, nec non scutelli margine laterali, rubricosis. *Pedes* toti rufi, exceptis tarsorum posticorum articulis 3 et 5 obscurioribus. *Abdomen* rufum; segmento 7, feminae quoque 6, nigro. *Aculeus* niger.

Par hujus varietatis *Comes de Küenburg* ex *Hungaria* ad me transmisit.

Nota:

Conferas notam ad speciem antecedentem.

124. A. CLANDESTINUM. n.

Abdomine rufo, dorso apiceque nigro; pedibus rufis, anterioribus coxis flavis, posticis coxis et tibiarum apice nigris; facie flava. m. f.

Statura et proportione partium haec species prorsum medium tenet inter *A. flaveolatum,* n. 122, et *A. tenuicorne,* n. 125. Abdomen paulo longius est quam in illo, paulo autem brevius quam in hoc esse solet; antennae illis *flaveolati* longitudine respondent; tarsi postici autem graciliores sunt quam in hoc, magisque congruunt cum tarsis alterius speciei. Ambabus autem haec valde affinis est.

Longitudo 3⅓—4½ linearum. *Caput* facie et ore, praeterea feminae genis seu puncto genarum et puncto ad orbitas verticis, flavis, mari orbitis verticis rufis. *Antennae* filiformes fuscae; articulo 1 subtus pallidiore aut flavo, 2 et 3 totis nigris, sequentibus subtus plerumque ferrugineis. *Alae* subhyalinae, stigmate radio radice et squamula stramineo-piceis, hac interdum nigra. *Pedes* anteriores fulvi aut rufi, coxis et trochanteribus flavis, illis basi nigris, interdum ambobus supra nigris; postici rufi aut rufofulvi, coxis et trochanterum basi nigris, femoribus maris interdum supra fuscis, tibiis ferrugineis aut rufis, apice fusco nigrove, interdum etiam basi fuscescente, tarsis vel rufis apice fusco vel totis fuscis. *Abdomen* capite

thoraceque plus duplo vel triplo longius; segmento 1 vel rufo basi nigra, vel nigro apice summo rufo; 2—4 rufis, dorso nigro; 5 vel toto nigro, vel macula laterali castanea, vel rufo dorso nigro; 6 et 7 nigris, ventre nonnunquam rufescente. *Aculeus* longitudine tertiae partis thoracis, fuscus aut piceus.

Feminas quasdam cepi in sylvis prope *Helmstadium* et *Ahdenstedt*, in fruticetis, mense Iulii; unam, eamque pedibus obscurioribus, prope *Vratislaviam*. Mares duo, circa *Norimbergam* et *Berolinum* capti, mecum communicati sunt; berolinensis major est, femoribus posticis superne fuscis.

125. A. TENUICORNE. n.

Abdomine rufo, basi apice et segmentorum intermediorum dorso nigris; pedibus anterioribus fulvis, coxis nigris subtus flavis, posticis rufis, basi nigris; facie flava. m. f.

Statura graciliore et antennis longioribus haec species differt a confinibus.

Longitudo 3—4, feminae rarius 5, linearum. *Caput* facie et ore, feminae quoque genis, flavis; orbitis oculorum occipitis vel totis vel magnam partem rufis. *Antennae* corporis longitudine, graciles, apicem versus paulo graciliores; articulo 1 nigro, subtus testaceo aut flavo; 2 et 3 nigris; sequentibus fuscis, subtus ferrugineis. *Thorax* gibbus, rarissime puncto ferrugineo ante alas, sutura

laterali inter prothoracem et metathoracem obsolete-straminea. *Alae* breves, plus minus fumato-hyalinae; stigmate testaceo aut stramineo, rarius fusco, radio piceo, radice et squamula fulvis, hac interdum fusca. *Pedes* mediocres, anteriores coxis nigris, subtus apice flavo aut testaceo, rarius fere totis flavis, mediis feminae interdum totis nigris, trochanteribus flavis, feminae rarius rufis, mediis interdum feminae basi nigra, femoribus fulvis aut rufis, mediis feminae nonnunquam basi summa fusca, tibiis flavis aut fulvis, rarius feminae rufis, tarsis sordide-testaceis aut fuscescentibus; postici coxis et trochanteribus nigris, femoribus rufis, supra plerumque obsolete-fuscescentibus, basin versus interdum nigris, tibiis rufis, apice, rarius etiam basi, nigris aut fuscis, tarsis articulo 1 rufo, apice fusco, sequentibus fuscis. *Abdomen* capite thoraceque mari plus triplo, feminae plerumque quadruplo longius; segmento 1 nigro, apice castaneo, rarius castaneo basi nigra; 2—4 rufis aut testaceis, dorso distinctius aut obsoletius fusco aut nigro, rarius nigris ventre testaceo; 5 vel toto nigro, vel ventre aut macula laterali testacea aut rufa, rarius dorso solo summo nigro; reliquis nigris, rarius ventre et lateribus rufis. *Aculeus* tertiae partis thoracis longitudine.

Mares duo cum femina, in *Regione pedemontana* capti, nonnullaeque feminae circa *Genuam*, *Netley* et in *Hungaria* captae, mecum communicati sunt: *Genuensis* pedibus mediis obscurioribus, segmento 5 toto nigro, *hungaricae* segmen-

tis 5—7 dilute-rufis dorso nigro, a reliquis se distinguunt.

Varietates:

1. *Coxis anterioribus flavis, posticis nigris macula flava.* m. f. — *Longitudo* maris 5, feminae 5¼ linearum. *Caput* ore et facie flavis, mari praeterea macula rufa ad orbitas occipitales. *Antennae* supra fuscae; subtus feminae totae rufae, mari articulo 1 flavo, 2 et 3 nigris, sequentibus ferrugineis. *Alae* subhyalinae, stigmate radice et squamula rufis, radio ferrugineo. *Pedes maris* anteriores coxis nigris apice flavo, trochanteribus flavis, femoribus fulvo-rufis, tibiis et tarsis fulvo-flavicantibus, postici coxis et trochanteribus nigris, subtus illis apice fulvo his apice flavo, femoribus tibiisque rufis, illis summa basi his summo apice nigris, tarsis nigricantibus, articulo 1 rufo apice nigricante; *feminae* rufi, anteriores trochanteribus et coxis rufo-flavicantibus, postici coxis et trochanteribus superne nigris, femoribus basin versus fuscescentibus. *Abdomen maris* segmento primo nigro, apice rufo, 2 rufo, dorso nigro, 3—5 rufis, 6 et 7 nigris; *feminae* rufum, segmentis 6 et 7 nigris.

Marem *a Spinola* cepit circa *Genuam*, feminam *Brongniart* circa *Parisios*.

2. *Coxis anterioribus flavis, posticis rufis.* m. f. — *Longitudo* 5—7 linearum. *Thorax* interdum metathoracis apice plus minus castaneo.

Pedes rufi; anteriores coxis et trochanteribus flavis, coxis mediis interdum basi fulva, tibiis anticis interdum apicem versus flavis; postici interdum trochanterum latere superiore, vel etiam coxarum apice summo, nigro. *Abdomen* segmentis 1—4 rufis, dorso segmenti 2, nonnunquam etiam dorso segmentorum 3 et 4, nigro, 4 interdum macula laterali nigra; 5 vel rufo, apice nigro, vel nigro, basi et lateribus rufis; sequentibus nigris, ventre interdum rufescente. — Caetera ut in plurimis individuis genuinis.

Mares et feminae circa *Vratislaviam* capti sunt; feminae duae, circa *Warmbrunn* et *Berolinum* captae, mecum communicatae sunt. — *Richtero* maris individuum provenit e pupa *Bombycis bifidae*, mense Octobri anni 1819.

Nota:

Feminarum genuinarum hungaricarum altera (stigmate et squamula fuscis, trochanteribus mediis et femoribus omnibus totis rufis), abdomine antennisque brevioribus et crassioribus, medium tenet inter *A. tenuicorne* et *flaveolatum*, sed tarsis posticis angustioribus magis cum illo congruit.

Conferas quoque notam ad *arquatum*, n. 123.

126. A. PALLIDUM. n.

Abdomine stramineo, basi apiceque fusco; pedibus anterioribus testaceis, subtus flavis, posticis fuscis, subtus rufis, tibiarum basi albida; facie flava. m.

Statura et proportio partium *A. clandestini*, n. 124; antennis autem paulo brevioribus et paulo crassioribus, nervo secundo recurrente alarum cum nervo, cellulas duas cubitales sejungente, coincidente.

Longitudo 5¼ linearum. *Caput* facie et ore flavis, oculorum orbitis occipitalibus rufocastaneis latis. *Antennae* filiformes, dimidio corpore vix paulo longiores, ferrugineae, articulo 1 nigro, subtus flavo, 2 et 3 totis nigris. *Thorax* gibbus, ad radicem alarum et ad apicem summum metathoracis obsolete-castaneus. *Alae* subhyalinae, radio stigmate radice et squamula pallide-stramineis. *Pedes* anteriores coxis testaceis, subtus flavis, trochanteribus flavis, femoribus testaceis, subtus flavis, tibiis flavis, mediis interne ferrugineis, tarsis fuscescentibus; postici coxis nigris, subtus rufis, trochanteribus nigris, femoribus rufis, supra fuscis, tibiis nigro-fuscis basi summa albida, introrsum ferrugineis, tarsis nigris. *Abdomen* segmento 1 fusco, apice castaneo, 2 stramineo, dorso fusco, 3—5 stramineis, 5 apice fusco, reliquis fuscis, ventre testaceo-stramineis.

Individuum unicum vidi in museo *Klugii*.

127. A. VILLOSUM. n.

Abdomine rufo, apice et segmenti secundi dorso nigris; pedibus fulvis, coxis nigris, tibiis posticis apice fuscis. m.

Statura et proportio partium omnino *fibulatoris*, n. 131.

Longitudo 9 linearum. *Caput* villosum, palpis pallide-stramineis, mandibulis medio fulvis. *Thorax* villosus. *Alae* subfumato-hyalinae; stigmate radio et radice fulvis, squamula nigra apice rufo; nervo secundo recurrente cum nervo, cellulas cubitales sejungente, coincidente. *Pedes* fulvi; tibiis tarsisque pallidioribus, tibiis posticis apice fusco; coxis et trochanteribus nigris, his apice fulvis. *Abdomen* capite thoraceque plus duplo longius; segmento 1 rufo, apice testaceo, petioli basi nigra; 2 dilute-rufo, linea dorsali longitudinali nigra; 3 et 4 dilute-rufis, 4 ventre nigro; 5 nigro, macula dorsali basali rufa; 6 et 7 nigris.

Marem unicum (*berolinensem*) vidi in museo *Klugii*.

128. A. LATRO.

Abdomine rufo, segmento secundo dorso, intermediis ventre, ultimis totis, nigris; pedibus rufis, coxis, nec non femorum posticorum basi, et tibiarum posticarum apice, nigris. m. f. (*mas* facie flava, *fem.* orbitis internis flavis).

Statura et proportio partium omnino *cerinopis*, n. 118.

Longitudo maris 7½—8, feminae 6—9 linearum. *Caput maris* palpis et facie flavis, mandibulis rufis, basi apiceque nigris, oculorum orbitis verticalibus rufis; *feminae* palpis stramineis, mandibulis badiis apice nigro, labro et clypeo badiis; orbitis oculorum internis, nonnunquam etiam puncto faciei, flavis. *Antennae* maris articulo 1 subtus flavo. *Alae* plus minus fumato-hyalinae, radice et stigmate ferrugineis aut rufis, hoc interdum fusco, radio et squamula ferrugineis aut fuscis, hac interdum nigra. *Pedes* anteriores *feminae* rufi, coxis et trochanteribus nigris, *mari* coxis et trochanteribus nigris, his nonnunquam apice rufo, femoribus rufis, interdum externe fuscis interne flavis, tibiis flavis extra rufescentibus, tarsis flavis; postici rufi, coxis trochanteribus et basi femorum nigris, trochanteribus maris apice rufis, tibiis apice nigris, tarsis feminae interdum totis, mari apicibus articulorum, fuscis. *Abdomen maris* segmento 1 nigro, apice castaneo; 2 castaneo, dorso, interdum quoque ventre, nigro; 3 et 4 castaneis,

ventre nonnunquam nigris; reliquis nigris; *feminae* segmento 1 rufo aut castaneo, basi summa fusco; 2 rufo, dorso nigro; 3 rufo, ventre plerisque nigro; 4 rufo, margine, ut plurimum etiam ventre, nigro; 5—7 nigris. *Aculeus* ferrugineus, quarta thoracis parte fere brevior.

Par (*berolinense*) hujus speciei vidi in museo *Klugii*; praeterea marem accepi *genuensem*, feminam *nieskyensem*. — Mas berolinensis genuensi minor est, femoribusque anterioribus et segmentis 3 et 4 totis rufis ab eo discrepat.

Synonyma:

Ichn. latro Schrank Austr., n. 726.
„ Gmelin ed. Linn. p. 2697, n. 164.
„ Villers p. 181, n. 140.
Ichn. latrator Olivier p. 184, n. 103. (De *Ichn. latratore* auctorum conferas *Ichn. latratorem* nostrum, n. 242).

129. A. DELARVATUM. n.

Abdominis medio rufo; pedum anteriorum femoribus tibiisque rufis, femoribus posticis pro parte rufis. m. f. (*mas* tibiis anterioribus et picturis capitis flavis).

A specie antecedente haec distinguitur capite thoraceque minoribus, antennis, abdomine, hujusque petiolo, gracilioribus et longioribus, meliusque cum *A. clandestino*, n. 124, congruit.

Longitudo maris 6⅓ — fere 8, feminae 5 linearum. *Caput* maris palpis, mandibulis aut medio mandibularum, macula et orbitis oculorum faciei, nec non puncto ad orbitas verticis, flavis. *Antennae* corpore dimidio paulo longiores, *mari* articulo 1 subtus flavo, 2 et 3 totis nigris, sequentibus subtus ferrugineis aut fuscoferrugineis, ultimis interdum totis fuscis, *feminae* subtus fuscae, articulis 1 et 2 totis nigris. *Alae* subfumatohyalinae; stigmate radio et radice rufo-stramineis aut stramineis, radio interdum fusco, squamula fusca aut nigra. *Pedes* anteriores *maris* coxis nigris, trochanteribus testaceis, basi interdum nigris, femoribus fulvis, tibiis tarsisque flavis, *feminae* rufo-fulvi, coxis et trochanteribus nigris; postici *maris* coxis et trochanteribus nigris, femoribus rufis, basin versus nigris, tarsis tibiisque nigrofuscis, his basin versus obscuroferrugineis. *Abdomen* capite thoraceque fere triplo longius; segmento 1 nigro, apice rufo; 2—4 rufis aut fulvis; 5 feminae nigro, mari rufo aut testaceo, margine nigro; 6 et 7 nigris. *Aculeus* fuscus, longitudine tertiae partis thoracis.

Mares duos accepi, circa *Sickershausen* et *Parmam* captos; parmensis major est, trochanteribus anterioribus basi nigris, radio alarum pallide-testaceo. Feminam unicam, circa *Vindobonam* captam, *Dahl* mihi misit.

130. A. ANOMELAS. n.

Orbitis oculorum internis, antennarum articulo primo subtus, flavis; lateribus segmentorum 1, 3 et 4, pedibusque, rufis; coxis omnibus, tibiarum posticarum apice, et femorum posticorum basi, nigris. f.

Statura et proportio partium omnino feminae antecedentis; an ejus varietas?

Longitudo 4—5 linearum. *Caput* palpis et mandibularum medio dilute-fulvis, orbitis oculorum internis, nonnunquam etiam macula faciei, flavis. *Antennae* articulo 1 nigro, subtus ut plurimum fulvo aut ferrugineo; 2 et 3 nigris; sequentibus vel totis fuscis, vel subtus fusco-ferrugineis. *Alae* stigmate et radice stramineis, squamula nigra, radio ferrugineo. *Pedes* rufi, coxis et trochanteribus nigris; anteriores interdum femorum summa basi nigra; postici basi femorum tibiisque nigris, his basin versus ferrugineis, tarsis apice fuscis. *Abdomen* segmento 1 rufo, basi summa nigra; 2 rufo, dorso nigro; 3 et 4 castaneis, dorso nigricante; 5—7 nigris. *Aculeus* quartae partis thoracis longitudine, niger, terebra rufa.

Quaedam feminae, circa *Genuam* et in *Volhynia* captae, mecum communicatae sunt.

Varietas:

1. *Capite antennisque totis nigris.* m. — *Longitudo* 4½ linearum. *Antennae* articulis 1—13

(reliquis deficientibus) nigris. *Femora* anteriora rufa, media basin versus nigricantia; postica nigra, apice ferrugineo. *Abdomen* segmento 1 nigro, apice rufescente; sequentibus nigris, 3 et 4 ventre et lateribus rufo-testaceis.

Marem unicum *Bonelli* e *Regione Pedemontana* misit.

131. A. FIBULATOR. n.

Abdomine rufo, basi apiceque, nec non segmenti secundi dorso, nigris; femoribus anterioribus et tibiarum posticarum basi rufis. m. f. (*mas* tibiis tarsisque anterioribus, nec non picturis capitis flavis; *fem.* tarsis posticis medio albis).

Statura et proportio partium *latronis*, n. 128; sed antennis paulo brevioribus et nervi secundi recurrentis alarum directione differt.

Longitudo maris fere 8, feminae 7 linearum. *Caput maris* paulo crassius quam feminae, palpis clypeo, macula faciei, orbitisque oculorum facialibus, testaceis, mandibulis et orbitis oculorum externis rufis; *feminae* orbitis faciei obsoletissime subtestaceis, orbitis occipitis obsoletissime castaneis. *Alae* subfumato-hyalinae, radio fusco, stigmate et radice ferrugineis, mari testaceis, squamula nigra; nervo secundo recurrente coincidente cum nervo cellulas cubitales sejungente. *Pedes* anteriores rufi, trochanteribus et coxis nigris, mari

tibiis et tarsis flavis, feminae tarsis anticis fuscescentibus, mediis et apice tibiarum mediarum nigricantibus; postici nigri, tibiis basin versus rufis, tarsis mari nigris, articuli primi basi ferruginea, feminae articulis 2—4, et apice primi, albis. *Abdomen* segmento 1 nigro, apice castaneo; 2 rufo-castaneo, dorso vel toto vel medio nigro; 3 et 4, nec non basi quinti, rufis. *Aculeus* fere longitudine tertiae partis thoracis.

Marem vidi in museo *Klugii;* feminae duae, circa *Norimbergam* et *Halam Saxonum* captae, ad me transmissae sunt.

Varietas:

1. *Tarsis posticis rufis, supra fuscis.* f. — *Longitudo* 6 linearum. *Caput* totum nigrum, palpis pallide-stramineis. *Pedes* anteriores rufi, coxis et basi trochanterum nigris; postici nigri, basi tibiarum, nec non apice trochanterum et femorum, tarsisque, rufis, his supra fuscescentibus, articulo primo tamen basin versus toto rufo. *Abdomen* rufum; segmento 1 basi, 2 dorso, 5—7 totis, nigris. *Aculeus* rufus. — Caetera ut in specie genuina.

Individuum unicum *fennicum Sahlberg* transmisit.

Nota:

Varietas descripta, pedibus et abdomine, *cerinopi* melius respondet, capite *fibulatori;* mediumque inter has duas species tenet.

132. A. PERSPICILLATOR. n.

Abdomine rufo, basi apiceque, nec non segmenti secundi dorso, nigris; tibiis anterioribus femoribusque anticis subtus flavis, facie flavo-maculata. m.

Statura et proportio partium omnino *latronis*, n. 124, capite thoraceque paulo angustioribus, antennis vix parum longioribus.

Longitudo 7½ linearum. *Caput* palpis testaceis, puncto et orbitis faciei albido-flavis, macula ad orbitas occipitis castanea. *Antennae* vix dimidio corpore paulo longiores. *Alae* fumato-hyalinae, stigmate rufo-ferrugineo, radio radice et squamula fuscis. *Pedes* nigri; femoribus anticis subtus, mediis apice summo, flavis; tibiis anterioribus subtus flavis; tarsis anticis subtus totis, mediis sola basi, testaceis. *Abdomen* segmento 1 nigro, apice rufo; 2 rufo, dorso nigro; 3 et 4 rufis; 5—7 nigris.

Marem *pedemontanum* unicum *Bonelli* mecum communicavit.

133. A. TENUITARSUM. n.

Segmentis 3 et 4, nec non primi et secundi apice, tibiis anterioribus, femoribusque anticis, rufis. m. f.

Statura et proportio partium *fibulatoris*, sed pedibus alisque brevioribus, nervo alarum recur-

rente secundo magis a nervo remoto, qui cellulas cubitales sejungit, tarsis posticis gracilioribus. A specie antecedente haec praeterea antennis brevioribus differt.

Longitudo 5 linearum. *Caput* totum nigrum. *Antennae* dimidio corpore paululum breviores. *Alae* fumato-hyalinae, stigmate radio et squamula nigris, radice straminea. *Pedes* antici rufo-fulvi, coxis trochanteribus et basi femorum nigris; medii nigri, tibiis et apice femorum rufo-fulvis, tarsis fuscis; postici toti nigri. *Abdomen* segmento 1 rufo, petiolo nigro; 2 rufo, basi, feminae quoque dorso toto, nigro; 3 et 4 rufis; 5—7 nigris. *Aculeus* vix parte quarta thoracis paulo longior.

Par hujus speciei *Besser* e *Volhynia* mihi misit.

Nota:

Haec species, tarsis posticis gracilioribus, ab omnibus reliquis hujus familiae speciebus se distinguit et familiae primae respondet; tarsi tamen, licet graciliores quam in cospeciebus, paulo sunt crassiores quam in familia prima; praeterea quoque habitu, segmenti primi longitudine gracilitate et colore, ad hanc familiam III propius accedit.

134. A. UNIGUTTATUM. n.

Segmentis 2—4 pro parte obscuro-castaneis; tibiis femoribusque anterioribus flavo-maculatis; macula faciali straminea. m. f.

Statura et proportio partium *delarvati*, n. 129, sed antennis brevioribus, abdomine longiore et graciliore, sicut in *tenuicorni*, n. 125.

Longitudo 4—5½ linearum. *Caput* palpis et puncto oblongo faciei stramineis; mandibulis interdum medio ferrugineis. *Antennae* corporis dimidii longitudine, vel paulo breviores. *Alae* subhyalinae, radio et stigmate fuscis aut piceis, radice et squamula stramineis; nervo secundo recurrente coincidente cum nervo cellulas cubitales sejungente. *Pedes* graciles longi, nigri; femoribus anticis flavis, latere convexo superne rufo inferne nigro, mediis summo apice flavis; tibiis anterioribus flavis, extrorsum fusco-nigris; tarsis anterioribus fuscis, posticis nigris articulo 1 subtus ferrugineo aut fuscescente. *Abdomen* maris gracilius quam feminae, apice obtusum; thorace triplo longius; segmentis 2 et 3 basi, 4 puncto aut macula laterali basali, obsolete-castaneis. *Aculeus* niger, longitudine tertiae aut quartae partis thoracis.

Par hujus speciei, circa *Vindobonam* captum, *Dahlio* debeo; alteram feminam, eamque majorem, antennis brevioribus, vidi in museo *Klugii*.

FAMILIA IV,

seu subgenus:

OPHION.

Abdomine petiolato compresso, dorso carinato; areola nulla, cellula interiore nervos recurrentes duos excipiente; pedibus antennisque gracilibus longis; (aculeo vix subexserto).

Caput transversum breve. — *Oculi* reniformes. — *Antennae* graciles longae, apice subcurvatae. — Hae et *partes oris* accuratius descriptae sunt sub O. ventricoso. — *Thorax* gibbulus. — *Scutellum* convexum aut gibbulum, plurimis triangulare apice obtuso, aut subquadratum; *Oph. bombycivoro* orbiculatum gibbum. — *Alae* amplae; areola nulla, cellula interiore nervos duos recurrentes excipiente, quorum exterior longe a nervo, qui cellulas duas cubitales sejungit, remotus est. — *Pedes* longi graciles, unguibus subtus pectinatis, pectinibus subtilissimis et solo oculo bene armato distinctis. — *Abdomen* thorace angustius, eoque duplo vel plus duplo longius, compressum petiolatum, supra carinatum, maribus interdum subcompressum, e. g. *Oph. obscuro,* laeve nitidum, a latere visum altitudine sensim crescente. Segmentum primum parte antica subquadrata aut latitudine paulo longiore, petiolo longo gracili, longiore et paulo angustiore quam pars antica. — *Aculeus* vix subexsertus. — *Genitale masculum,* sub specie styli brevis obtusi, vix subexsertum est.

De affinitatibus inter Ophiones et *Crypturos, Arotas, Campopleges, Paniscos* et *Anomala,* haec subgenera conferre velis. — *Ophion ramidulus* et *combustus*, abdomine longiore, analogiam aliquam manifestant cum *Macris*, qui tamen toto

habitu, abdomine longiore graciliore, areola, satis distincti sunt. — *Trachynoti*, dispositione nervorum alae cum Ophionibus congruentes, differunt ab his habitu toto, antennis alisque brevibus, segmentis duobus anterioribus longioribus et gracilioribus etc. — *Cremasti* differunt alis. — *Hellwigia* alis fere congruit cum Ophionibus, eo tamen differt quod nervus inferior cellulae exterioris haud ex angulo ipso nervi, cellulas duas cubitales sejungentis, oritur, sed infra istum angulum; praecipue autem antennis incrassatis Hellwigia ab Ophionibus differt.

Nota:

E sententia Neesei ab Esenbeck, in litteris mecum communicata, conformatio *partium oris* Ophionum genuinorum non solum longe discedit a descriptione Panzeriana (in Revis. II, pag. 88 edita) sed accuratissime quadrat ad ejusdem auctoris descriptionem oris Banchi fornicatoris.

---

135. O. OBSCURUS.

Testaceus, lineis thoracis scutelloque flavis. m. f.

Longitudo maris 4—6½, feminae 6—8¼ linearum. *Caput* individuorum minorum flavum, stemmatibus oculis et mandibularum apice nigris; majorum flavum, ore et facie (exceptis orbitis flavis) rufis, stemmatibus oculis et mandibularum apice nigris. *Antennae* filiformes, longitudine corporis, apice curvatae. *Thorax* gibbulus, vel pallide-flavus, lineis tribus longitudinalibus dorsi prothoracis, media collum versus longiore, rufis aut fulvis; vel rufo-testaceus aut ferrugineus, lateribus flavo-maculatis, lineis quatuor dorsi prothoracis, antice per paria conjunctis, flavis, interdum subobsoletis. *Alae* subamplae hyalinae, stigmate fulvo aut stramineo, radio piceo aut fuscescente, squamula et radice flavis; nervo supero exteriore cellulae interioris interdum versus stigma incrassato. *Pedes* graciles longi, testaceo-rufi seu ferruginei, coxis et trochanteribus maris plerumque pallidioribus. *Abdomen* capite thoraceque duplo vel plus duplo longius, testaceum, ventre, nonnunquam etiam apice, fuscescens; segmentis 3—7 interdum fuscis, lateribus pallide-testaceis. *Aculeus* vix subexsertus.

Mares duos semel cepi, die 12 Iunii, in fruticetis prope *Barterodam*. Feminas nonnullas legi

circa *Vratislaviam* et *Gottingam*, mense Maji, in fruticetis; aliae quaedam, circa *Norimbergam, Sickershausen*, *Berolinum* et in *Hungaria* lectae, mihi missae sunt.

Varietas:

1. *O. fusco-ferrugineus; scutello, orbitis oculorum, picturisque thoracis et abdominis, testaceis.* f. — *Longitudo* 6½—7 linearum. *Caput* testaceoflavum, facie ferruginea, apice mandibularum nigro, oculis et stemmatibus cinereis. *Antennae* ferrugineae, subtus dilutiores. *Thorax* testaceo-flavus; lineis longitudinalibus tribus dorsalibus, media abbreviata, puncto inter hanc et scutellum, macula laterali, pectore, nec non metathoracis dorso, ferrugineis. *Scutellum* flavum. *Alae* subfumato-hyalinae, radio fusco aut ferrugineo, stigmate squamula et radice testaceis. *Pedes* ferrugineo-fusci. *Abdomen* ferrugineofuscum; segmentis 3—7 macula laterali subtriangulari, aut linea longitudinali, testaceis; 1 et 2 interdum totis rufo-ferrugineis. *Aculeus* subexsertus fuscus aut ferrugineo-testaceus.

Unum cepi individuum prope *Vratislaviam*, alterum e *Hybneri* collectione, *Germar* mecum communicavit.

Synonyma sp. genuinae:

Ichn. luteus Schrank Austr. n. 750.
„ Olivier p. 196, n. 156.

Synonyma varietatis:

Ichn. luteus Schrank Berchtesgad. in Fuessl. II, pag. 328, n. 95.
Ichn. obscuratus Fabr. E. S. Supl. p. 237, n. 7.
Ophion obscurus Fabr. Piez. p. 132, n. 7.
„ Gravenh. Addit. n. 8.

Nota:

Individua, lineis thoracis obsoletioribus, vix a speciei sequentis individuis quibusdam dignosci possunt.

Ichn. luteus Linnei et plurimorum reliquorum auctorum ad speciem sequentem adhibendus est, nam nullus eorum mentionem fecit linearum flavarum thoracis, de quibus Olivier et Schrank l. c. locuti sunt. Olivier allegavit *Reaumur* VI, tab. 30, fig. 9, quam alii ad *Ichn. inculcatorem* adhibent. Cum autem hic Reaumurii Ichneumon totus sit ferrugineus, melius ad speciem sequentem, vel potius, ob oeconomiam larvae ejus, ad Paniscum testaceum, n. 107, quadrat. *Ichn. luteus* Linnei et auctorum gaudet thorace striato; striae autem haud lineae sunt pictae, sed lineae incisae, quales fere in omnium specierum thorace conspiciuntur.

De *Ophione obscuro* Panzeri ad Schaeff. Icon. tab. 101, fig. 4, conferas notam ad speciem sequentem, ubi plura huc spectantia legere licebit.

136. O. LUTEUS.

Testaceus, oculis fuscis; nervo interiore cellulae radialis recto. m. f.

Statura et proportio partium ut in specie antecedente.

Longitudo maris 6—9, feminae 4—9 linearum. *Caput* plerisque totum rufum, seu orbitis oculorum internis flavis; rarius flavum, ore et facie, exceptis orbitis oculorum internis, rufis; rarissime totum flavum; mandibulis apice nigris; oculis et stemmatibus fuscis aut nigricantibus. (De oris partibus consule notam, huic speciei subjunctam). *Antennae* corpore vel paulo longiores vel paulo breviores. *Thorax* testaceus aut rufus, rarissime rufo-ferrugineus lineis duabus longitudinalibus pallidis prothoracis. *Scutellum* plerumque dilutius, nonnunquam flavum. *Alae* hyalinae aut subfumato-hyalinae; stigmate radio radice et squamula fulvis aut testaceis, cellulae interioris nervo superiore exteriore rarissime stigma versus incrassato; plurimis autem est rudimentum nervi dividentis cellulae interioris, interdum usque ad medium, rarius ultra medium, hujus cellulae, productum. *Abdomen* testaceum, rarius rufum, ventre plerumque fuscescens, nonnunquam quoque versus apicem fuscescens aut nigricans. *Aculeus* vix subexsertus, nigricans. *Genitale masculum* subexsertum conicum obtusum, testaceum aut rufum. Supra aculeum et genitale masculum styli exseruntur duo perbreves.

Mares et feminas accepi, circa *Netley, Vratislaviam, Berolinum, Hannoveram, Friburgum,* in *Hercynia* et in *Volhynia* captos; praeterea mares plures legi, mensibus Iunii et Augusti, circa *Barterodam* et *Warmbrunn*, in locis graminosis et frutetosis, unum mense Septembri, in populo prope Vratislaviam; *ab Uechtritz* marem cepit circa Pinum sylvestrem volitantem; alios accepi, circa *Meiningen, Aboam, Parisios, Genuam* et in *Regione pedemontana* lectos. Mares feminis longe frequentiores esse videntur. Feminas nonnullas legi, mense Maji, in fruticetis circa *Gottingam;* quaedam, circa *Warmbrunn, Berolinum* (inter has individuum unicum abdominis apice nigricante) et *Parmam* lectae, mecum communicatae sunt; *Fehrle* unam cepit, prope *Vratislaviam,* in strue lignorum, mense Iulii. Ipse unam educavi: Larva nempe degebat in larva *noctuae praecocis.* Postquam haec sibi folliculum, ad mutationem subeundam, paraverat, autumno anni 1819, illa ex ejus corpore prorumpebat et in ipso praecocis folliculo sibi folliculum parabat oblongo-cylindricum, membranaceum, ferrugineum, longitudine 4½, latitudine 2 linearum, tum in pupam transmutabatur, initio Aprilis anni sequentis Ophion perfectus prodibat.

Synonyma:

Goedart II, p. 163, tab. 37, — op. Listeri p. 61, tab. 20, c. — opera Veezaerdt p. 137, tab. 37; e larva *Phal. Bomb. Vinulae.*

Albin tab. XI. (Icon quidem prave hunc Ophionem exhibet; sed auctoris narratio de oeconomia hujus insecti, deque habitatione larvae in larva *Bombycis Vinulae*, et metamorphosi ejus, observationibus Degeeri exactissime respondet).

Degeer II, n. 5, p. 850—861, tab. 29, fig. 15—26: Femina ova ponit in superficiem corporis larvae *Bombycis Vinulae*, ubi haec ova, stylo elongato, tam firmiter adhaerent ut nunquam, nec cum larva cutem deponit, decidant. Larvae exclusae, apice corporis inhaerentes testae ovi, ore humores larvae Vinulae sugunt, usque dum haec sibi folliculum ad subeundam mutationem conficit. Larva Vinulae intra folliculum suum moritur antequam in pupam mutata est; larvae Ophionis autem parant sibi singulae singulum folliculum nigrum, e quo, anno sequente, Ophion declaratus prodit, folliculum Bombycis perforat et devolat.

Geoffroy Ichn. n. 21, p. 330.

Linne Acta Suec. 1736, p. 125, n. 15.

Ichn. luteus Linn. Faun. n. 1628. — Syst. nat. ed. XII, pag. 937, n. 55; larva adhaeret larvae phalaenae, eamque consumit.

„ Sulzer Kennz. tab. 18, fig. 118? (icon prave exhibita, dorso nigro).

„ Müller Faun. Friedr. n. 620.

Ichn. luteus Stroem in Dronth. Skr. III, pag. 422; translat. p. 380, n. 47.

„ Fuessly Helvet. p. 49, n. 964; in floribus, haud rarus.

„ Fabr. Syst. Ent. p. 341, n. 75, — Ent. Syst. II, p. 178, n. 186; habitat in Europae larvis, in *nova Hollandia*, *Zelandia*.

„ Müller Prodr. n. 1843.

„ Fourcroy p. 400, n. 21.

„ Gmelin ed. Linn. p. 2706, n. 55.

„ Villers p. 198, n. 206.

„ Razoumowsky p. 215, § 249.

„ Christ tab. 37, fig. 5 et 6; ex *America*, longitudine 15 lin. e Germania, longitudine 8 lin.

„ Cederhielm p. 164, n. 507.

„ Dwigubsky p. 166, n. 579.

„ Schrank Fn. Boica n. 2053; ova nigra; larva adhaeret larvis, quas exsugit.

„ Latreille Dict. nouv. XI, p. 538. — Crust. XIII, p. 183, n. 18.

„ Thunberg, n. 233.

Ophion luteus Fabr. Piez. p. 130, n. 1.

„ Walckenaer p. 72, n. 1.

„ Panzer ad Schaef. tab. 1, fig. 10.

Ichn. fulvus Retz n. 271.

Ichn. Vinulae Scopoli Carn. n. 755; Larvae degunt in larva *Phal. Vinulae*, cujus folliculum si post hebdomadam aperias, videbis in eo cellulas 5—7 tenues oblongas, intra quas totidem larvae albae,

flavo succo plenae, unde altero anno, mense Majo, prodeunt totidem Ichneumones hujus speciei.

Ichn. Vinulae Christ p. 367.

Nota:

Fabricius, in Systemate Piezatorum, orem Ophionis lutei his verbis descripsit: *Clypeus* brevis corneus rotundatus integer. *Palpi* quatuor inaequales filiformes elongati; anteriores longiores sexarticulati, articulis cylindricis subaequalibus, adhaerentes dorso maxillae, posteriores quadriarticulati, articulis cylindricis, adnati labii apice. *Mandibula* porrecta incurva cornea, apice bidentata. *Maxilla* brevis membranacea rotundata integra. *Labium* breve ovatum membranaceum integrum, apice palpigerum.

Ichn. luteus Jurinei ad hanc speciem haud adhiberi potest, cum areola instructus sit; nec *Ichn. luteus* Olivieri et Schrankii Faun. Austr. huc spectant. De confusione *lutei obscuri* et *testacei* conferre velis synonyma et notas ad species n. 135 et 107. —

Schaefferi Icon. tab. 101, fig. 4, quam plurimi auctores ad *luteum*, Panzer autem ad *obscurum*, adbibent, longe ab ambobus differre videtur, antennis nigris articulo primo fulvo, lateribus abdominis flavis.

Difficillimum est, e descriptionibus *Ichneumonis lutei* plurimorum auctorum eruere, num nostrum *Ophionem luteum*, numve nostrum *Panis-*

cum testaceum descripserint, cum magnitudo color et, primo adspectu, ipsa forma corporis et proportio artuum ambarum specierum conveniant. Pro vero Ichneum. luteo auct. seu nostro Ophione luteo, eam speciem agnosco, cui areola alarum deest, ungues autem subtus pectinati sunt, cujusque larvae in superficie externa corporis larvae Bombycis Vinulae (forsan quoque aliarum larvarum nudarum, haud pilis vestitarum) degunt. Inde sine dubio Ichneumones allegati Goedarti, Albini, Degeeri (oculatissimi, qui etiam ungues pectinatos, nostris Ophionibus peculiares, descripsit et delineavit), Linnei, Schrankii, Scopolii et Christii, ad Ophionem luteum adhibendi sunt, cum oeconomia larvarum huic speciei respondeat. Ichneumonem Reaumurii autem, in Tomo VI, pag. 310, descriptum, nec non Ichn. luteum Rossii et Scharfenbergii, oeconomia larvarum longe a nostro Ophione luteo discedentes, et Ichneum. luteum Jurinei, areola alarum distincta, ad meum Paniscum testaceum adhibere malui. De Ichneumonibus reliquorum auctorum, quos ad Oph. luteum adhibui, nondum omnia dubia sublata sunt.

137. O. UNDULATUS. n.

Testaceus, oculis fuscis; nervo interiore cellulae radialis undulato. m. f.

Statura et proportio partium omnino speciei antecedentis, sed cellulae interioris nervo superiore exteriore haud recto.

Longitudo 9—13 linearum. *Color* testaceus, rarius rufus. *Caput* oculis et ocellis cinereo-fuscis, rarius nigris. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate radio radice et squamula testaceis; cellulae interioris nervo superiore exteriore stigma versus undulatim curvato. *Pedes* tibiis tarsisque paulo pallidioribus. *Abdomen* segmentis 3—7 ventre fuscis aut subfuscescentibus, nonnunquam etiam dorso fusconebulosis. *Aculeus* et *genitale masculum* ut in specie antecedente.

Par hujus speciei *Reusmann* cepit circa *Hannoveram;* praeterea mares nonnulli, circa *Sickershausen* et in *Regione pedemontana* capti, feminaeque duae, circa *Vratislaviam* et *Berolinum* captae, mecum communicatae sunt. *Hartliebio* femina prodiit e larva *Bombycis Trifolii.*

138. O. MERDARIUS. n.

Testaceus, oculis fuscis, cellula interiore bipunctata. m. f.

Statura et proportio partium specierum antecedentium; segmento primo autem, caeteris paribus, plerumque paulo longiore et graciliore.

Longitudo 6—fere 10 linearum. *Caput* vel totum testaceum, vel facie flava, vel hujus linea longitudinali testacea; mandibulis apice nigris. *Thorax* pectore rarius fusco-ferrugineo. *Alae* hyalinae, tenerrime punctae; cellulae interioris area ovali centrali impuncta vitreo-hyalina,

punctis duobus membranaceis luteis, exteriore minore interdum in lineam tenuem arcuatam abeunte aut prorsus extincto; stigmate radio radice et squamula testaceis. *Abdomen* capite thoraceque plus duplo aut triplo longius, segmentis ultimis ventre plerumque fuscescentibus aut nigricantibus. *Aculeus* brevissimus niger, vix subexsertus.

Mares feminaeque, in *Regione Pedemontana* et in *Volhynia* lecti, ad me transmissi sunt; praeterea mares nonnullos, circa *Netley Berolinum* et *Sickershausen* lectos, pluresque feminas, circa *Vratislaviam*, *Gottingam*, *Genuam*, *Parmam* et in *Iberia* lectas, accepi. Ipse marem cepi prope *Sibyllenort*, mense Iunii, in prato aprico; feminam, mense Iulii, in fruticetis prope *Cosel*.

139. O. RAMIDULUS.

Testaceus, abdominis apice nigro; cellula interiore bipunctata. m. f.

Statura et proportio partium omnino speciei antecedentis.

Longitudo 6—10 linearum. *Caput* clypeo et facie plerumque flavis, interdum linea longitudinali fulvo-testacea. *Antennae* apice fuscescentes. *Alae* alis speciei antecedentis omnino respondentes, punctis duobus semper distinctis. *Abdomen* segmento 5 rarius toto nigro aut toto testaceo, plerisque basi testaceo apice nigro; 6 et 7 totis nigris;

stylis duobus analibus supra aculeum et genitale masculum, sicut in *O. luteo*, n. 132.

Mares et feminas legi, mense Augusti, circa *Cudovam* in locis graminosis et frutetosis; alios mares et feminas accepi, circa *Parmam* lectos. Mares praeterea cepi, mensibus Iulii et Augusti, in fruticetis circa *Grohnde;* alii, circa *Hannoveram*, *Genuam* et in *Volhynia* lecti, mecum communicati sunt; unus prodiit mihi e pupa *Noctuae pisi.* Feminas nonnullas, circa *Vratislaviam, Warmbrunn*, *Berolinum*, *Parisios* et in *Regione pedemontana* lectas, accepi.

Synonyma:

Ichn. ramidulus Linn. Faun. n. 1629. — Syst. Nat. ed. XII, p. 937, n. 56; in nemoribus.
„ Fabr. Ent. Syst. II, p. 178, n. 187.
„ Müller Prodr. n. 1844.
„ Schrank Austr. n. 751.
„ Gmel. ed. Linn. p. 2710, n. 56.
„ Villers p. 198, n. 207.
„ Olivier p. 199, n. 173.
„ Schrank Fn. Boic. n. 2054.
„ Thunberg Ichn. n. 224.
Ophion ramidulus Fabr. Piez. p. 131, n. 2.
Ichn. truncatus Christ p. 365.
Sphex truncata Poda p. 107, n. 5.
„ Scopoli Carn. n. 768; habitat in pupis phalaenarum, quae in salice degunt; mihi ex pupa *Phalaenae lanestris* orta.

Nota:

Ichn. ramidulus Christii spectat ad nostrum *Anomalon circumflexum*, n. 112; *Ichn. ramidulus* Gravenh. Uebers. ad *Oph. ventricosum*, n. 141; *Ichneum. ramidulus* Scharfenb. ad *Oph. luteum*, n. 136; *Ichn.* Geoffroii n. 23, quem auctor ipse et Fourcroi ad *Ichn. ramidulum* Linn. adhibent, ad *Anomalon glaucopterum*, n. 108 referri debet. Quaeritur etiam, num fortassis Fabricius ipse hanc speciem et *Oph. ventricosum*, n. 141, confuderit, nam annulum nigrum baseos femorum posticorum, cujus Fabricius mentionem facit, nunquam in hac specie conspexi, semper autem in *ventricoso*. —

Ichn. Albini tab. 7, qui saepius ad hanc speciem adhibetur, melius quadrat ad *Anomalon circumflexum*, n. 112.

140. O. COMBUSTUS. n.

Testaceus, thorace et abdominis apice nigris; cellula interiore bipunctata. m.

Statura et proportio partium plane sicut in antecedentibus.

Longitudo fere 9 linearum. *Caput* testaceo-stramineum, apice mandibularum ferrugineo, oculis cinereis. *Antennae* ferrugineo-fulvae. *Thorax* niger, suturis et metathoracis apice ferrugineis. *Scutellum* nigrum, apice ferrugineo. *Alae* subtestaceo-hyalinae; punctis duobus membranaceis cellulae interioris, stigmate, radice et squa-

mula fulvis, radio fuscescente. *Pedes* piceo-testacei. *Abdomen* testaceum; segmentis 6 et 7, nec non macula dorsali segmenti 1, nigrofuscis.

Marem unicum *norimbergensem Sturmio* debeo.

141. O. VENTRICOSUS. n.

Rufus; apice abdominis pectore et metathorace nigris aut nigromaculatis. m. f.

Statura et proportio partium sicut in *Oph. luteo*, n. 136.

Longitudo maris 4 ⅓ —7 ¼, feminae 6 ½ —7 ½ linearum. *Caput* rufum; oculis et stemmatibus, plerumque regione circa stemmata, nigris; mas plerumque ore et facie flavis, hac medio ut plurimum fulvo-rufa, linea longitudinali ferruginea rarius nigra, punctisque duobus ante clypeum, rarius in lineam transversalem conjunctis, nigris, mandibularum apice nigro; femina capite vel ferrugineo, orbitis oculorum dilutioribus aut subflavicantibus, vel rufo, linea longitudinali faciei nigra; mandibulis semper apice nigris. *Antennae* fulvae. *Thorax* rarius fere totus rufus; ut plurimum colli lateribus, pectore, macula dorsali metathoracis majore minoreve, puncto seu linea abbreviata ante collum, punctisque nonnullis, seu macula, ad latera thoracis, nigris; rarius metathorace toto nigro; rarissime hoc, pectore, prothoracisque lateribus, totis nigris. *Scutellum* rufum. *Alae* fulvo-hyalinae; stigmate radio radice

et squamula fulvis. *Pedes* macula coxarum posticarum, ut plurimum etiam mediarum, majore minoreve, nigra. *Abdomen* rufum seu testaceum; segmento 3 feminae plerumque ventre nigricante; 4 dorso ventreque plus minus nigricante, mari interdum toto testaceo; 5 feminae nigro aut fusco, nonnunquam macula laterali rufa, mari plerumque dorso et ventre nigricante, rarius toto testaceo; 6 et 7 feminae totis nigris, mari lateribus rufescentibus aut subtestaceis. *Aculeus* vix exsertus, niger.

Nonnullos mares feminasque legi circa *Gottingam* et e *Volhynia* accepi. Praeterea quosdam mares legi, mense Iunii, circa *Barterodam* et *Pepelwitz*, in frutetis, aliosque accepi, circa *Netley, Vindobonam, Sickershausen, Meiningen* et *Berolinum* lectos; berolinensium alter omnium est minimus et metathorace toto nigro a reliquis discrepat; netleyanus omnium est maximus. Feminae quaedam, circa *Aboam* et, mense Iunii, in *Hercynia*, captae, ad me transmissae sunt; aboensis insignis est thorace nigro, dorso solo prothoracis rufo, capite ferrugineo, orbitis oculorum subflavicantibus.

Synonyma:

Oph. ramidulus Grav. Uebers. n. 3789.

Nota:

Secundum observationes, quas *Nees ab Esenbeck* in litteris mecum communicavit, partes oris

hujus speciei vix ab illis *Oph. testacei*, n. 107, discrepant: *Mandibulae* minus obliquae sunt, facie planae, apice bifidae; dentibus subaequalibus acutis, supero paulo majore. *Lingua* ultra medium bifida; laciniis contiguis, apice oblique retusis, deorsum conniventibus in cucullum.

De synonymis conferas notam ad *Oph. ramidulum*, n. 139.

142. O. MARGINATUS.

Rufus; abdominis apice et basi, nec non thoracis suturis, nigris. m. f.

Statura et proportio partium antecedentis; corpore tamen aliquanto crassiore, antennis paulo longioribus.

Longitudo 7—fere 10 linearum. *Caput* apice mandibularum et macula inter antennas et stemmata nigris; oculis et stemmatibus fuscis. *Antennae* fulvae. *Thorax* ferrugineus aut rubricoso-rufus, suturis omnibus nigris. *Alae* fulvo-fumato-hyalinae, stigmate radio squamula et radice fulvis. *Pedes* apice coxarum et basi trochanterum nigris. *Abdomen* segmento 1 vel petiolo toto, vel ejus basi, nigro; 2 basi et ventre nigris; 3 vel nigro, dorso rufescente, vel rufo, ventre nigro; sequentibus nigris, 4 nonnunquam dorso et lateribus subrufescentibus. *Aculeus* vix exsertus niger.

Marem et nonnullas feminas cepi, mense Maji, in vallo *Gottingae;* feminam unam *ab Uechtritz*

cepit, mense Iulii, in pinetis prope *Cudovam.* Quidam mares mecum communicati sunt, circa *Berolinum* et *Heidelbergam* capti, ſeminaeque, circa *Vindobonam, Niesky* et in *Hungaria* lectae.

Synonyma:

Anomalon marginatum Jurine tab. 8, fig. 4.

143. O. BOMBYCIVORUS. n.

Testaceus; antennarum basi, thoracis maculis, abdominisque medio et apice nigris. f.

Statura et proportio partium plane *Oph. lutei,* n. 136.

Longitudo 9—10 linearum. *Caput* mandibularum apice nigro; oculis et regione circa stemmata nigricantibus. *Antennae* corpore paulo longiores; articulis 1 et 2 nigris, subtus interdum testaceis; 3—7 nigris; 8—12 vel totis nigris, vel nigro-annulatis, sensim pallidioribus; sequentibus totis testaceo-fulvis. *Thorax* pectore, prothoracis lateribus et lineis tribus dorsalibus longitudinalibus latis subconfluentibus, vel dorso toto, puncto supra scutellum, alteroque ad latus scutelli, nigris aut nigro-fuscis; metathorace vel nigro, apice testaceo, vel macula dorsali et laterali fusca. *Alae* testaceo-hyalinae, apice subfuscohyalino; stigmate radice et squamula testaceis, radio et nervis fuscis. *Pedes* postici coxis vel nigris apice testaceo, vel macula laterali fusca,

femoribus fuscis, basin versus testaceis. *Abdomen* capite thoraceque vel triplo vel plus duplo longius; segmento 1 apice, 2 et 3 dorso, nigris aut nigro-fuscis, 4 vel toto testaceo vel macula dorsali et margine nigricantibus, 5—7 nigris. *Aculeus* brevissimus niger.

Unam feminam *Reusmann* cepit circa *Hannoveram*, altera prodiit mihi e pupa *Bombycis fagi*, haec, minor, antennis thorace abdomine pedibusque posticis magis colore nigro imbutis, ab illa differt.

F A M I L I A V,

seu subgenus:

M A C R U S,

a μακρὸς, longus, — ob abdomen longum.

Abdomine compresso longo, dorso carinato; areola parva triangulari; pedibus antennisque gracilibus; (aculeo brevi).

Caput transversum breve. — *Oculi* ovales. — *Antennae* graciles porrectae, corpore breviores aut fere ejus longitudine. — *Thorax* gibbulus aut subgibbulus. — *Scutellum* convexum, subquadrangulare; *Macro filiventri* subtriangulare apice obtuso, gibbulum. — *Alae* mediocres aut amplae; areola petiolata, triangulari aut minuta oblique-transversa, e. g. *M. filiventri*. — *Pedes* subgraciles aut graciles elongati. — *Abdomen* nitidum, compressum, superne carinatum, thorace plus duplo longius, thoracis dimidia aut quarta parte angustius, a latere visum vel ubique eadem altitudine (*M. filiventri*), vel apicem versus sensim altitudine crescente. Segmentum primum lineare, tuberculis lateralibus in medio vel paulo ultra medium sitis. — *Aculeus* exsertus, subsursum-curvatus, circiter quartae partis abdominis longitudine, terebra ipsa in unico individuo feminae (*filiventris*) hujus subgeneris, quod coram habeo, infra ventrem declinata.

De relationibus hujus subgeneris ad *Campopleges, Paniscos, Anomala, Ophiones,* haec subgenera conferre velis. — Praesertim autem *Trachynoti*, ob abdomen longius et gracilius, Macris adpropinquant, sed habitu toto, areola deficiente, abdomine ipso apicem versus crassiore, discedunt.

---

144. M. FILIVENTRIS. n.

Pedibus fulvis, coxis et femorum posticorum lateribus nigris. f.

Longitudo 4 linearum. *Caput* palpis stramineis. *Antennae* vix dimidio corpore paulo longiores, subfiliformes, subcurvatae, articulis 1 et 2 subtus piceo-ferrugineis. *Thorax* gibbulus. *Alae* breviusculae subhyalinae, stigmate et radio piceis, radice et squamula stramineis; areola minuta irregulari longepetiolata. *Pedes* mediocres fulvi; coxis nigris, anticis apice ferrugineo-fulvis; trochanteribus posticis basi supra nigris: femoribus posticis ferrugineo-fulvis, lateribus nigris; tibiis posticis apice nigricantibus; tarsis posterioribus fuscescentibus. *Abdomen* capite thoraceque plus duplo longius, angustissimum, ubique filiforme, apice compressiusculum nec vero ventricosum. *Aculeus* declinatus, subsursumcurvatus, longitudine quartae partis abdominis.

Unicam feminam *viennensem Dahl* mecum communicavit.

145. M. LONGIVENTRIS. n.

Abdominis medio castaneo, pedibus fulvis; facie flava, linea nigra. m.

Longitudo 10 linearum. *Caput* subpilosellum, palpis flavo-ferrugineis, clypei margine castaneo;

facie ferrugineo-flava, linea longitudinali nigra. *Antennae* filiformes, porrectae, corpore paulo breviores; subtus articulis 1 et 2 flavis, 3—20 ferrugineis sensim obscurioribus; sequentibus nigris. *Thorax* gibbulus subpilosellus. *Alae* subamplae, subfulvo-hyalinae; stigmate radio et radice fulvis, squamula flava; areola subregulari petiolata. *Pedes* elongati; anteriores flavi, femoribus supra fulvis, coxis pilosellis rufis basi nigra; postici rufi, coxis pilosellis basi nigra, trochanteribus subtus fulvis, tarsis pallide-flavis articulo primo basi fulvo. *Abdomen* subcompressum, dorso subcarinatum, thorace triplo longius; segmento 1 canaliculato et 2 nigris, apice castaneis; 3 et 4 castaneis; sequentibus castaneis dorso nigro.

Marem unicum cepi circa *Gottingam*.

146. M. CROCEICORNIS. n.

Abdominis medio antennis pedibusque rufis, tarsis posticis apice albis; orbitis oculorum internis flavis.

Longitudo 7 linearum. *Caput* palpis et orbitis oculorum internis latis flavis. *Antennae* filiformes, dimidio corpore longiores, apice subcurvatae, croceo-fulvae, articulis 1 et 2 supra nigris subtus flavis. *Thorax* gibbulus. *Alae* mediocres subhyalinae, stigmate et radio fulvo-ferrugineis, radice et squamula fulvo-testaceis; areola irregulari parva longepetiolata, sinistra completa,

dextra incompleta nervo exteriore obsoletissimo. *Pedes* elongati; anteriores flavescentes, coxis femoribus et latere supero trochanterum rufofulvis; postici rufi, tibiis apicem versus nigricantibus, tarsis albido-flavis articulo 1 ferrugineo-fusco. *Abdomen* capite thoraceque duplo longius, apicem versus compressum; segmento 1 subcanaliculato nigro, apice rufo: 2—5 rufis, 5 macula apicali nigra; 6 et 7 nigris; 6 lateribus castaneis.

Marem unicum, circa *Gottingam* captum, *Fehlero* debeo.

147. M. SOLEATUS. n.

Abdominis medio pedibusque rufis, tibiis posticis apice fuscis; tarsis posticis albis basi fusca; facie straminea. m.

Longitudo 7 linearum. *Caput* palpis et facie stramineis; mandibularum medio clypeique margine ferrugineis. *Antennae* filiformes, dimidio corpore longiores, apice curvatae, fuscae, subtus ferrugineae. *Thorax* gibbulo-cylindricus. *Alae* mediocres subhyalinae, stigmate et radio ferrugineo-piceis, radice et squamula rufis; areola irregulari petiolata. *Pedes* elongati rufi; anteriores tarsis tibiis et geniculis pallidioribus seu flavicantibus; postici trochanteribus superne et apice, nec non tibiis apicem versus, nigris, tarsis articulo 1 fusco, 2 ferrugineo apice albido, sequen-

tibus albidis. *Abdomen* thorace fere triplo longius, subcompressum, dorso subcarinato; segmento 1 nigro, apice rufo; 2—4 totis rufis; reliquis rufis, dorso nigro.

Marem unicum *Roentgen* cepit, mense Iunii, in *Hercynia*.

Nota:

Haec species forsan mera est varietas antecedentis.

F A M I L I A II,

seu subgenus:

TRACHYNOTUS;

a verbis τραχὺς, scaber, et νῶτος, dorsum — ob thoracem supra scabrum.

Abdomine petiolato longo gracili, apice compresso; areola nulla, cellula interiore nervos duos recurrentes excipiente; antennis brevibus gracilibus; pedibus mediocribus elongatis; (aculeo brevi).

Caput transversum breve. — *Oculi* ovales. — *Antennae* porrectae graciles filiformes, dimidii corporis longitudine, aut breviores. — De his et *partibus oris* Nees ab Esenbeck fusius disseruit in nota ad unicam hujus familiae speciem. — *Thorax* gibbus, punctis impressis crassiusculis scaber. — *Scutellum* subtriangulare aut subquadrangulare, convexiusculum. — *Alae* parvae; areola nulla, cellula interiore nervos duos recurrentes excipiente. — *Pedes* mediocres elongatuli; tibiis anticis feminae brevioribus et latioribus quam mari. — *Abdomen* petiolatum laeve nitidum gracile; thorace multo angustius et triplo longius, apicem versus sensim compressum, a latere visum clavatum; segmentis 1—3 longioribus gracilibus teretiusculis, 1 sublineari, tuberculis lateralibus obsoletis, inter medium et apicem sitis. — *Aculeus* exsertus, abdominis tertia aut fere quarta parte brevior.

De relationibus hujus familiae ad *Crypturos, Mesoleptos, Hemiteles, Arotas, Paniscos, Anomala, Ophiones* et *Macros*, haec subgenera conferas. — *Hellwigia,* quae, structura alarum, propius ad Trachynotos accedit, attamen habitu toto, thorace laevi, praecipue autem antennis incrassatis, bene distinguitur.

---

148. T. FOLIATOR.

Pedibus ferrugineis, nigro stramineoque maculatis; capite et thorace nigris, ferrugineo-variegatis. m. f.

Longitudo maris 3½—5, feminae 3—5½ linearum. *Caput* confertim punctum; mandibularum medio castaneo; orbitis oculorum verticalibus stramineis aut rufis, occipitalibus, interdum quoque frontalibus, castaneis, angustioribus aut latioribus; nonnunquam vertice et facie totis, seu punctis duobus faciei clypeoque, castaneis, denique fere capite toto rubricoso. *Antennae* porrectae filiformes, mari dimidii corporis longitudine, feminae breviores; articulo 1 subtus plerisque castaneo, rarius rufo. *Thorax* gibbulus, punctis confertioribus profundioribusque scaber, picturis castaneis aut rubricosis plus minus variegatus: 1) Linea seu macula ante alas; ut plurimum etiam puncto infra alas, lineisque duabus longitudinalibus dorsi, vel insuper macula aut maculis duabus lateralibus, rarius quoque metathoracis apice aut dorso toto, castaneis; demum 2) thorace fere toto rubricoso; lineis tribus dorsalibus longitudinalibus, media earum longissima, plerumque pectore, collo, macula laterali prothoracis, alteraque metathoracis, majoribus minoribusve, nigris. *Scutellum* plerumque rufum, rarissime stramineum aut nigrum. *Alae* breves, plus minus fumato-hyalinae, stigmate et radio ni-

gris, radice et squamula testaceis aut albidis, hac interdum basi subfusca aut tota rufa. *Pedes* mediocres elongatuli, colore variabili: 1) Coxis et trochanteribus nigris, subtus interdum plus minus rufis; femoribus anticis testaceis, basin versus interdum obscurioribus, mediis rufo-testaceis, basin versus nigris, feminae nonnunquam totis fuscis, posticis nigris, interne plerumque apicem versus castaneis; tibiis feminae brevioribus et validioribus quam mari, anterioribus mari exalbidis, extra stramineo-testaceis, feminae piceo-stramineis, intra testaceis, posticis fuscis, interne testaceo-stramineis aut rufis ferrugineisve, omnibus autem basi exalbidis; tarsis fuscis. Colore nigro magis magisque evanescente, pedes 2) rubricosi fiunt; coxis posticis rarius macula nigra; trochanteribus posterioribus, ut plurimum quoque anticis, supra nigris; femoribus posterioribus plerumque basin versus fuscis; tibiis anterioribus plurimorum interne stramineis, externe interdum fuscescentibus, posticis rubricosis, externe plerumque fuscis, omnibus tamen basi testaceis aut albidis; tarsis posticis fuscis. *Abdomen* maris capite thoraceque duplo aut plus duplo longius, feminis plerisque paulo brevius; segmentis 1—3 longis filiformibus teretibus, 4—7 compressis; 1 saepe basi apiceve seu basi et apice badio aut rufo; rarissime segmentis 2—4 fuscoferrugineis, marginibus pallidioribus aut testaceis. *Aculeus* rectus, longitudine tertiae aut quartae partis abdominis, niger; terebra badia aut testacea, quae,

sub ventrem replicata, longitudine abdominis totius est.

Mares et feminae, circa *Vindobonam, Genuam* et in *Regione Pedemontana* lecti, mecum communicati sunt. Feminae maribus longe frequentiores sunt: Ipse unam solummodo cepi, die 12 Iulii, in prato prope *Scheidnich;* plures autem, circa *Berolinum, Halam Saxonum, Norimbergam, Parmam,* nec non in *Volhynia* et *Iberia* lectae, mecum communicatae sunt. Notandum est, individua, thorace pedibusque magis colore rubricoso imbutis, omnia esse sexus feminini, longeque plurima eorum ex Italia transmissa.

Varietas:

1. *Thorace toto nigro.* m. — *Longitudo* 3—fere 6 linearum. *Caput* mandibularum medio castaneo; orbitis oculorum verticalibus stramineis aut testaceis, occipitalibus plerumque castaneis. *Alae* stigmate et radio nigris, radice exalbida, squamula rarius tota exalbida aut rufa nigrave, ut plurimum fusca apice exalbido. *Pedes* coxis et trochanteribus nigris; femoribus anticis testaceis, plerumque basin versus, aut latere externo toto, nigris fuscisve, mediis plerumque nigris, apicem versus testaceis, rarius testaceis, basin versus nigris, posticis nigris, interdum geniculo subtestaceo; tibiis anterioribus testaceis, ut plurimum extrorsum fuscis aut fuscescentibus, posticis fuscis, introrsum rufis aut ferrugineis, omnibus autem basi albido-testaceis; tarsis fuscis.

Mares plures accepi, circa *Berolinum, Halam Saxonum, Norimbergam, Vindobonam, Sickershausen, Parisios, Genuam, Florentiam,* nec non in *Regione Pedemontana* et in *Iberia*, lectos.

Synonyma:

Ichn. Geoffr. p. 353, n. 71.
Ichn. cruentatus Fourcr. p 418, n. 72, (haud confundi debet cum *Ichn. cruentato* Christ pag. 355).
Ichn. Geoffr. p. 325, n. 9.
Ichn. petiolatus Fourcr. p. 396, n. 9.
„ Villers, p. 188, n. 165; femoribus posterioribus incrassatis. (?)
„ Olivier p. 206, n. 3, (cave ne hunc confundas cum *Ichn. petiolato* Fourcr. p. 428, n. 104 et Villers pag. 191, n. 182, qui forsan ad *Hemitelem areatorem* aut *cingulatorem* spectat).
Ophion foliator Fabr. Ent. System. Supl. p. 239, n. 21.
Bassus foliator Fabr. Piez. p. 100, n. 29.
„ Gravenh. Additam. n. 9.
Ichn. foliator Thunb. Ichn. n. 463.

Nota:

De antennis et oris partibus *Nees ab Esenbeck* haec mecum communicavit: *Antennae* rectae filiformes, breves, articulis 31; radicula brevi tenui obconica; scapo subcylindrico, extrorsum parum obliquo et concavo crassiore; pedicello exserto

cylindrico; articulo accessorio distincto annuliformi; reliquis cylindricis contiguis decrescentibus pubescentibus, anterioribus maxime elongatis, extremis vix diametro longioribus, ultimo conico obtuso.

Clypeus distinctus, margine supero in medio recta impresso, utrinque, infra oculum, angulo obtuso descendente, puncto ad limbum oculi excavato; margine infero rotundato subretuso; superficie sursum magis elevata, in medio leniter excavata, rugulosa, apice abrupte depressa, laeviore, margine acuto. — *Labrum* subcoriaceum breve, basi transversum, margine antico rotundato, ciliato, paulo breviore, appendice (apice) tenui membranacea brevi ovato-triangulari obtusa glabra inflexa. — *Mandibulae* arcuatae compresso-triquetrae, superficie exteriori convexiuscula rugulosa pubescente, apice acute bifidae, dentibus divergentibus acutiusculis inaequalibus, supero majore. — *Maxillae*, labii longitudine, idque arcte amplectentes: *Stipes* compresso-triangularis, (a latere fere rectangulus) superficie inferiori cornea oblongo-lanceolata (elongato-triangulari), convexa laevi pubescente, apice introrsum obliquo: *Mala* stipitis longitudine, membranacea bifida, lacinia inferiori subtriangula, lobo interiori amplo rotundato, sursum replicato, supero subaequali, fere quadrato, margine supero rotundato, introrsum parum obliquo, ciliato. — *Palpi maxillares* mala vix duplo longiores, recurvi pilosi filiformes quinque-articulati; articulo primo clavato

truncato, 2 subcultrato compressiusculo, parum latiori, 3 cylindrico, apice obliquo, 4 et 5 magis contiguis, 4 cylindrico, basi tamen attenuato, 5 denique praecedente abrupte, sed parum, tenuiori, subcylindrico obtuso, in medio leniter extenuato, apice et basi crassitie aequalibus, in vivis autem non adeo attenuato, sed fere cylindrico; ratio longitudinis $\frac{1}{3}$. $\frac{5}{2}$. 4. — *Labium: Mentum* corneum, subrectangulum compressiusculum laeve convexum pubescens, apice rotundatum, vix autem sub palpis denticulatum; *Lingua* dimidio mento brevior at dimidii menti latitudine, membranacea ascendens, late cordata, laciniis amplis rotundatis, non ciliatis, modice decurvis. Rima fissurae paulo altius descendit recta linea laciniis ita contiguis ut mere cordiformis lingua appareat. — *Palpi labiales* lingua plus duplo longiores, incurvi filiformes hirti et (eheu Bracones meos!) triarticulati; articulo 1 clavato truncato, 2 cylindrico, paulo crassiori et breviori (potius ovato-subcompresso), 3 oblongo obtuso, basin versus subangustato, primum longitudine aequante.

Varietatis thorace toto nigro mas, longitudine fere 4 linearum, sub nomine *Anomali cruentati* Panzeri, mecum communicatus est. Quamvis autem hoc Panzeri Anomalon, in Faunae Ins. Germ. fasc. 94, tab. 15 editum, cum nostro Ophione intime cognatum sit, tamen aculeo multo longiore differt.

FAMILIA VII,

seu subgenus:

PACHYMERUS,

a παχὺς, crassus, et μηρὸς, femur — propter femora postica crassa.

Abdomine petiolato compresso; areola nulla; pedibus anterioribus subgracilibus; posticis elongatis, femoribus crassis; (aculeo longo).

Caput breve aut breviusculum. — *Oculi* prominentes ovales aut subglobosi. — *Antennae* porrectae, graciles aut subgraciles, longitudine mediocri. — De his et *partibus oris* conferatur nota ad *P. vulneratorem.* — *Thorax* gibbulus cylindricus. — *Scutellum* convexum aut gibbulum, subtriangulare apice obtuso. — *Alae* mediocres; areola nulla. — *Pedes* anteriores subgraciles, postici elongati, femoribus incrassatis, plerumque subtus dentatis. — *Abdomen* laeve petiolatum compressum, superne subcarinatum; a latere visum altitudine apicem versus sensim crescente. Segmentum primum elongatum, petiolo lineari, plerumque paulo latiore quam pars antica, rarius hujus latitudine, tuberculis lateralibus in medio sitis. — *Aculeus* exsertus, abdomine paulo brevior.

Relationis Pachymerorum ad *Anomala* sub his jam mentio facta est. — A *Cremastis* Pachymeri non nisi femoribus posticis crassis distinguuntur, caeterum eis peraffines sunt, eisque adpropinquant per *P. arcuatum,* cui femora haud dentata sunt. A reliquis Ophionum subgeneribus discedunt Pachymeri aliis quoque notis; ab *Hellwigia* etiam antennis. — *Acaenitae* autem et *Odonto-*

meri, femoribus posticis crassis cum Pachymeris convenientes, habitu toto, abdomine haud petiolato, etc. etc. satis ab his discrepant. — *Porizonum* species pedibus posticis crassis, quales sunt *Por. claviventris* et *gravipes*, a Pachymeris differunt praecipue cellula radiali majore triangulari rectangulari, et stigmate magno.

X 149. P. VULNERATOR.

Femoribus posticis dentatis; abdominis medio rufo; pedibus anterioribus rufis, basi nigris, posticis rufo-nigroque alternantibus. m. f.

Longitudo 2 — 3½ linearum. *Caput* palpis et mandibularum medio interdum flavis aut fulvis, rarius orbitis oculorum internis rufis. *Antennae* porrectae, mari corpore paulo breviores, feminae dimidio corpore aliquanto longiores. *Thorax* gibbulus. *Alae* mediocres, plus minus fumato-hyalinae; stigmate magno radioque fuscis, radice straminea, squamula nigra aut straminea. *Pedes* anteriores graciles, rufi aut fulvo-ferruginei, coxis vel totis vel basi nigris, trochanteribus interdum basi nigra; postici elongati, femoribus crassiusculis, vel nigro-fuscis, basi apiceque fulvo-ferrugineis, vel fulvis, subtus aut apice fuscescentibus, vel totis fulvis, subtus dente valido acuto, apicem versus inclinato, armatis, inter dentem et apicem autem subtiliter serratis, coxis nigris, trochanteribus fulvo-ferrugineis, plerumque basi nigris, tibiis fulvo-stramineis, apice nigro-fuscis, basi interdum fuscescentibus, tarsis subfuscis. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, subcompressum; *mari* segmenti 2 margine, 3 vel toto vel sola basi, testaceo; *feminae* vel segmentorum omnium marginibus rufis, vel segmenti 2 margine et segmenti 3 puncto laterali castaneis; segmento 1

apicem versus sensim dilatato; tuberculis lateralibus in medio sitis. *Aculeus* fere abdominis longitudine, niger, terebra castanea.

Mares feminaeque, circa *Sickershausen* et *Genuam* lecti, mihi transmissi sunt; insuper mares nonnullos, circa *Warmbrunn, Berolinum*, in *Regione Pedemontana* et in *Iberia* lectos, feminasque, circa *Niesky* captas, accepi.

Varietas:

1. *Abdomine toto nigro.* f. — *Longitudo* 2 linearum. *Caput* ore et clypeo brunneis. *Antennae* articulo 1 interdum subtus brunneo. *Alae* sicut in specie genuina. *Pedes* fulvo-straminei aut rufi, coxis nigris; postici femoribus vel nigris geniculo rufo, vel fuscis basi apiceque stramineo-fulvis, tibiis rufis, basi apiceque fuscis aut nigris, tarsis vel totis fuscis vel basi articulorum rufa. *Abdomen* interdum margine segmenti 2 badio. *Aculeus* abdomine dimidio paulo longior.

Unam feminam cepi, mense Augusti, prope *Cudovam* in umbellatis; alteram, eamque segmento 2 marginato, femoribus posticis basi apiceque fulvis, *Nees ab Esenbeck* cepit circa *Sickershausen.*

Synonyma:

Ichn. vulnerator Panzer Fauna Fasc. 72, tab. 5; habitat in umbelliferis. (mas).

Ophion vulnerator Gravenh. Uebers., n. 3793. (femina).

Nota:

Ex observationibus *Neesei ab Esenbeck*, antennarum orisque structura haec est:

Antennae tenues rectae, filiformes seu extrorsum paulo crassiores; articulis 34; radicula brevi angusta disciformi; scapo brevi crassiusculo obovato, oblique truncato, concavo; pedicello parum exserto, brevissimo truncato-conico; articulo 4 annuliformi distincto; reliquis subcylindricis, anterioribus valde elongatis et versus basin tenuioribus, 5 longissimo, tum pluribus exacte cylindricis, diametrum longitudine parum superantibus, extremis denique transversis magisque contiguis, ultimo ovato obtuso.

Clypeus linea arcuata impressa discretus, transversus, ambitu ovali; convexus punctulatus, margine infero rotundato. — *Labrum* inflexum membranaceum elongato-triangulum, in cuspidem subfiliformem attenuatum, oris partem obtegens, ciliatum. *Mandibulae* compressae, basin versus parum dilatatae, margine supero et infero rectis, facie exteriore plana punctulata pubescente, interiori concaviuscula subcarinata, apice acute-bifido, dentibus acutis divergentibus aequalibus. *Maxillae* labium includentes, ejusdemque longitudine: *Stipes*, a latere visus, obtriangulus, parte infera cornea lineari-lanceolata, introrsum obliqua, convexa laevi glabra: *Mala* stipitis longitudine sed, praesertim basi, eodem duplo latior, membranacea bifida, lobo infero majore, apice tantum discreto, introrsum ultra secundum valde

dilatato, rotundato, angulo medio obtuso ascendente, supero obovato angustiori, paulo obscuriori, margine supero ciliato. — *Palpi maxillares* mala duplo longiores, filiformes tenues recurvi pilosi; articulis crassitie fere aequalibus, 1 obconico truncato, reliquis cylindricis, 2 et 3 tamen basin versus parum angustatis, hoc apice obliquo, primi crassitie, reliquis paulo tenuioribus, valde discretis ob articulationem pellucidam, ultimo obtuso; ratio longitudinis $\frac{2}{3}$. $\frac{4}{5}$ (differentia vix computanda) 1. — *Labium: Mentum* corneum lineari-obconicum convexum laeve glabrum, apice rotundatum: *Lingua* menti longitudine, membranacea ascendens rectangula, lateribus deflexis, apice bifida, laciniis rotundatis crenulatis nudis deorsum flexis. — *Palpi labiales* lingua duplo longiores, filiformes recurvi pilosi quadriarticulati, articulo 1 obconico truncato, 2 obovato compressiusculo, apice obliquo, paulo latiori, 3 et 4 tenuioribus oblongis, 4 obtuso, omnibus aequilongis.

150. P. CALCITRATOR.

Femoribus muticis; abdominis medio rufo, pedibus anterioribus rufomaculatis. m. f.

Longitudo 3—4 linearum. *Antennae* filiformes, dimidio corpore parum longiores, porrectae, apice subcurvatae, subtus flavicantes aut fulvae aut ferrugineae, rarius fuscae; plerumque

articulo 1, rarius quoque 2, toto nigro. *Thorax* cylindricus. *Alae* mediocres, hyalinae aut subfumato-hyalinae; stigmate radio et radice fuscis aut stramineis, squamula nigra aut fusca, rarius picea. *Pedes* anteriores graciles, coxis et trochanteribus nigris, femoribus anticis fulvis, extrorsum nigris, mediis nigris, latere interno vel toto, vel apicem versus, vel apice solo, fulvo, tibiis fulvis, extrorsum interdum fuscis, tarsis mediis, rarius etiam anticis, fuscescentibus; postici longiores et validiores, coxis fere longitudine femorum clavatorum, nigri, trochanteribus nonnunquam apice ferrugineo, tibiis rarius nigris, basi summa fuscis, plerumque fuscis aut fusco-ferrugineis, basi pallidiore aut straminea, tarsis fuscis aut fuscoferrugineis, rarius nigris. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius et paulo angustius, interdum fere thoracis latitudine, subcompressum, segmentis 2—6 dorso aequilatis seu sensim latioribus; segmento 1 sublineari aut apicem versus sensim paulo latiore, nigro aut stramineo, seu nigro apice fulvo, parte antica latitudine duplo longiore et paulo longiore quam petiolus, 2 vel toto fulvo aut rufo, vel disco nigro aut fusco, rarius fere toto nigro; 3 fulvo aut rufo, rarius margine aut disco aut fere toto nigro; 4 vel nigro aut fulvo, vel marginem versus nigro, margine ipso glaucescente, rarius toto nigro; sequentibus nigris et interdum vel omnibus, vel solis duobus ultimis, margine summo glaucescente, 3—5 feminae ventre acute prominentibus. *Aculeus*

niger, longitudine tertiae aut quartae partis abdominis.

Mares feminasque plures legi circa *Vratislaviam*, mense Iunii, in gramine, multosque accepi, circa *Warmbrunn*, *Vindobonam*, *Trajectum ad Moenum*, et praecipue in *Regione Pedemontana*, lectos. Insuper mares nonnulli, circa *Aboam*, *Genuam* et *Sickershausen*, nec non in *Volhynia* lecti, feminaeque, circa *Niesky* et *Parisios* lectae, mecum communicati sunt; ipse quoque circa *Helmstadium* cepi feminam, in gramine.

Synonyma:

Ichn. coxator Villers p. 193, n. 190; in Gallia australi.
„ Olivier p. 216, n. 56; in Gallia meridionali.
Bassus calcitrator Gravenh. Uebers., n. 3780.

Synonyma dubia.

Ichn. Geoffroi p. 330, n. 19.
Ichn. falcatus Fourcr. p. 399, n. 19.
Ichn. arcuatus Olivier p. 208, n. 9.

Nota:

Ichneumones, sub synonymis dubiis allegati, abdomen habere videntur totum nigrum, indeque ad individua nostrae speciei segmentis mediis fere totis nigris, referri possunt. Villers Ichneumonem citatum Geoffroii ad *Ichn. exaratorem* adhibet, qui autem longe differt.

FAMILIA VIII,

seu subgenus:

CREMASTUS;

a κρεμαστὸς, suspensus — quia abdomen petiolo tenui tanquam suspensum est.

Abdomine petiolato compresso petiolo longo tenui; areola nulla; antennis pedibusque gracilibus; (aculeo mediocri).

Caput breve aut breviusculum. — *Oculi* prominentes ovales aut subglobosi. — *Antennae* graciles, apice curvatae aut subcurvatae. — *Thorax* gibbulus aut cylindricogibbulus. — *Scutellum* plus minus convexum, triangulare apice obtuso. — *Alae* mediocres, areola nulla. — *Pedes* graciles, rarius submediocres, e. g. *Cr. interruptori.* — *Abdomen* laeve petiolatum compressum, thorace angustius et longius, interdum plus duplo longius, a latere visum clavatum, segmento secundo plerumque vix subcompresso. Segmentum primum petiolo gracili, angustiore et longiore quam pars antica; hac plerisque duplo latiore quam petiolus, convexa aut convexiuscula, latitudine longitudinis, rarius longiore quam lata et subconvexiuscula, e. g. mari *Cr. bellicosi.* — *Aculeus* exsertus, longitudine dimidii abdominis, aut longior, rectus aut subdeorsumcurvatus.

Relationum hujus subgeneris ad *Tropistas, Campopleges, Paniscos, Anomala, Ophiones* et *Pachymeros* supra jam ratio habita est. — Cremasti etiam cum *Porizonibus* affines sunt, sed nervis alarum distincti, nam cellula radialis magis in longitudinem, at minus in latitudinem seu versus

medium alae extenditur; nervus, qui cellulas duas cubitales sejungit, longior est; nervus inferior exterior cellulae interioris longior est et minus rectus, quam in Porizonibus; tamen *Cr. confluenti* et *decorato* hic nervus magis rectus est quam in reliquis cospeciebus. — *Hellwigia* autem habitu toto, nervis alarum, antennis incrassatis, longe a Cremastis distat.

SECTIO I.

Scutello pallido.

---

151. C. DECORATUS. n.

Segmentis rufomarginatis, thorace et collo rufo-flavoque variis; pedibus testaceis, basi pallidioribus, posticis nigromaculatis. m. f. (*mas* facie flava; *fem.* orbitis oculorum flavis).

Longitudo paulo ultra vel paulo infra 3 lineas. *Caput* maris flavum, oculis griseo-viridibus, stemmatibus rufo-hyalinis, regione circa stemmata nigra; feminae nigrum, ore et orbitis oculorum omnibus flavis, facie juxta orbitas rufescente. *Antennae* filiformes, dimidio corpore longiores, fuscae aut nigrae, articulo 1 subtus pallido. *Thorax* gibbulus, collo et prothorace testaceis aut flavis; hoc lineis tribus dorsalibus longitudinalibus latis, vel omnibus rufis, vel media nigra, vel omnibus nigris rufo-submarginatis, lateribus vel rufo- vel rufo-nigroque-maculatis, pectore nigro; metathorace nigro, lateribus, interdum quoque regione ante petiolum, mari flavis, feminae testaceo-ferrugineis. *Scutellum* flavum. *Alae* mediocres hyalinae, stigmate et radio fusco-piceis, radice et squamula flavis. *Pedes* graciles luteo-fulvi; coxis et trochanteribus pallidioribus aut flavis, posticis basi nigris; femoribus posticis ut plurimum externe plus minus colore nigro imbutis; tibiis posticis apice et basi fuscescentibus aut nigricantibus; tarsis posticis fuscis. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius, nigrum, segmentorum

marginibus late-rufis, feminae obscurioribus quam mari; segmenti 1 parte antica latitudine longiore, at latiore dimidioque breviore quam petiolus. *Aculeus* appendice affixus, sicut in *Oph. gemino*, n. 158; vaginis dimidio abdomine longioribus.

Mares nonnullos *a Spinola* legit circa *Genuam;* feminae duae, in *Tauria* et *Regione Pedemontana* captae, mecum communicatae sunt.

152. C. CONFLUENS. n.

Pedibus anterioribus rufis; lineis thoracis orbitisque oculorum flavis. f.

Statura et proportio partium omnino feminae antecedentis.

Longitudo fere 4 linearum. *Caput* palpis fuscis, mandibulis flavis apice ferrugineo, clypeo flavo macula nigra, oculorum orbitis omnibus flavis. *Antennae* filiformes, vix dimidio corpore paulo longiores, articulo primo subtus ferrugineo. *Thorax* gibbulus; linea utrinque ante alas, duobusque dorsalibus, antice per paria connexis, puncto supra coxas medias et colli marginibus, flavis. *Scutellum* flavum. *Alae* mediocres, breviusculae, hyalinae, stigmate et radio fusco-piceis, radice et squamula flavis. *Pedes* graciles; anteriores rufo-fulvi, coxis flavis basi nigra; postici nigri, trochanteribus et femoribus supra ferrugineis. *Abdomen* capite thoraceque longius, nigrum; segmento 2 ventre flavo; sequentibus ven-

tre summo fuscescente; 1 parte antica latitudine longiore, at latiore et breviore quam petiolus. *Aculeus* dimidio abdomine longior, niger.

Unicam *austriacam* feminam *Dahl* mihi misit.

Nota:

Haec species medium tenet inter antecedentem et sequentem. Caeterum autem, tam in hac specie quam in antecedente, cellulae interioris nervus inferus exterior minus curvatus est quam in reliquis hujus familiae cospeciebus, sed magis rectus, quo haec familia propius accedit ad insequentem.

153. C. INTERRUPTOR. n.

Marginibus segmentorum rufis, thorace flavo-lineato; pedibus rufis, basi stramineo-maculatis, posticis nigro-maculatis, facie flavo-maculata. m. f.

Statura et proportio partium omnino antecedentis; an ejus varietas? Femoribus aliquanto crassioribus.

Longitudo 3—3½ linearum. *Caput* palpis ferrugineis, mandibulis flavis apice ferrugineo; clypeo flavo, feminae puncto nigro, orbitis oculorum omnibus flavis; mas facie flava, linea longitudinali nigra. *Antennae* articulo 1 subtus flavo. *Thorax* linea utrinque ante alas, lineisque duabus dorsalibus longitudinalibus, antice per paria conjunctis, lineola parva infra alas, punctoque supra

coxas medias, interdum etiam colli lateribus, flavis aut rufis. *Scutellum* flavum aut flavoferrugineum. *Alae* hyalinae aut subfumato-hyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula stramineis. *Pedes* rufi; coxis feminae stramineis basi nigra, mari anterioribus flavis, posticis nigris apice stramineo; trochanteribus stramineis, mari omnibus, feminae solis posticis, basi nigris; tibiis posticis basi apiceque nigricantibus; tarsis posticis fuscis. *Abdomen* maris marginibus segmentorum 1—3, feminae marginibus omnibus, ultimis tamen obsoletioribus, rufis. *Aculeus* dimidio abdomine longior, niger.

Marem unum accepi, circa *Norimbergam* captum, feminam unam, circa *Sickershausen* captam.

SECTIO II.

Scutello nigro.

---

154. C. LINEATUS. n.

Lineis quatuor thoracis, ore orbitis pedibusque, testaceis; segmenti secundi margine castaneo. m.

Statura et proportio partium *Cr. pungentis* maris, n. 159. Pictura thoracis speciebus sectionis primae respondet, sed scutello nigro, parte antica segmenti 1 angustiore, etc. ab illis differt.

Longitudo 3 ¼ linearum. *Caput* ore testaceo-stramineo, orbitis oculorum omnibus flavis. *Thorax* utrinque linea ante alas, lineisque duabus dorsalibus longitudinalibus, antice per paria junctis, flavis rubro-marginatis. *Alae* hyalinae, stigmate piceo, radio radice et squamula stramineis. *Pedes* anteriores stramineo-testacei, coxis et trochanteribus flavis, basi nigris; postici coxis et trochanteribus nigris, his apice testaceo, femoribus testaceo-rufis, basi summa nigris, tibiis pallide-stramineis, basi et apicem versus fuscis, tarsis subtestaceis. *Abdomen* segmento 2 margine castaneo, 3 dorso badio, ultimo stylis quatuor brevibus cylindricis subexsertis.

Unicum hujus speciei marem *a Steven* mihi misit e *Tauria.*

155. C. SPECTATOR. n.

Coxis anterioribus luteomaculatis, femoribus rufis; tibiis anticis rufis, posterioribus fusco-alboque maculatis; orbitis oculorum testaceis. f. (aculeo abdomine paulo breviore).

Statura et proportio partium omnino *pungentis*, n. 159. f.

Longitudo fere 4 linearum. *Caput* palpis mandibulis et orbitis oculorum testaceis, facie griseo-sericea. *Thorax* griseo-sericeus. *Alae* fumato-hyalinae, stigmate fusco, radio piceo, squamula et radice pallide-stramineis. *Pedes* rufi; coxis et trochanteribus anticis testaceis basi nigra, mediis nigris apice testaceo, posticis totis nigris; tibiis mediis ferrugineis, extrorsum basi fuscis, ante basin exalbidis, posticis fuscis, extrorsum medio exalbidis, tarsis fuscescentibus. *Aculeus* abdomine paulo brevior.

Unicam *genuensem* feminam *a Spinola* mecum communicavit.

156. C. BINOTATUS. n.

Segmentis 2 et 3 rufo-marginatis; pedibus nigro-rufo-flavoque variegatis; maculis duabus dorsalibus thoracis, ore et orbitis oculorum, flavis. m.

Statura et proportio partium maris sequentis individuorum segmento primo longiore.

Longitudo 4—4 ⅓ linearum. *Caput* ore, clypei puncto laterali, orbitisque oculorum omnibus, flavis. *Thorax* maculis duabus ante collum, interdum obsoletioribus, flavis. *Alae* hyalinae, stigmate et radio fusco-nigris, radice et squamula flavis. *Pedes* coxis et trochanteribus flavis, basi plus minus nigris, posticis nonnunquam totis nigris; femoribus anterioribus rufis, subtus et apice flavicantibus, mediis superne nigris, posticis nigris geniculo rufescente; tibiis albido-flavis, anterioribus externe fulvis, mediis tamen linea nigricante, posticis fuscis, introrsum medio flavo-albis; tarsis fuscis. *Abdomen* segmentis 2 et 3 margine lato rufo aut castaneo.

Mares duos, circa *Genuam* captos, *a Spinola* mecum communicavit.

157. C. BELLICOSUS. n.

Segmenti secundi margine castaneo; pedibus rufis, posticorum coxis et tibiarum apice nigris; orbitis oculorum flavis. m. f. (aculeo longitudine dimidii abdominis).

Longitudo maris 2⅕—4, feminae 2⅕—3 linearum. *Caput* ore et orbitis oculorum omnibus plerumque flavis aut ferrugineis, mandibularum apice, interdum quoque clypeo, nigro, orbitis feminae interdum obsoletis et tantum in summo vertice distinctis; facie subsericante. *Antennae* subgraciles, dimidio corpore longiores, apice curvatae; articulo 1 subtus flavo aut ferrugineo, mi-

noribus fere toto nigro. *Thorax* subsericeus, gibbulus aut gibbulo-cylindricus. *Alae* mediocres, feminae interdum minores, hyalinae seu subfumatohyalinae, stigmate et radio nigris aut fuscis, radice et squamula stramineis. *Pedes* subgraciles; anteriores rufi aut testacei, coxis et trochanteribus interdum plus minus basi nigris, rarissime fere totis nigris, femoribus nonnunquam basi fuscescentibus; postici coxis et trochanteribus nigris, his plerumque apice rufo, femoribus rufis, interdum fuscis apice plerumque subtestaceo aut ferrugineo, tibiis rufis, apice plerumque obscuriore aut subnigricante, rarius etiam basi fusca aut fuscis medio ferrugineo vel sordide albido-stramineo, rarissime totis fuscis, tarsis fuscescentibus. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine seu paulo longius, thorace dimidio seu minus dimidio angustius, superne lineari-fusiforme, a latere clavatum; segmento 1 lagenaeformi, nigro, rarissime summo margine castaneo, petiolo longiore quam pars antica; 2 margine rufo castaneove aut badio; 3 interdum dorso obsolete castaneo. *Aculeus* longitudine dimidii abdominis, seu paululum brevior.

Mares feminaeque plures, circa *Berolinum* et *Vindobonam* lecti, mecum communicati sunt; feminam, circa *Halam Saxonum* captam, *Germar* transmisit.

Varietas:

1. *Abdomine toto nigro.* m. f. — *Longitudo* maris 3½, feminae 2⅔ linearum. *Caput* ore et

orbitis oculorum flavis aut testaceis. *Antennae* totae nigrae. *Alae* ut in specie genuina. *Pedes maris* coxis et trochanteribus nigris, his apice testaceis; femoribus nigris, apice et lateribus rufo-testaceis; tibiis testaceo-rufis, posticis summo apice summaque basi fuscis; tarsis testaceis, posticis fuscescentibus; *feminae* anteriores testaceo-rufi, coxis obscurioribus, trochanteribus basi nigris, tarsis fuscescentibus; postici coxis et trochanteribus nigris, femoribus ferrugineis, basin versus fuscis, tibiis testaceo-ferrugineis, basi apiceque fuscis, tarsis fuscis. *Aculeus* longitudine dimidii abdominis.

Marem accepi, circa *Warmbrunn* captum, feminam, *Halae Saxonum* captam.

Nota:

E feminis austriacis una minorum a reliquis omnibus, pedibus posticis totis fuscis, segmenti primi margine summo castaneo, alis brevioribus, differt. Notandum quoque est, individuorum, petiolo abdomineque brevioribus, plurima pedibus anterioribus basi plus minus nigris gaudere; sed hae differentiae sensim sensimque commutantur et transeunt, simulque in individuis berolinensibus et viennensibus obveniunt.

158. C. GEMINUS. n.

Segmento secundo rufo, basi et macula laterali nigris; pedibus rufis; coxis nigromaculatis; ore et orbitis oculorum fulvis. f.

Statura et proportio partium feminae antecedentis; an ejus varietas, colore rufo segmenti 2 praevalente?.

Longitudo 3—3⅓ linearum. *Caput* ore et orbitis oculorum omnibus fulvis. *Antennae* subtus articulo 1, ut plurimum etiam 3 et 4, rufescentibus. *Alae* fumato-hyalinae, stigmate fusco, radio piceo, radice et squamula pallide flavis. *Pedes* rufi; coxis et trochanteribus posticis nigris, apice rufescentibus; coxis mediis, interdum quoque trochanteribus mediis, basi nigris; tibiis posticis plerumque apice et summa basi fuscescentibus; tarsis posticis plerumque fuscis. *Abdomen* segmento 1 apice castaneo; 2 rufo, basi et macula laterali nigris; 7 appendiculato, appendice compressa conica, dorso canaliculata, basi vaginis instructa longitudine dimidii abdominis vel paulo longioribus, apice terebra ipsa rufa, situ et mechanismo quales infra, sub *Porizone harpuro* descripturus sum.

Individua nonnulla mecum communicata sunt, circa *Vratislaviam*, *Berolinum*, *Warmbrunn*, *Vindobonam* et *Norimbergam* capta.

159. C. PUNGENS. n.

Segmentis 2 et 3 castaneo-marginatis; pedibus anterioribus rufis, basi nigro-maculatis, posticis fuscis, femoribus tibiisque pro parte rufis; orbitis oculorum flavis. m. f.

Statura et proportio partium *Cr. bellicosi*, n. 157; an varietas ejus? aculeo et petiolo longioribus.

Longitudo maris $2\frac{3}{4}$—$3\frac{1}{3}$, feminae $2\frac{1}{4}$—4 linearum. *Caput* palpis mandibulis et orbitis oculorum flavis seu ferrugineis, mandibularum apice nigro, rarius etiam clypeo rufo. *Antennae* articulo 1 interdum subtus ferrugineo. *Alae* stigmate et radio fuscis aut piceis, radice et squamula stramineis. *Pedes* anteriores rufi, coxis et trochanteribus mediis, interdum quoque anticis, basi nigris, femoribus mediis plerumque, anticis rarius, basin versus fuscis; postici nigro-fusci, tibiarum medio et femorum latere supero apiceve rufis aut ferrugineis, tibiis nonnunquam totis fuscis aut fere totis rufis. *Abdomen* segmentis 2 et 3 apice badiis, 3 interdum toto nigro. *Aculeus* dimidio abdomine longior, interdum fere longitudine abdominis.

Nonnullos mares et feminam, circa *Warmbrunn* lectos, *Manger* mecum communicavit. Praeterea marem accepi, prope *Berolinum* captum, duasque feminas, circa *Genuam* captas.

Varietas:

1. *Femoribus posticis totis rufis, facie tota nigra.* f. — *Longitudo* 3½ linearum. *Caput* orbitarum frontalium verticalium et occipitalium stramineαrum vestigio. *Pedes* postici femoribus tarsis tibiisque rufis, his solo apice summo fuscis. — Caetera feminae genuinae respondent.

Hanc varietatem *Besser* e *Volhynia* misit.

160. C. INFIRMUS. n.

Pedibus rufis, coxis et trochanteribus posticis nigris apice testaceo, tibiis posticis basi apiceque fuscis; ore et orbitis oculorum flavis. m. f.

Statura paulo gracilior quam in specie antecedente; aculeus paulo longior.

Longitudo maris vix ultra 2 lineas, feminae 2⅔ linearum. *Caput* ore clypeo et oculorum orbitis omnibus, flavis. *Antennae* filiformes graciles curvatae, dimidio corpore longiores. *Thorax* gibbulo-cylindricus. *Alae* mediocres subhyalinae, stigmate et radio fusco-piceis, radice et squamula stramineis aut flavis. *Pedes* graciles, rufi aut testacei; antici trochanteribus basi fuscescentibus, mari coxis basi nigricantibus, tibiis mediis extrorsum obscurioribus; postici coxis et trochanteribus nigris, apice stramineis aut testaceis, tarsis, nec non tibiarum apice et basi, subfuscescentibus, mari femoribus basin versus fuscis. *Abdomen* capite

thoraceque longius, tenue, compressum; a latere visum mari apicem versus ventricoso-clavatum, feminae sensim crassius, nec vero ventricosum nec subventricosum; segmento 1 petiolo duplo longiore et dimidio tenuiore quam pars antica; 2 margine obsolete castaneo. *Aculeus* longitudine abdominis, terebra fulva.

Feminam cepi circa *Gottingam*, marem vidi in museo *Klugii* Berolini.

Synonyma:

Ophion moderator Grav. Uebers. n. 3794 (haud Fabricii, de quo infra).

FAMILIA IX,

seu subgenus:

PORIZON.

Abdomine petiolato maris compresso, feminae compressiusculo aut teretiusculo; cellula radiali permagna triangulari rectangulari, stigmate magno; areola nulla, cellulae interioris nervo inferiore exteriore brevi recto; (aculeo sursum curvato).

Corpus parvum aut mediocre. — *Caput* transversum, breve aut breviusculum. — *Oculi* ovales aut subglobosi, plurimis mediae magnitudinis, multis subparvi, *Porizoni boopi* permagni prominentes. — *Antennae* filiformes, graciles aut mediocres, apice curvatae aut involutae, plerisque circiter dimidii corporis longitudine aut paulo breviores, rarius tertia corporis parte breviores, e. g. *P. boopi* et *fulvipedi.* — De antennis et *partibus oris* fusius actum est in nota ad P. nutritorem. — *Thorax* gibbus aut gibbulus, quibusdam cylindricus, v. c. *P. harpuro* et *claviventri.* — *Scutellum* gibbulum aut gibbum. — *Alae* mediocres aut amplae, vel etiam corpore breviores; stigmate et cellula radiali majoribus quam in reliquis familiis Ophionum; hac triangulari rectangulari, angulo recto stigmati opposito et fere in medio alae sito; areola nulla, cellulae interioris nervo inferiore exteriore breviore quam in aliis familiis, recto, et, una cum nervo inferiore cellulae exterioris, ex ipso angulo recto cellulae radialis orto, nervus enim, qui in aliis familiis, ubi areola deest, cellulam externam ab interna sejungit, hic in punctum tendinosum crassiusculum commune contractus est, e quo cathe-

tae cellulae radialis et nervi inferiores indicati cellularum cubitalium oriuntur. — *Pedes* plerisque graciles aut submediocres; rarius postici breves validi, tibiis femoribusque crassis compressis, v. c. *P. claviventri* et *gravipedi.* — *Abdomen* petiolatum nitidum laeve, thoracis longitudine aut longius, compressum; maribus thorace multo angustius, dorso carinato; feminis latitudine thoracis aut paulo angustius, dorso convexo, oblongo aut oblongo-ovato; feminis *P. harpuri* et *fulvipedis* vix subcompressiusculum, feminis *P. claviventris* et *gravipedis* minime compressum, sed clavato-teretiusculum; a latere visum, maribus vel apicem versus sensim crescens, vel pyriforme, feminis vel clavatum vel pyriforme, rarius, segmenti primi haud ratione habita, triangulare, e. g. *P. saltatori*, quae forma autem oriri videtur si terebra vi quadam sursum erecta, segmenta postica in anteriora reprimit indeque haec extendit. Segmentum primum vel laevissimum vel canaliculatum; parte antica latiore plurimisque breviore quam petiolus, maribus subaequilata et paulo latiore quam petiolus, feminis latiore quam maribus, apicem versus sensim dilatata. — *Aculeus* sursum curvatus, brevior aut longior. De insertione singulari terebrae ejusque vaginarum conferre velis quae sub *P. claviventre* et *gravipede* dixi.

Relationum hujus familiae ad *Plectiscos*, *Rhyssas*, *Tropistas*, *Pachymeros* et *Cremastos* jam sub his mentionem feci. — *Xylonomis*, *Xoridis*

et *Odontomeris* deest quidem areola, et cellula exterior et interior puncto tendinoso cum cellula radiali cohaerent, ut in Porizonibus, sed cellulae radialis forma, abdomen subpetiolatum aut sessile, aculeus haud sursum curvatus, genera ista a Porizonibus distinguunt, licet per Odontomeros, quibus *Porizon claviventris* et *gravipes*, propter femora postica crassiora, respondent, quodammodo transitus inter Porizones et Xylonomos praeparetur.

SECTIO I.

Abdomine nigro et rufo colorato.

Individua *Poriz. claviventris*, segmentis obsolete badio-marginatis, nec non *minatoris* var. abdomine fere toto nigro, ad sectionem secundam spectant.

In *sectione secunda* autem omnia fere individua abdomen habent plus minus distincte colore pallidiore imbutum.

---

161. P. HOSTILIS. n.

Femoribus tibiisque rufis. m. f. (*mas* abdomine rufo, basi apiceque nigro, *fem.* abdomine rufo, basi nigro).

Statura et proportio partium *P. harpuri,* n. 164, huicque affinis, magnitudine et trochanteribus totis nigris discedens; femina praeterea abdomine pedibusque crassioribus, thorace magis cylindrico, a femina *harpuri* differt.

Longitudo maris $3\frac{1}{5}$—fere 4, feminae $3\frac{1}{3}$ linearum. *Caput* medio mandibularum rufo. *Alae* plus minus fumatohyalinae, radio et stigmate nigris aut fuscis, radice picea aut subtestacea, squamula maris ferruginea, feminae fusca, rarius nigra. *Pedes* maris mediocres, ut in Oph. harpuro, feminae autem femoribus tibiisque crassioribus et brevioribus, fere ut in specie sequente; rufi, trochanteribus et coxis nigris, illorum anticis plerumque, interdum etiam mediis, apice rufis. *Abdomen maris* segmento 1 nigro canaliculato, parte antica paulo breviore pauloque latiore quam petiolus, tuberculis lateralibus distinctis; 2 rufo aut fulvo, summa basi dorsi nigricante; 3 rufo aut fulvo, nonnunquam apice fusco; 4 rarius toto, plerumque solis lateribus, rufo aut fulvo; 5 interdum lateribus rufescente; *feminae* capite thoraceque paulo longius et fere duplo latius, pyriforme, rufum; segmento 1 toto, 2 basi, nigro; appendice apicali

abscondita. *Aculeus* vaginis longitudine dimidii abdominis, sursum curvatis.

Marem et feminam *Klug* cepit in locis aridis circa *Berolinum;* marem cepi, versus finem Septembris, prope *Trajectum ad Viadrum,* in pino sylvestri; alii nonnulli mihi transmissi sunt, circa *Warmbrunn, Meffersdorf* et in *Tauria* lecti.

161b. P. RUFINUS. n.

Abdomine rufo, segmento primo lineari nigro; pedibus rufis, femoribus posticis nigris. f. (aculeo longitudine tertiae partis abdominis).

Haec species ab omnibus cospeciebus segmento primo lineari aequilato differt, a sequente *claviventre* praeterea pedibus longioribus.

Longitudo 2⅓ linearum. *Caput* palpis (mandibulisque?) rufis. *Antennae* filiformes, vix dimidii corporis longitudine. *Thorax* gibbulus. *Alae* fumato-hyalinae, stigmate et radio nigris, radice et squamula testaceis. *Pedes* mediocres; anteriores dilute-rufi, tibiis pallidioribus, coxis et trochanterum basi nigris, femoribus mediis supra linea longitudinali nigricante; postici coxis et trochanteribus nigris, his apice stramineo, femoribus nigris geniculo summo substramineo, tibiis tarsisque sordide-stramineis. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius, thoracis latitudine depressiusculum (sed, animalculis ipsis chartae adglutinatis, forsan difforme et praeter naturam depressum);

segmento 1 nigro lineari aequilato canaliculato, latitudine fere quadruplo longiore, tuberculis inter medium et basin sitis; sequentibus rufis; 2 subquadrato, basin versus sensim paulo angustato; 3—6 transversis aequilatis; 7 angustiore obscuriore. *Aculeus* circiter longitudine trientis abdominis, niger.

Feminas duas, circa *Netley* captas, *Hopeo* debeo.

162. P. CLAVIVENTRIS. n.

Abdomine nigro-fusco, segmentis castaneo-marginatis; pedibus crassis brevibus rufis, coxis posticis nigris. f. (aculeo longitudine quartae partis abdominis.)

Statura et proportio partium feminae *Por. hostilis*, n. 161, pedibus autem crassioribus.

Longitudo 2—2½ linearum. *Caput* mandibulis obscuroferrugineis aut rufis, apice nigro. *Antennae* filiformes, dimidii corporis longitudine, seu paulo longiores. *Thorax* cylindricus. *Alae* mediocres hyalinae, radio et stigmate nigris, radice straminea, squamula testacea aut fusca. *Pedes* anteriores mediocres aut crassiusculi, postici breves crassi, femoribus omnibus compressis, posticis, a latere, subovatis, coxis posticis crassis, tarsis longitudine tibias duplo excedentibus gracilibus; rufi aut subferruginei, coxis posticis, rarius quoque anterioribus, nigris, trochanteribus non-

nunquam fuscis. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, seu thorace latius, clavatum, subcompressum aut teretiusculum, nigrofuscum, ventre pallidiore; segmento 1 petiolato, canaliculato aut subcanaliculato, parte antica latitudine duplo longiore, longitudine petioli, hoc autem duplo latiore; segmentis sequentibus superne distinctius aut obsoletius rufo badiove marginatis; 7 appendiculato, appendice, situ quieto, sub ventrem reflexo, abscondito, interdum autem postice porrecto, quo fit ut pars prona segmenti ultimi canaliculata sursum urgatur et supina fiat, *vaginae* aculei autem, abdominis quartae aut quintae partis longitudine, in dorso ipso abdominis, ante hujus apicem, a terebra apicali subcompressa sursum curvata satis remotae, adnatae videantur.

Unam feminam *Roentgen* cepit in *Hercynia*, mense Iunii; duaeque aliae, circa *Berolinum* et *Warmbrunn* captae mecum communicatae sunt.

Varietas:

1. *Coxis posticis rufis.* f. — *Pedes* rufi, dilutiores quam in specie genuina, coxis posticis basi fuscescentibus. *Abdomen* rufum; segmento 1 nigro; 2—5 dorso ad basin fuscis. — Caetera feminis genuinis respondent.

Hanc feminam, in *Hungaria* captam, *Comes a Küenburg* mecum communicavit.

163, P. GRAVIPES. n.

Pedibus posticis crassiusculis; abdominis medio pedibusque castaneis, coxis nigris. f.

A specie antecedente haec differt tibiis posticis longioribus et gracilioribus, antennis brevioribus, segmenti primi parte antica subquadrata.

Longitudo 4 linearum. *Antennae* filiformes curvatae, longitudine dimidii corporis. *Thorax* cylindricus. *Alae* fumato-hyalinae, stigmate et radio nigris, radice et squamula fusco-badiis. *Pedes* rufocastanei, subsericei, coxis et basi trochanterum nigris; femoribus forma et proportione sicut in antecedente; tibiis validis, longioribus autem et minus validis quam in antecedente; tarsis fere duplo longioribus quam tibiae. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius, compressiusculum, superne subaequilatum, thoracis latitudine; segmento 1 nigro, petiolo valido, parte antica subquadrata, basin versus paulo angustiore, longitudine petioli, hoc autem duplo latiore; 2—4 castaneis, 2 basi, 4 margine, nigris; 5 nigro, ventre et lateribus castaneis; 6 et 7 nigris (parte canaliculata supina). *Aculeus* terebra (in hoc individuo) falcata, sursum reflexa, supra dorsum abdominis prominente, unde ratio segmentorum ultimorum, appendicis, terebrae et vaginarum ejus, qualem in specie antecedente descripsi; vaginis longitudine sextae partis abdominis.

Unicam feminam *Hartlieb* cepit circa *Vratislaviam*.

164. P. HARPURUS.

Abdominis medio rufo; pedibus rufis, femoribus posticis coxisque ut plurimum nigro-maculatis. m. f. (aculeo longitudine tertiae partis abdominis).

Longitudo fere 2—3 linearum. *Caput* palpis, mandibularum medio, interdum quoque labro, ferrugineis aut fulvis. *Antennae* filiformes, longitudine dimidii corporis, vel paulo longiores, feminis apice curvatae, subtus basin versus plus minus ferrugineae. *Thorax* gibbulo-cylindricus, maribus magis gibbulus, feminis magis cylindricus. *Alae* mediocres hyalinae, stigmate et radio nigris aut fuscis, radice straminea, squamula testacea, mari interdum ferruginea. *Pedes* mediocres subgraciles, feminis paulo crassiores; rufi; feminae coxis posticis nigris, apice plerumque rufis; mari praeterea quoque coxis anterioribus ut plurimum rufis basi nigra, aut nigris apice rufo, rarius totis nigris, trochanteribus posticis nonnunquam basi fuscis, femoribus posticis nigricantibus aut fuscis, summa basi summoque apice fulvis, rarius rufis medio subfuscescente. *Abdomen* capitis et thoracis longitudine, seu paulo longius, superne visum lineari-cylindricum; a latere clavatum aut pyriforme, mari magis compressum quam feminae; segmento 1 gracili sublineari, parte antica paulo latiore et fere dimidio breviore quam petiolus,

plurimis subcanaliculato, nigro; *mari* segmentis 2 et 3 rufo-fulvis, dorso plerumque macula basali nigra; 4 rufo, dorso vel toto vel sola basi nigro; sequentibus nigris, rarius macula laterali obscuro-castanea, aut rufis dorso nigricante; *feminae* segmento 2 castaneo, basi ut plurimum nigro; sequentibus rufis aut rufo-castaneis, ultimis nonnunquam nigrocastaneis, rarius 3—7 fuscis ventre rufo; 5—7 dorso canalicula incisis plus minus distincta, saepe sub specie lineae longitudinalis pallidioris conspicua; 7 appendice conica aut elliptico-lanceolata, reliquis segmentis angustiore, incisura profundiore a segmento 7 sejuncta, et cum hoc laxius, quam reliqua segmenta inter se, cohaerente. Ratio hujus appendicis et aculei eadem est, qualem in *Por. claviventri*, n. 162, descripsi. *Aculeus* vaginis nigris, tertiae aut quartae partis abdominis longitudine, terebra rufa.

Ab Uechtritz marem et feminam in copula cepit, die 14 Iulii, prope *Altwasser*. *Klug* ambos invenit sexus, mense Augusti, in rosarum cynosbate, locis aridis prope *Berolinum*. Ipse mares et feminas nonnullos legi, mensibus Iunii — Augusti, in salicetis aliisque frutetis, circa *Scheidnich* et *Warmbrunn*. Par, circa *Sickershausen* captum, maresque nonnulli, circa *Aboam* et *Vindobonam* capti, mecum communicati sunt; quasdam feminas legi, mense Iunii, in *Hercynia* et circa *Oedelem;* duas feminas, circa *Netley* captas, Hope ad me misit.

Synonyma:

Ichn. harpurus Schrank Faun. Boica, n. 2110; lectus mense Iulii circa *Ingolstadt;* longitudine 3½ linearum.

Synonyma dubia:

Ichn. Geoffr. p. 362, n. 92.
Ichn. bedeguaris Fourcr. p. 425, n. 93.
„ Oliv. p. 206, n. 206.
Cynipsichneumon bedeguaris Christ tab. 41, fig. 3.
Ichn. parasitus Walckenaer p. 67, n. 91.

Nota:

Ichn. bedeguaris Linnei et reliquorum auctorum huc autem nullo modo referri potest, sed ad *Diplolepidem bedeguaris Fabricii.*

164b. P. ERYTHROSTOMUS. n.

Lateribus abdominis, ore pedibusque, rufis, femoribus posticis coxisque nigris. m. f. (aculeo abdomine paulo longiore).

Haec species a *P. harpuro* antecedente differt antennis pedibusque paulo longioribus, femina praeterea aculeo multo longiore; a *P. moderatore,* n. 177, thorace minus gibbo, antennis abdomineque paulo longioribus.

Longitudo maris 2¼—3¼, feminae 2¾ linearum. *Caput* ore rufo. *Antennae* filiformes gra-

ciles, corpore dimidio parum longiores, curvatae. *Alae* fumato-hyalinae, stigmate et radio nigris, radice et squamula rufescentibus aut testaceis. *Pedes* antici rufi, coxis basi plus minus nigris, rarius coxis totis et trochanterum femorumque basi (individuo maximo marium) nigris; medii rufi, coxis et trochanterum basi, interdum trochanteribus totis et basi femorum, nigris; postici nigri, geniculis rufis, tibiis tarsisque ferrugineis aut fuscis. *Abdomen* segmento 1 *maris* sublineari, parte antica latitudine fere duplo longiore, paulo latiore et paulo breviore quam petiolus, *feminae* latiore quam maris, parte antica latitudine paulo longiore, longitudine petioli, sensimque in hunc coarctata; 2, ut plurimum etiam 3 et 4 et 5, lateribus fulvis aut rufis. *Aculeus* abdomine perparum longior, subsursum curvatus.

Multos mares, unamque feminam, circa *Netley* lectos, *Hope* ad me misit.

Varietates:

1. *Femoribus mediis quoque fusconigris geniculo rufo.* m. — *Longitudo* 2½ linearum. *Pedes* anteriores rufi aut subfuscorufi, coxis et trochanterum femorumque anticorum basi nigris, femoribus mediis plus minus nigris aut nigro-fuscis, apicem versus fulvis aut rufis. — Caetera ut in plurimis individuis genuinis.

Quidam mares cum genuinis mecum communicati sunt.

2. *Abdomine cingulis duobus rufis.* m. — *Longitudo* 2¾ linearum. *Abdomen* segmento 2 apice et lateribus rufo, 3 rufo macula dorsali nigra, 4 lateribus rufo. — Caetera ut in plurimis individuis genuinis.

Unum marem cum genuinis accepi.

165. P. NUTRITOR.

Abdomine rufo, basi nigro; pedibus rufis aut testaceis, coxis nigris, femoribus posticis medio fuscis. m. f. (aculeo circiter abdominis longitudine).

Longitudo 2—3 linearum. *Caput* ore ferrugineo aut rufescente, *Antennae* filiformes, longitudine dimidii corporis, vel paulo breviores, porrectae aut curvatae, rarius totae nigrae, plurimis articulo 1 subtus ferrugineo aut ferrugineae, apicem versus fuscae. *Thorax* brevis gibbus. *Alae* mediocres hyalinae aut fumato-hyalinae, stigmate et radio nigris, radice picea aut straminea, squamula nigra aut rufa. *Pedes* mediocres, rufi aut piceo-straminei; coxis nigris, anticis interdum rufis; trochanteribus supra interdum fuscescentibus; femoribus posticis nigris aut fuscis, plerumque basi et apice fulvis, interdum quoque mediis seu anterioribus basin versus fuscescentibus; tibiis posticis nonnunquam apice fusco; tarsis posticis interdum fuscis, basi sola rufa. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, compressum, lateribus

autem convexis, praecipue in feminis, a latere visum pyriforme; segmento 1 nigro laevissimo longo, petiolo tenui lineari, parte antica maris paulo latiore quam petiolus, hujus autem longitudine, feminae duplo aut plus duplo longiore quam petiolus, hujusque longitudine, latitudine triplo longiore; segmentis reliquis rufis, 4—7 interdum paulo obscurioribus, 2 autem plerisque, nonnullis quoque 3, basi nigro. *Aculeus* abdomine paulo longior paulove brevior, sursum recurvatus, niger, terebra rufa.

Par hujus speciei *Nees ab Esenbeck* cepit prope *Sickershausen.* Praeterea feminas accepi nonnullas, circa *Warmbrunn Norimbergam Vindobonam* et *Genuam* lectas; unam ipse cepi, die 30 Iulii, prope *Helmstadium*, in Petroselino, eamque mediae magnitudinis, abdomine et segmento 1 latioribus, aculeo breviore, segmentis 2 et 3 totis rufis, apice tibiarum posticarum tarsisque posticis fuscis.

Synonyma:

Ophion nutritor Fabr. Piez. p. 139, n. 39 (*Ichn. nutritor* Thunb. n. 246, alis nigris, huc haud spectare videtur).

Nota:

De antennis et ore *Nees ab Esenbeck* haec mecum communicavit:

Antennae filiformi-setaceae rectae tenues, articulis 36: Radicula tenui pateraeformi; scapo sub-

cylindrico crassiusculo brevi, apice fere recta-truncato, concavo; pedicello exserto brevissimo obconico; articulo accessorio obsoleto; articulis reliquis cylindricis, anterioribus longitudine diametrum superante, sensim decrescentibus, quinto longo, exteriorum plurimis circiter longitudine latitudinis, aequalibus, ultimo parvo conico.

Clypeus linea profunda arcuata discretus, fovea hypostomatis (faciei) ex utroque latere intrante, transversus brevis convexiusculus, margine infero rotundato ciliato. — *Labrum* inflexum, e basi triangulari longe cuspidatum, pellucidum membranaceum nudum, os supertegens. — *Mandibulae* tenues arcuatae lineares, basi parum dilatatae, facie exteriori plana subinaequali, apice incisae, dentibus brevibus subinaequalibus obtusis, supero paulo majori. — *Maxillae* labium arcte amplectentes, ejusdemque longitudinis, angustae: *Stipes* compressus, a latere subrectangulus, facie infera cornea lineari-lanceolata acuta convexa laevi ciliata: *Mala* subcoriacea, stipitis longitudine, et illo (a latere viso) ubique angustior, recurva, exacte lanceolata, acuminata, margine interiori ciliata, basi indistincte articulata, articulo infero subquadrato, angulo interiori superiori parum exstante dentiformi, supero multoties longiori. — *Palpi maxillares* mala haud duplo longiores, recurvi setacei, parum pubescentes, quadriarticulati; articulo 1 obconico-clavato truncato; 2 subcylindrico compressiusculo, basi parum attenuato, apice obliquo; 3 et 4 tenuioribus fili-

formibus, hoc praelongo acuto; longitudinis ratio 4. 1. ⅔. — *Labium: Mentum* corneum angustum obconicum compressum convexum laeve glabrum, margine supero rotundato: *Lingua* longitudine menti, aut paulo longior, membranacea linearis angusta, undique ciliata, lateribus revolutis, hinc subtus concava, utrinque denticulo parvo acuto membranaceo ad basin suffulta, apice acute excisa, a medio antrorsum truncata, laciniis acutis deflexis. — *Palpi labiales* lingua parum longiores, recti filiformes pilosuli triarticulati; articulis subcylindricis; 1 et 2 basin versus leniter attenuatis, illo basi et apice pellucido, parum longiori; 3 filiformi acutiusculo, parum tenuiori, labium dimidia longitudine sua superante.

166. P. TRUNCATUS. n.

Abdomine castaneo, basi nigro; femoribus tibiisque anterioribus rufis. m.

Statura et proportio partium maris antecedentis; abdomine tamen breviore et apice magis truncato (nisi haec forma e retractione segmentorum ultimorum orta sit), parte antica segmenti primi latiore. Nihilominus hanc speciem pro varietate antecedentis agnoscerem, nisi color totus niger pedum obstaret.

Longitudo 2 linearum et quod excedit. *Caput* ore rufo. *Antennae* articulis 1—5 subtus rufis. *Alae* subfumato-hyalinae, stigmate et radio fuscis,

radice pallide straminea, squamula testacea. *Pedes* anteriores testaceo-rufi, coxis nigris, trochanteribus fuscis, femoribus mediis basin versus obsolete fuscescentibus; postici nigri, summo femorum apice et summa tibiarum basi rufescentibus. *Abdomen* capite thoraceque vix paulo brevius, thorace dimidio angustius, compressum, a latere subtriangulum seu pyriforme apice truncato; segmento 1 nigro canaliculato, parte antica breviore et paulo latiore quam petiolus, latitudine longiore; 2—5 castaneis, ventre fuscescentibus; sequentibus (in nostro individuo) in abdomine absconditis.

Marem unicum, prope *Sickershausen* captum, *Nees ab Esenbeck* mihi misit.

167. P. MICROCEPHALUS. n.

Abdomine testaceo, dorso fusco-nebuloso, basi nigro; pedibus ore et antennarum basi rufis. f. (aculeo longitudine abdominis).

Statura et proportio partium omnino *P. moderatoris* (e sectione secunda), color autem melius cum duobus sequentibus et cum *P. nutritore*, n. 165, congruit; sed a his tribus speciebus haec capite et thorace angustioribus, abdomine magis compresso, differt; a proxime sequente praeterea quoque petiolo longiore.

Longitudo 2⅓ linearum. *Caput* ore rufo. *Antennae* fuscae, subtus basin versus sensim ferrugi-

neae, articulo 1 toto dilute-rufo. *Alae* subfumato-hyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula pallidestramineis. *Pedes* toti testaceo-rufi. *Abdomen* segmento 1 nigro; 2 testaceo basi fusca; sequentibus testaceis, supra fusco-nebulosis. *Aculeus* niger, abdominis longitudine, terebra fulva.

Feminam unicam *Manger* cepit circa *Warmbrunn.*

168. P. GILVIPES. n.

Segmentis 3—7 castaneis, margine summo testaceis; pedibus testaceis; ore et antennarum basi rufis. f. (aculeo longitudine abdominis).

Statura et proportio partium feminae *nutritoris*, n. 165; petiolo tamen paulo breviore et crassiore.

Longitudo 2 linearum. *Caput* ore rufo, mandibulis apice nigris. *Antennae* filiformes, dimidio corpore longiores, fuscae, articulis 1 et 2 rufis. *Thorax* gibbus. *Alae* mediocres hyalinae, stigmate et radio testaceo-stramineis, squamula fuscescente, radice nervisque stramineis. *Pedes* mediocres graciles testacei. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, thorace angustius, elongato-ovatum subcompressum; segmento primo nigro; 2 badio; sequentibus nigrocastaneis, lateribus pal-

lidioribus, marginibus summis pallide-stramineis. *Aculeus* longitudine abdominis, subsursum-curvatus, rufus.

Feminam unicam, circa *Friburgum* captam, *Menzinger* mecum communicavit.

169. P. MINATOR. n.

Abdominis medio rufo; pedibus rufis aut testaceis, coxis nigromaculatis; ore rufo. f. (aculeo abdomine paulo longiore).

Statura et proportio partium antecedentis, aculeo et petiolo paulo longioribus.

Longitudo 2 linearum, seu paulo longior. *Caput* ore rufo. *Alae* stigmate et radio fuscis, radice et squamula stramineis. *Pedes* rufi aut testaceo-straminei; coxis basi nigris, posticis totis nigris; trochanteribus posticis basi nigra. *Abdomen* nitidum, capitis thoracisque longitudine et latitudine, elongato-ovatum; vel nigrum, segmento 2 castaneo; vel segmento 2 toto, 3 apice et ventre, sequentibus solo ventre, rufofulvis, 4 margine obsolete rufescente. *Aculeus* abdomine paulo longior; appendice sicut in *P. harpuro*.

Duas feminas accepi, circa *Genuam* et in *Regione pedemontana* captas; pedemontana major est, abdomine nigro, segmento 2 castaneo.

Varietas:

1. *Abdomine fere toto nigro.* f. — *Statura* quidem speciei genuinae, sed quoque *Por. mode-*

ratoris (in sectione 2) individuis, abdomine angustiore, aculeo longiore, affinis. — *Longitudo* 2⅔ linearum. *Pedes* anteriores testacei, coxis mediis nigris; postici trochanteribus et coxis nigris, femoribus fuscis apice testaceo, tibiis testaceis, tarsis fuscescentibus. *Abdomen* segmento secundo fusco-castaneo. — Caetera speciei genuinae respondent.

Unicam *austriacam* feminam *Klug* mecum communicavit.

170. P. JOCATOR.

Abdominis lateribus et segmentorum margine dorsali rufis; pedibus stramineis, coxis nigromaculatis. m. f. (aculeo dimidio abdomine longiore).

Mas a *P. harpuri*, n. 164, mare, statura minore, praeprimis abdomine breviore et altiore, distinctus est.

Longitudo 1⅓—2 linearum. *Caput* ore stramineo aut ferrugineo, facie plerisque cinereo-pilosa. *Antennae* filiformes, dimidii corporis longitudine, apice curvatae, subtus basin versus fuscescentes aut stramineae, feminae interdum totae nigrae, ut plurimum autem articulo 1 solo subtus rufo. *Thorax* gibbus. *Alae* mediocres hyalinae, radio et stigmate fuscis aut subpiceis, radice et squamula stramineis aut testaceis, hac interdum fusca. *Pedes* subgraciles, straminei aut testacei;

coxis anticis plerumque basi nigris, mediis nigris, ut plurimum apice stramineo, rarissime totis stramineis, posticis nigris aut fuscis, nonnunquam apice stramineo, rarissime testaceis basi nigra; femoribus posticis interdum medio aut basin versus fuscescentibus. *Abdomen maris* capitis thoracisque longitudine, a latere pyriforme aut subtriangulum aut suborbiculatum, valde compressum; segmento 1 nigro longo sublineari, parte antica parum latiore quam petiolus; sequentibus lateribus rufis aut fulvis; 2 dorso rarius toto rufo-fulvo, plerisque nigro, margine rufo aut fulvo; 3 ut plurimum dorso toto nigro, seu margine summo pallescente, rarius rufo basi nigra; sequentibus dorso nigro, nonnunquam marginibus summis pallidioribus; ultimis interdum fere totis nigris; *feminae* crassius quam mari, capitis thoracisque longitudine, thorace paululum angustius, elongato-ovatum, a latere pyriforme; segmento 1 nigro, parte antica duplo latiore at dimidio breviore quam petiolus; 2 transverso, basin versus angustato, rufo aut fulvo, plerumque basi nigra, rarissime nigro, margine castaneo; 3 vel cum 2 congruente vel nigrofusco lateribus rufis aut castaneis; sequentibus vel rufo-fulvis, dorso fuscescente aut nigrofusco, vel nigris, lateribus castaneis. *Aculeus* dimidio abdomine paulo longior, rarius fere abdominis longitudine, subsursum curvatus.

Mares et feminae transmissi sunt mihi, circa *Warmbrunn*, *Sickershausen*, *Trajectum ad Moenum* et in *Tauria* lecti; ipse plures, mense Maji,

circa Gottingam, in vallo et in hortis, legi. Praeterea quosdam accepi mares, circa *Vratislaviam* et in *Regione pedemontana* lectos, hos *Bonelli*, mense Aprilis, in locis paludosis cepit.

Varietates:

1. *Abdomine rufo, basi nigro.* f. — *Longitudo* 2 linearum. *Antennae* interdum crassiores quam in femina genuina, et vix dimidii corporis longitudine, fuscae; articulo 1 toto rufo, 2—7 subtus rufescentibus, sensim obscurioribus. *Pedes* testaceo-straminei, postici coxis basi nigris. *Abdomen* segmento 1 nigro, parte antica interdum apicem versus dilatata et petiolo fere triplo latiore; 2 rufo; sequentibus vel totis rufis aut rufo-fulvis, vel 3—5 dorso basi nigro-fuscis. *Aculeus* interdum vix dimidii abdominis longitudine. — Caetera sicut in femina genuina.

Unam feminam cepi circa *Warmbrunn*, alteram circa *Gottingam;* haec, antennis petiolo et aculeo brevioribus, segmentis 3—5 dorso nigro-fuscis, ab illa discrepat.

2. *Coxis totis stramineis.* m. — *Longitudo* 1⅔ linearum. *Caput* ore testaceo, mandibularum apice fusco. *Antennae* articulis 1—8 stramineis, sensim pallidioribus. *Pedes* toti straminei. *Abdomen* segmentis 3—7 a latere triangulum; segmento 3 rufo basi nigra; sequentibus lateribus et ventre rufis. — Caetera ut in mare genuino.

Marem unicum, circa *Aboam* captum, *Sahlbergio* debeō.

Synonyma:

Ichn. jocator Fabr. Ent. Syst. II, p. 175, n. 175; pedes rufi, femoribus posticis basi nigro-annulatis; *Kiliae.*

Ophion jocator Fabr. Piez. p. 130, n. 40.

Nota:

Mares hujus speciei et *P. harpuri* valde affines sunt, nec, nisi feminae earum nimis differrent, in duas species sejungi possent. Plurima individua mascula *harpuri* quidem a *jocatore* discedunt magnitudine, abdomine, a latere viso, clavato (in *jocatore* plerumque suborbiculato), femoribus posticis fuscis (in *jocatore* stramineis); sed individua nonnulla, his notis distinctivis, medium inter ambas species tenent.

SECTIO II.

Abdomine nigro.

Species plurimae variant abdomine, vel lateribus vel marginibus segmentorum nonnullorum, colore rufescente aut testaceo aut piceo imbuto; indeque dispositio specierum hujus familiae in duas sectiones, secundum colorem abdominis, vana fere esse videtur.

E *sectione prima* individua *P. claviventris,* n. 162, segmentis obsolete badio-marginatis, et *minatoris,* n. 169, varietas, abdomine fere toto nigro, medium tenent inter ambas sectiones.

---

171. P. DISSIMILIS. n.

Pedibus testaceis, coxis fuscis; ore rufescente. m. f. (*mas* antennis subtus versus basin testaceis, segmento secundo lateribus piceo; *fem.* femoribus posticis fuscis, aculeo brevi).

Descriptio maris:

Statura et proportio partium *jocatoris*, n. 170, *saltatoris*, n. 173, et *moderatoris*, n. 177. Hic mas medium tenet inter illos, eosque jungere videtur; quamvis enim a *saltatore*, antennis paulo longioribus, a *jocatore*, colore obscuriore abdominis et magnitudine inferiore, a *moderatore*, colore pedum et antennarum nec non magnitudine inferiore, discrepet, tamen haud obliviendum est, omnes illas notas mutationibus obnoxias esse, uti e descriptionibus specierum videre licet. Femina autem satis ab illorum feminis differt.

Longitudo 1—1 ½ linearum. *Caput* ore rufescente. *Antennae* subtus basin versus piceae aut testaceo-stramineae. *Alae* hyalinae, stigmate et radio fuscis aut piceis, radice et squamula piceis aut stramineis. *Pedes* testacei; coxis fuscis, anterioribus subtus testaceis. *Abdomen* segmento 2 lateribus piceis aut piceo-testaceis.

Descriptio feminae:

Statura et proportio partium *P. hostilis* feminae, n. 161, petiolo tamen longiore et graciliore, aculeo autem breviore.

Longitudo 1⅘ linearum. *Caput* ore rufescente. *Thorax* minus gibbus quam mari, cylindricus. *Alae* hyalinae irideae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula stramineis. *Pedes* breviores, imprimis femoribus tibiisque crassioribus, quam mari, testacei; coxis nigris, anticis subtus testaceis; femoribus posticis fuscis, summo apice summaque basi subtestaceis. *Abdomen* compressum, (? e forma ejus irregulari in nostro individuo autem apparet, illam compressionem e vi externa praeternaturali ortam esse); segmento 1 petiolo tenui, parte antica latiore et ultra dimidium breviore quam petiolus, latitudine paulo longiore; 7 appendiculato, sicut in femina *harpuri*, n. 164. *Aculeus* vaginis nigris, quinta parte abdominis fere brevioribus; terebra fulva.

Duos mares, unamque feminam, circa *Warmbrunn* captos, *Manger* mecum communicavit.

Nota:

Feminam descriptam, pluribus notis, imprimis femoribus tibiisque brevioribus et crassioribus, thorace cylindrico, a maribus distinctam, vix pro femina vera horum marium agnovissem, nisi eaedem differentiae inter mares et feminas *harpuri* et *hostilis*, n. 164 et 161, conspicerentur. Haec conjunctio itaque maris et feminae *Poriz. dissimilis* analogiae respondet. Qui autem hanc feminam examinaverit et comparaverit, persuasum se habebit, *Poriz. dissimilem* haud varietatem esse posse specierum illarum, quibus mas affinis est.

172. P. BOOPS. n.

Pedibus stramineis, basi fuscis; oculis magnis, antennis brevibus. m. f.

Descriptio maris:

Hic mas a sequente et *moderatore*, n. 177, oculis majoribus et antennis petioloque brevioribus differt.

Longitudo 1⅓ — 1¾ linearum. *Caput* thorace latius, oculis magnis globosis, mandibulis et palpis fusco-testaceis aut testaceis, clypeo lucido. *Antennae* filiformes curvatae, capite parum longiores, articulis 1 et 2 subtus interdum stramineis. *Thorax* gibbus. *Alae* mediocres hyalinae, stigmate et radio piceo-fuscis, nonnunquam stramineis, radice et squamula stramineis, hac interdum picea. *Pedes* mediocres; coxis nigris, anticis interdum subtus stramineis; trochanteribus stramineis aut fuscis; femoribus vel fusco-nigricantibus, apice piceostramineis, vel stramineis, posticis basin versus fuscis; tibiis et tarsis stramineis. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, valde compressum, a latere pyriforme, segmento 1 parte antica paulo latiore et breviore quam petiolus, latitudine duplo longiore; 2 interdum ventrem versus badio.

Descriptio feminae:

Statura crassior quam in mare.

Longitudo fere 1½ linearum. *Caput* ore fusco; oculis minoribus quam in mare. *Antennae* perparum longiores quam in mare. *Thorax* gibbus. *Alae* hyalinae irideae, stigmate piceo-fusco, radio et radice testaceis, squamula piceo-testacea. *Pedes* testacei, coxis et trochanteribus fuscis. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, ovatum, teres, lucidum; segmento 1 parte antica breviore et duplo latiore quam petiolus, apicem versus sensim dilatata, latitudine longitudinis. *Aculeus* vaginis subsursum curvatis, longitudine tertiae partis abdominis.

Unum marem cepi, die 26 Maji, in horto botanico *Gottingae;* alter, isque major, ore antennarum basi pedibusque pallidioribus, *Neeseo ab Esenbeck* prorepit e larva *Hallomeni affinis,* in Boleto fomentario habitante, mense Iunii. Feminam cepi *Vratislaviae,* domi ante fenestras, in Digitali dubia, inter aphides, mense Maji.

173. P. SALTATOR.

Pedibus testaceis, coxis nigris, femoribus posticis plerumque fuscis. m. f. (*fem.* ore et antennarum basi stramineis; aculeo longitudine dimidii abdominis).

Hic Ophion differt ab antecedente oculis parvis et antennis longioribus, a *moderatore,* n. 177, antennis brevioribus.

Longitudo 1—1 ½ linearum. *Caput* plerisque subgriseo-pilosum, ore feminae testaceo, mari ferrugineo, interdum fusco. *Antennae* filiformes, dimidii corporis longitudine, seu paulo breviores, apice parum curvatae; subtus mari rarissime basin versus rufo-ferrugineae, feminae semper basin versus stramineae aut testaceae. *Thorax* gibbus. *Alae* mediocres hyalinae, stigmate nigro aut fusco, feminae interdum piceo, radio fusco aut radicem versus stramineo, radice straminea, squamula straminea aut picea aut fusca. *Pedes* mediocres subgraciles; *mari* rarius toti fusco-picei, anterioribus paulo pallidioribus, ut plurimum stramineo-testacei, coxis et trochanteribus nigris, femoribus posticis fuscis, interdum quoque tibiis posticis et femoribus mediis subfuscis, aut femoribus anterioribus basin versus nigricantibus; *feminae* stramineo-testacei; coxis fuscis, anterioribus subtus testaceis; femoribus posticis interdum fuscescentibus. *Abdomen* capite thoraceque brevius, seu eorum longitudine, plerumque mari valde compressum, feminae subcompressum, a latere pyriforme aut subtriangulum; nigrum, ventre aut lateribus nonnunquam subferrugineis, segmento 2 interdum badio aut stramineo-testaceo basi fusca; segmento 1 parte antica paulo latiore et fere dimidio breviore quam petiolus, latitudine longiore. *Aculeus* longitudine dimidii abdominis; terebra rufa, interdum, appendice ipsa haud porrecta sed reflexa, tam violenter sursum erecta, ut segmenta ultima in cavum abdominis repressa sint, indeque

abdomen, a latere visum, triangulare et apice truncatum se exhibeat. Ratio appendicis et aculei eadem est qualem jam in *Oph. harpuro*, n. 164 et aliter descripsi.

Mares plures feminamque legi circa *Gottingam*, in vallo et hortis, flores et gramina frequentantes, mense Majo. *Nees ab Esenbeck* multos legit mares in locis sordidis circa *Sickershausen*. Nonnullos quoque mares accepi, circa *Warmbrunn* et in *Tauria* lectos. Feminae duae mecum communicatae sunt, circa *Berolinum* et in *Regione Pedemontana* captae; pedemontanam, segmenti secundi apice straminea distinctam, *Bonelli* cepit die 27 Maji, in colle Valentini. Inter mares gottingenses individua sunt minima, eaque pedibus obscurioribus, tibiisque posticis paulo crassioribus, distincta; quae differentiae tamen sensim commutantur.

Varietas:

1. *Abdominis medio stramineo*. m. — *Longitudo* 1 lineae. (De colore oris et baseos antennarum incertus sum, cum individuum unicum, in museo *Klugii*, chartae adglutinatum sit, indeque os et latus inferius antennarum visui se subtraxerint). *Alae* ut in specie genuina. *Pedes* stramineo-testacei; coxis fuscis, posticis nigris. *Abdomen* segmentis 2 et 3 stramineis, dorso fuscis.

Individuum unicum circa *Berolinum* captum est.

Synonyma:

Ichn. saltator Fabr. Species p. 433, n. 79. — Ent. Syst. p. 175, n. 173; habitat in *Anglia*.
„ Villers p. 177, n. 127; prope *Lugdunum*
„ Olivier p 190, n. 133.
„ Gmelin ed. Linn. p. 2694, n. 153.
Ophion saltator Fabr. Piez. p. 137, n. 34.
„ Walckenaer p. 73, n. 6.

Nota:

Ichn. saltator Müll. Prodr., n. 1827, thorace flavo, huc haud referri potest.

174. P. ITALICUS. n.

Pedibus rufis, coxis posticis nigris; ore et antennarum basi subtus rufis. f. (aculeo dimidio abdomine breviore.)

A femina praecedente haec differt antennis longioribus et gracilioribus, a femina *moderatoris*, n. 177, aculeo breviore.

Longitudo 1½ — 1⅔ linearum. *Caput* ore rufo-fulvo. *Antennae* dimidio corpore paulo longiores, filiformes; articulo 1, ut plurimum quoque 2 et 3, subtus rufo-fulvis. *Thorax* gibbus. *Alae* amplae hyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula pallide-stramineis. *Pedes* subgraciles, rufi aut rufo-straminei, postici coxis nigris. *Abdomen* nitidum, capitis thoracisque lon-

gitudine, thorace paulo angustius, elongatoovatum, a latere ovatum aut subtriangulum; segmento primo subarcuato subfiliformi, parte antica apicem versus sensim paulo dilatato, latitudine duplo longiore, paulo latiore et dimidio breviore quam petiolus. *Aculeus* dimidio abdomine brevior.

Quasdam feminas, circa *Genuam* lectas, *a Spinola* mecum communicavit.

175. P. TRIANGULARIS.

Pedibus rufis, coxis et trochanteribus nigris, femoribus posticis fuscis apice rufo; ore rufo. f. (aculeo dimidio abdomine paulo breviore).

Statura et proportio partium feminae *moderatoris*, n. 177, sed aculeo multo breviore, quo melius antecedenti respondet, quae autem capite thoraceque multo angustioribus et colore pedum discedit.

Longitudo 1½ linearum, seu paulo minor. *Caput* ore rufo aut rufo-ferrugineo. *Alae* hyalinae irideae, stigmate et radio fuscis aut nigris, radice pallide-straminea, squamula straminea aut testacea. *Pedes* rufi; coxis et trochanteribus nigris, his nonnunquam apice rufo; femoribus posticis fusco-nigris, apicem versus aut geniculo rufis. *Abdomen* segmento 2 interdum ventrem versus subtestaceo. *Aculeus* ejusdem indolis qualem in *Por. saltatore*, n. 173, aliterque descripsi; vaginis dimidio abdomine paulo brevioribus.

Quasdam feminas legi circa *Gottingam;* aliae nonnullae, circa *Berolinum* et *Warmbrunn* lectae, mecum communicatae sunt.

Synonyma:

Ophion triangularis Gravenh. Uebers., n. 3797 et 3798.

176. P. NIGRITULUS. n.

Femorum apice tibiisque testaceis, harum posticis apice fuscis; ore et antennarum brevium articulo primo subtus ferrugineis. f. (aculeo dimidio abdomine parum longiore).

Haec species a *boope,* n. 172, aculeo longiore, ab *italico,* n. 174, antennis et petiolo brevioribus, aculeo longiore, a *moderatore,* n. 177, antennis petiolo et aculeo brevioribus, differt; ab omnibus illis, tibiis posticis apice fusconigris.

Longitudo 1½ linearum. *Caput* ore rufo-ferrugineo. *Antennae* filiformes, longitudine partis tertiae abdominis, articulo 1 subtus ferrugineo. *Alae* hyalinae irideae, stigmate et radio fusco-piceis, radice pallide-straminea, squamula testacea. *Pedes* coxis et trochanteribus nigris; femoribus anterioribus testaceis, basi fusco-nigris, posticis nigro-fuscis geniculo testaceo; tibiis testaceis, posticis apice nigricante; tarsis testaceis. *Abdomen* segmento primo parte antica latitudine duplo longiore, paulo breviore et latiore quam

petiolus. *Aculeus* dimidio abdomine vix paulo longior.

Duae feminae, circa *Berolinum* et in *Tauria* captae, mecum communicatae sunt.

Varietas:

1. *Pedibus rufo-testaceis; coxis posterioribus et trochanteribus posticis nigris.* f. — Caetera speciei genuinae simillima.

Unicum individuum, cum specie genuina, *a Steven* misit e *Tauria.*

177. P. MODERATOR.

Femoribus anterioribus tibiisque rufis; femoribus posticis fuscis, apice rufis; ore testaceo. m. f. (aculeo longitudine abdominis).

Haec species differt a *boope* et *saltatore,* n. 172 et 173, antennis longioribus, a *boope* insuper oculis parvis.

Longitudo maris $1\frac{1}{3}$ — 2, feminae $1\frac{3}{4}$ — 2 linearum. *Caput* ore testaceo aut ferrugineo, feminae interdum toto nigro. *Antennae* longitudine dimidii corporis, seu paulo longiores, apice incurvae. *Thorax* maris gibbulus, feminae gibbus. *Alae* mediocres hyalinae, stigmate et radio nigris, radice et squamula stramineis. *Pedes* subgraciles, rufi aut rufo-picei, coxis et trochanteribus nigris; femoribus posticis maris vel nigris geniculo rufo, vel fuscescentibus apice pallidiore, feminae rufis,

basin versus fuscescentibus, anterioribus maris interdum basi fuscescentibus. *Abdomen* nigrum, capitis thoracisque longitudine; *mari* valde compressum, a latere pyriforme aut clavatum; *feminae* subcompressum, superne oblongum aut oblongoovatum, thorace parum angustius, a latere clavato-pyriforme; segmento 1 longo tenui, parte antica latitudine longiore, minus dimidio breviore et paulo latiore quam petiolus; 2 mari interdum apice aut latere testaceo-piceo. *Aculeus* sursumcurvatus, longitudine abdominis, seu paulo brevior.

Marem et feminas, circa *Sickershausen* captas, *Nees ab Esenbeck* mecum communicavit; mares nonnullos alios, eosque femoribus posticis nigris geniculo rufo, circa *Warmbrunn* et *Netley* lectos, accepi; feminam *genuensem* autem *a Spinola* mihi misit.

Varietates:

1. *Abdomine medio rufo-maculato.* m. f. — *Longitudo* 1 ½—2 linearum. *Caput* palpis fuscescentibus. *Alae* hyalinae irideae, stigmate radio et squamula nigris aut fuscis, radice testacea aut straminea. *Pedes* rufi aut testaceo-straminei; coxis et trochanteribus nigris; femoribus anterioribus basin versus plus minus nigris, feminae fere totis rufis, posticis nigris geniculo testaceo. *Abdomen maris* segmento 2 testaceo aut rufo, basi nigro; 3 rarius toto nigro aut rufo macula dorsali baseos nigra, plerumque apice aut lateribus rufis

testaceisve; sequentibus nigris, 4 rarissime lateribus rufis; *feminae* vel segmenti 2 margine, vel segmentorum 2—6 ventre lateribusque, rufescentibus. *Aculeus* vel rectus, abdominis longitudine, vel sursumcurvatus, dimidio abdomine longior.

Maris individuum cepi circa *Gottingam*, alia quaedam legit *Manger* circa *Warmbrunn*. Feminam *berolinensem* vidi in museo *Klugii;* alteram, eamque minorem, abdominis lateribus rufescentibus, *Comes a Küenburg* e *Hungaria* misit.

2. *Femoribus omnibus totis rufis*. f. — Caetera sicut in feminis plurimis genuinis.

Unum individuum *Manger*, cum genuinis, circa *Warmbrunn* cepit.

3. *Pedibus testaceis, coxis fuscis*. f. — *Longitudo* 1 lineae, vel paulo longior. *Caput* ore ferrugineo. *Antennae* articulo 1 subtus ferrugineo. *Alae* radio et stigmate piceis aut fuscis, radice pallide-straminea, squamula testacea aut fuscopicea. *Pedes* testaceo-straminei; coxis nigris aut fuscis, anticis nonnunquam rufis. *Abdomen* segmento 2 dorso fuscoferrugineo. *Aculeus* vix abdomine paululum longior.

Unam feminam ex *Etruria* accepi, alteram vidi *Berolini* in museo *Klugii*.

4. *Femoribus nigris, anterioribus apice fulvis*. m. f. — *Longitudo* 1½ — fere 2 linearum. *Caput*

ore rufescente. *Alae* hyalinae, stigmate radio et squamula fuscis, hac rarissime testacea, radice straminea. *Pedes* coxis et trochanteribus nigris; femoribus anticis rufis, basin versus nigris aut fuscis, feminae interdum totis rufis, mediis maris nigris apice rufo, feminae rufis, basin versus nigris aut fuscescentibus, posticis nigris aut fuscis geniculo rufo; tibiis rufis, mari externe fuscescentibus, feminae solis posticis nonnunquam versus apicem fuscis; tarsis maris fuscis, feminae rufis. *Abdomen* segmento 2 maris lateribus fusco-ferrugineis, feminae ventre et margine ferrugineis. *Aculeus* abdominis longitudine seu paulo longior.

Marem *fennicum* unum *Sahlberg* transmisit. Feminam cepi, die 12 Iulii, in umbellatis prope *Barterodam;* aliae quaedam mecum communicatae sunt, in *Volhynia, Regione Pedemontana,* et circa *Sickershausen* lectae; haec pedibus pallidioribus, tibiis posticis autem apice fuscis, squamula testacea, aculeo breviore, a reliquis secedit.

Synonyma:

Ichn. moderator Linn. Faun., n. 1617. — Syst. nat. ed. XII, p. 935, n. 42 (excludenda varietate aculeo corpore duplo longiore); habitat in *Ichneumonis Strobilellae* larva, qua consumta cranio ejus superstiti folliculum inaedificat. D. Rolander.

„ Müll. Faun. Friedr., n. 617.

Ichn. moderator Fabr. Spec. Ins. p, 433, n. 78.
— Ent. Syst. p. 175, n. 172.
„ Müll. Prodr., n. 1815.
„ Gmel. ed. Linn. p. 2693, n. 42.
„ Villers p. 170, n. 107.
„ Christ p. 373.
„ Olivier p. 190, n. 132.
„ Cederhielm p. 163, n. 504.
„ Bechst. p. 958, n. 9; habitat etiam in larva *Bombycis Pini.*
„ Thunb. Ichn., n. 478.
Ophion moderator Fabr. Piez. p. 137, n. 33.
Cynipsichneumon Strobinellae Christ. tab. 42, fig. 4.

Nota:

Ichn. moderator Fabr. Faun. Groenland p. 198, n. 154, ad hanc speciem haud adhiberi potest, ob longitudinem 6 linearum etc. potiusque Pimpla esse videtur.

Statura et proportio partium in individuis hujus speciei aliquanto variat: Abdomen feminarum varietatis 4 paulo angustius est quam in femina genuina: Aculeus longitudine variat: Pedes individui, prope Sickershausen capti, varietatis 4, paulo breviores sunt quam in reliquis individuis. Feminae tamen a feminis reliquarum specierum facilius discernuntur; mares autem vix a maribus *Por. harpuri,* n. 164, sejungi possunt, praeprimis mares varietatis 1, colore quoque, medium

tenent inter ambas species, et prope accedunt ad individua harpuri antennis totis nigris et trochanterum posticorum basi fusca.

178. P. FULVIPES. n.

Tibiis et femoribus rufis, horum posterioribus basi nigris. f. (aculeo longitudine abdominis).

Statura et proportio partium omnino *gilvipedis*, n. 168; segmento 1 tamen paulo longiore, antennis paulo brevioribus. A femina speciei antecedentis haec differt antennis et segmento 1 brevioribus.

Longitudo 2⅖ linearum. *Caput* palpis ferrugineis. *Antennae* filiformes, dimidio corpore breviores. *Alae* hyalinae, stigmate nigro, radio fusco, radice et squamula stramineis. *Pedes* rufi, coxis et trochanteribus nigris; femoribus mediis summa basi nigris, posticis nigris, apicem versus rufis, *Aculeus* sursumcurvatus, vix abdomine paululum longior.

Unicam feminam, circa *Norimbergam* captam, *Sturmio* debeo.

F A M I L I A X,

seu subgenus:

ATRACTODES,

a verbo *ατρακτώδης*, fusiformis — ob abdomen fusiforme.

Abdomine petiolato, plus minus compresso; areola quinqueangulari; antennis breviusculis; (aculeo subexserto aut subabscondito).

Caput transversum. — *Oculi* ovales. — *Antennae* filiformes curvatae, corpore dimidio paulo breviores aut paulo longiores. — *Thorax* gibbulo-cylindricus; metathorace fovea lata longitudinali dorsali, haud profunda, excavato. — *Scutellum* triangulare gibbulum. — *Alae* mediocres; areola quinqueangulari interdum incompleta. — *Pedes* mediocres subgraciles, postici interdum subcrassiusculi. — *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, seu paulo angustius, laevissimum nitidissimum petiolatum, vel oblongoovatum, vel dorso fusiformi aut lineari-lanceolato, lateribus et ventre compressis aut subcompressis, vel compressum anceps, a latere visum lanceolatum. Segmentum primum vel sublineare, apicem versus sensim paulo dilatatum, vel lagenaeforme. — *Aculeus* subexsertus aut absconditus.

De affinitate hujus subgeneris cum *Ichneumonibus* hos conferre velis.

---

179. A. BICOLOR. n.

Abdominis medio dorso castaneo; pedibus rufis, coxis posticis basi nigris. f.

Longitudo $2\frac{1}{3}$—3 linearum. *Caput* transversum, palpis rufis aut testaceis, mandibulis plus minus rufescentibus aut testaceis. *Antennae* filiformes curvatae, dimidii corporis longitudine, seu paulo longiores, fuscae, articulo 1 subtus plerumque castaneo aut stramineo, nonnunquam etiam sequentibus testaceis sensim obscurioribus. *Thorax* gibbulo-cylindricus, rarissime puncto testaceo ad radicem alarum; metathorace fovea lata longitudinali, haud profunda, excavato. *Scutellum* triangulum, subgibbulum. *Alae* mediocres, subhyalinae irideae; stigmate et radio fuscis aut piceis, radice pallide straminea, squamula rufa aut testacea aut fuscescente; areola quinqueangulari, nervo exteriore rarissime obsoleto. *Pedes* mediocres subgraciles rufi; postici coxis vel nigris apice rufo, vel rufis basi nigra; anteriores coxis interdum flavicantibus. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, seu paulo angustius, laevissimum nitidissimum petiolatum, superne fusiforme aut lineari-lanceolatum, lateribus et ventre compressum, apice subtruncatum; segmento 1 sublineari, apicem versus sensim paulo dilatato, parte antica subquadrata seu latitudine paulo longiore, dimidio breviore quam petiolus;

2 dorso toto, 3 basi sola, rufocastaneis, rarius 2 et 3 totis castaneis. *Aculeus* subexsertus, nonnunquam totus absconditus.

Plures feminas legi, mense Augusti, in frutetis circa *Warmbrunn;* unam cepi in domo sic dicto *Schafhaus* montis *Schneeberg,* ad fenestras, die 4 Septembris; unam, eamque nervo exteriore areolae obsoleto, *Sahlberg* misit e *Fennia.*

Varietates:

1. *Abdomine fere toto nigro.* f. — *Trochanteres* postici interdum basi nigri. *Abdomen* segmento 2, vel etiam 3, obsolete castaneo-maculatis. — *Caetera* ut in specie genuina.

Unum individuum cepi in rubetis prope *Scheidnich,* die 1 Octobris; quaedam alia mecum communicata sunt, circa *Vratislaviam* et *Warmbrunn* lecta.

2. *Coxis et trochanteribus nigris.* f. — *Longitudo* 2¼—2½ linearum. *Palpi* fusci. *Alae* stigmate et radio fuscis, radice pallide-straminea, squamula nigra, areola interdum nervo exteriore deficiente. *Pedes* rufi, femoribus obscurioribus, trochanteribus et coxis nigris. *Abdomen* vel segmento 2 fusco-castaneo, 3 rufo, vel segmentis 2 et 3 totis dilute rufis.

Unam feminam *Manger* cepit circa *Warmbrunn;* alteram, eamque majorem, areola incompleta, segmentis 2 et 3 dilute-rufis, *Hope* circa *Netley.*

180. A. GRAVIDUS. n.

Abdominis medio pedibusque rufis, coxis et trochanteribus nigris. f.

Haec species a praecedente differt statura minus gracili, abdomine crassiore, vix apicem versus subcompresso, antennis brevioribus et crassioribus, metathoracis fovea minus profunda.

Longitudo 2½—fere 3 linearum. *Caput* palpis et mandibularum medio testaceis aut fuscescentibus. *Antennae* crassiusculae, filiformes submoniliformes, apice curvatae, dimidio corpore paulo breviores, fuscae aut ferrugineo-fuscae, articulo 1 interdum subtus rufescente. *Alae* stigmate fusco, radio piceo, radice pallide-straminea, squamula nigra. *Pedes* rufi, coxis et trochanteribus nigris. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, elongato-ovatum; segmento 1 margine subrufescente; 2 et 3 latis, subquadratis, rufis; sequentibus sensim angustioribus, conicis, nigris. *Aculeus* plane absconditus.

Unam cepi feminam, die 10 Augusti, in umbellatis prope *Warmbrunn*; alteram, circa *Trajectum ad Moenum* captam, *de Heyden* mihi misit.

181. A. FOVEOLATUS. n.

Femoribus anticis tibiisque rufis.

A speciebus duabus antecedentibus haec differt abdomine multo compressiore, petiolo multo graciliore, capite minore, tibiis paulo brevioribus.

Longitudo fere 3 linearum. *Caput* mandibulis rufis. *Antennae* filiformes curvatae, longitudine dimidii corporis. *Alae* subfumato-hyalinae, stigmate et radio nigro-fuscis, radice et squamula stramineo-testaceis. *Pedes* antici rufi, coxis et trochanteribus superne nigris; medii coxis et trochanteribus nigris, femoribus fuscis apice rufo, tibiis rufis, tarsis fuscescentibus; postici nigri, tibiis rufis, tarsis fusco-nigris. *Abdomen* capite thoraceque longius, compressum anceps, a latere lanceolatum; segmento 1 lagenaeformi, petiolo tenui lineari, paulo longiore quam pars antica, hac latitudine paulo longiore, apicem versus sensim paulo dilatato, plus duplo latiore quam petiolus.

Unicum *fennicum* individuum *Sahlberg* transmisit.

GENUS XI.

HELLWIGIA.

Abdomine petiolato compresso; antennis clavatis.

Caput breve transversum. — *Oculi* reniformes juxta antennam emarginati. — *Antennae* apicem versus incrassatae compressiusculae. — *Oris partes* fusius descriptae sunt in nota ad H. elegantem. — *Thorax* gibbus. — *Scutellum* subquadratum, apicem versus sensim paulo angustatum. — *Alae* mediocres; areola nulla, cellula interiore nervos duos recurrentes excipiente, nervo, qui hanc cellulam ab exteriore sejungit, angulato, angulo in cellulam exteriorem producto. — *Pedes* subgraciles subelongati. — *Abdomen* petiolatum compressum, thorace multo angustius et plus duplo longius, laeve nitidum, dorso carinatum, a latere visum apicem versus altitudine sensim crescens. Segmentum primum longum; vel subfiliforme, apicem versus sensim dilatatum; vel lagenaeforme, parte antica subquadrata, latitudine paulo longiore, breviore at duplo latiore quam petiolus. — *Aculeus* vix subexsertus.

Hoc genus antennis clavatis ab omnibus reliquis Ichneumonidum generibus differt. Antennarum nulla habita ratione autem *Ophionibus* proxime adpropinquaret, quibus quoque Hellwigia olim subordinata erat. Conferantur quae ad *Crypturos*, *Arotas*, *Campopleges* et reliqua subgenera Ophionum monui.

1. H. ELEGANS.

Abdominis medio flavo-rufoque vario, pedibus flavis, capite thorace scutelloque flavomaculatis. m. f.

Longitudo 5—6 linearum. *Caput* crasse et confertim punctum, foveis duabus latis profundis irregularibus frontalibus, canaliculaque longitudinali inter antennas, unde lineae duae elevatae in fronte exhibentur; *mari* flavum, occipite foveis et mandibularum apice nigris; *feminae* nigrum, orbitis oculorum, facialibus exceptis, flavis. *Antennae* porrectae, apice dilatatae crassiores, dimidio corpore vix paulo longiores, articulis circiter triginta; *mari* fulvae, subtus basin versus flavicantes, articulo 1 supra fusco; *feminae* rufae, articulis 1—3 nigris. *Thorax* brevis gibbus; maculis duabus simplicibus aut uncinatis ante collum, lineola sub alis anticis, punctis duobus unove sub alis posticis, linea perpendiculari aut puncto ad latera prothoracis, puncto sub scutello, metathoracis macula magna semilunari alteraque utrinque laterali, flavis; omnibus his picturis in mare majoribus magisque contiguis. *Scutellum* flavum. *Alae* mediocres hyalinae, stigmate stramineo, radio nervisque piceis aut fuscis, radice et squamula flavis. *Pedes* mediocres subelongati; *maris* toti flavi, tarsis posticis apicem versus rufescentibus, articulis 2—4 basi summa nigris; *feminae*

anteriores flavi, coxis nigris, macula aut puncto apicali flavo, trochanteribus basi nigris, postici fulvi, coxis nigris macula flava, trochanteribus flavis basi nigra. *Abdomen* capite thoraceque vix plus duplo longius; segmento 1 lagenaeformi nitido laevissimo, parte antica latitudine vix paulo longiore, breviore et duplo latiore quam petiolus; *mari* segmento 1 nigro, apice flavo, 2—4 testaceo-rufis aut flavis basi subrufescente, 5—7 flavis, 5, vel etiam 6, basi laterali summa nigricante; *feminae* segmentis 1, 5, 6 et 7, nigris margine flavo, intermediis fulvis aut rufis, plerumque margine flavo. *Aculeus* vix subexsertus niger. *Genitale masculum* flavum subexsertum crassum compressiusculum bivalve, superne stylis duobus brevioribus fuscis auctum.

Mares nonnullos *Klug* legit circa *Berolinum*. Feminae ibidem, nec non circa *Vindobonam Brunsuigam Vratislaviam* et in *Podolia* captae sunt.

Synonyma:

Hellwigia elegans Gravenh. in Nov. Act. Acad. Caes. Leop. XI, p. 318, tab. 43.

Nota:

De oris partibus *Nees ab Esenbeck* haec mihi scripsit:

Clypeus parvus, vix discretus, margine supero rectiusculo, hinc declivis, in medio carinula ob-

tusa transversali, apice rotundatus. — *Labium* reconditum angustum rotundatum ciliatum. — *Mandibulae* arcuatae, ratione graciles, basi parum dilatatae, convexiusculae punctulatae glabrae, apice bifidae, dentibus inaequalibus obtusiusculis, infero breviore. — *Maxillae* labio parallelae, eoque breviores: *Stipes* corneus lanceolatus compressus acuminatus convexus laevis glaber, apice oblique truncatus, margine interiori, sursum sub malae lobo infero, appendice dentiformi lineari, apice bifida, malae subappressa, auctus; *Mala* stipitis longitudine, membranacea, biarticulata (nec bifida), fere obovata aut rectangula, margine supero rotundato, articulo infero breviore, cum supero ubique connato ejusdemque latitudinis, oblique truncato, angulo interiori acuto altiore, superiore obovato, basi truncato, margine supero ciliato. — *Palpi maxillares* mala longiores (articulis tribus extremis prominentibus), setacei pubescentes, quinquearticulati, articulis longitudine fere aequalibus, crassitie per gradus diminuata, 4 anterioribus obconicis, 5 filiformi tenui acutiusculo. — *Labium* maxillis longius: *Mentum* corneum ovatum, haud compressum, convexum laeve glabrum, apice tridentatum, dentibus subaequalibus, medio obtuso: *Lingua* membranacea, mento longior, recta linearis, supra convexa, subtus canaliculata, apice bifida, laciniis basi contiguis, apice rotundatis, ut lingua, primo intuitu, emarginata tantum appareat, subtilissime ciliatis. — *Palpi labiales* linguam non superantes, recti

subsetacei pubescentes quadriarticulati, articulo primo subclavato truncato longiori, reliquis longitudine aequalibus, 2 cylindrico, 3 obconico, 4 filiformi acuto tenuiori.

2. H. OBSCURA.

Abdominis medio castaneo; femoribus tibiisque anterioribus subtus flavis. f.

Longitudo 6 linearum. *Antennae* articulis 1—6 nigris (reliquis deficientibus). *Thorax* gibbus. *Alae* mediocres, subfumatohyalinae, stigmate radio radice squamula nervisque nigris. *Pedes* subgraciles subelongati; anteriores femoribus tibiisque subtus sulphureis, femoribus mediis tamen basin versus nigris. *Abdomen* magis compressum quam in specie prima, capite thoraceque triplo longius; segmento 1 fere thoracis longitudine, sublineari, apicem versus sensim paulo dilatato, parte antica breviore quam petiolus, tuberculis lateralibus obsoletissimis; 2 lineari-cylindrico, paulo breviore; sequentibus compressis, sensim brevioribus; 3 apicem versus badio, 4 toto castaneo. *Aculeus* vix subexsertus.

Unicam feminam, circa *Genuam* captam, *a Spinola* mecum communicavit.

Synonyma:

Hellwigia obscura Gravenh. in Nov. Act. Acad. Caes. Leop. XI, p. 321.

Nota:

Hanc speciem quidem antennis graviter mutilatam accepi, tamen haud dubito quin antennae apice crassiores fuerint, cum hoc individuum, reliquis characteribus praecipuis, i. e. fabrica singulari cellularum alae, forma oculorum et abdominis, cum H. elegante exacte congruat.

GENUS XII.

ACOENITES.

Abdomine subsessili teretiusculo; capite transverso; pedibus posticis validis elongatis.

Caput transversum. — *Oculi* ovales. — *Antennae* porrectae filiformes, dimidii corporis longitudine vel paulo longiores. — *Partes oris* sub Ac. saltante accuratius descriptae sunt. — *Thorax* gibbus. — *Scutellum* convexiusculum aut gibbulum, triangulare apice obtuso. — *Alae* mediocres aut amplae; areola nulla, solo *Ac. rufipedi* triangulari. — *Pedes* anteriores mediocres; postici elongati validi, unguibus validis. — *Abdomen* subsessile convexum, capitis thoracisque longitudine, thorace paulo angustius, oblongum, maribus longius et angustius quam feminis. Segmentum primum laeve subcanaliculatum, apicem versus sensim dilatatum, maribus angustius quam feminis. Segmentum sextum feminis ventre, sub specie valvulae concavae elongatae acuminatae, anum versus porrectum. — *Aculeus* longitudine dimidii abdominis, aut longior.

Relationum hujus generis ad *Lissonotas*, *Coleocentros*, *Arotas* et *Pachymeros*, sub his jam ratio habita est.

---

1. A. SALTANS. n.

Abdominis medio, tibiis anterioribus, femoribus antennisque, rufis. m. f.

Longitudo maris 4¼, feminae 3½—4 linearum. *Antennae* filiformes porrectae, longitudine dimidii corporis, seu perparum breviores; articulis 1 et 2 nigris, sequentibus feminae rufis, mari fulvis, supra fuscescentibus. *Thorax* gibbo-cylindricus. *Alae* mediocres fumato-hyalinae, stigmate et radice rufis, radio fusco, squamula maris ferruginea, feminae nigra. *Pedes* anteriores mediocres, dilute rufi, trochanteribus et coxis nigris; postici elongati crassi nigri, femoribus, feminae quoque latere interno tibiarum, dilute-rufis. *Abdomen maris* capite thoraceque paulo longius, thorace angustius, fusiforme, apicem versus compressum; segmento 1 latitudine fere triplo longiore, basin versus sensim angustato, nigro, apice castaneo-nebuloso, petiolo profunde canaliculato; 2 rufo, macula dorsali fusca; 3 nigro, angulis baseos rufis; sequentibus nigris; *feminae* brevius et crassius quam mari, capitis thoracisque longitudine, thorace paulo angustius; segmento 1 rufo, basi nigra; 2 et 3 rufis; reliquis nigris, 4 macula laterali, 5 puncto laterali, rufis; subtus processu ventrali, a segmento 4 orto et paululum ultra apicem abdominis prominente. *Aculeus* vix abdomi-

nis dimidii longitudine, subclavatus niger, terebra rufa filiformi.

Marem unicum *ab Uechtritz* cepit, die 22 Iulii, in horto prope *Neuschoeneberg*. Feminam unam cepi prope *Vratislaviam*, in gramine, mense Iulii; alteram, eamque majorem et crassiorem, *Besser* e *Volhynia* transmisit.

Varietas:

1. *Pedibus posticis totis nigris.* m. f.

Longitudo maris $4\frac{3}{4}$, feminae $3\frac{1}{4}$—4 linearum. *Caput* labro interdum stramineo. *Antennae* ferrugineae, superne plerisque fuscescentes; articulis 1 et 2 nigris, rarissime subtus flavoferrugineis. *Alae* stigmate radio et squamula fuscis aut ferrugineis, radice ferruginea aut fulva. *Pedes* anteriores rufofulvi, coxis et trochanteribus nigris, nonnunquam quoque femorum basi summa nigra; postici nigri, femoribus extrorsum macula obsoleta castanea. *Abdomen* feminarum proportione abdominis feminae crassioris genuinae; segmento 1 vel nigro, margine rufo, vel rufo, petiolo nigro; 2—4 rufis aut fulvis, 4 interdum puncto parvo, 5 macula magna, dorsali nigra; 6 et 7 nigris. *Aculeus* tertia abdominis parte parum longior.

Marem unum nonnullasque feminas, circa *Genuam* lectas, *a Spinola* mecum communicavit; duasque alias feminas, circa *Niesky* et in *Regione pedemontana* captas, accepi.

Nota:

Nees ab Esenbeck descriptionem partium oris mecum communicavit his verbis:

Clypeus brevis transversalis, sulculo profundo semicirculari discretus, margine infero rotundato, in medio subretuso. — *Labrum* lineare transversum ciliatum. — *Mandibulae* modice arcuatae, tetragonae, basin versus conico-dentatae, facie exteriore punctulato-rugulosa, apice acute bifidae, dentibus acutis subaequalibus, supero paulo breviore. — *Maxillae* labium amplectentes, ejusdemque longitudine: *Stipes* facie inferiori cornea ovata, introrsum paulo obliqua, convexa laevi, a latere compressus: *Mala* membranacea tenuis, stipitis longitudine, obovato-cuneiformis, biarticulata, articulo infero breviore, introrsum in lobum ascendentem rotundatum dilatato, superiori rotundato ciliato. — *Palpi maxillares* mala duplo longiores, recti setacei nudiusculi quinquearticulati, articulis subaequalibus obconicis, basi tenuibus, crassitie a primo ad apicem aequo modo decrescente; secundo apice obliquo, margine interiori extrorsum paulo magis divergente; quinto filiformi tenui acuto, caeteris paulo breviori. — *Labium*: *Mentum* obconicum, modice compressum, laeve convexum nitidum, margine supero tridentato, dentibus obtusis, medio latiore et paulo altiore: *Lingua* menti longitudine, ratione angusta, linearis, apice acute bifida, laciniis triangularibus obtusiusculis deflexis ciliatis. — *Palpi labiales* lingua dimidio longiores, recti quadriarti-

culati subpilosi; articulis 3 anterioribus obconicis, 1 longiori tereti, 2 breviori subcompresso, 3 brevissimo, 4 longitudine fere primi, ovali-cylindrico acuto tenuiori.

2. A. FULVICORNIS. n.

Abdomine rufo, petiolo nigro; femoribus tibiisque anterioribus fulvis, antennis subtus fulvis. m. f. (*mas* segmentis ultimis macula nigra).

Statura et proportio partium omnino antecedentis.

Longitudo 2⅓—3½ linearum. *Caput* labro fulvo. *Antennae* fuscae, subtus fulvae, articulis 1 et 2 plerumque totis nigris. *Alae* subfumato-hyalinae, stigmate et radio fuscis aut piceis, radice straminea, squamula nigra. *Pedes* anteriores fulvi, trochanteribus et coxis nigris, plerumque femorum latere convexo basin versus, rarius latere illo fere toto, nigro; postici nigri, coxis femoribusque validis, rarissime tibiis basi fulvis. *Abdomen maris* capitis thoracisque longitudine, thorace angustius, subcylindricum, versus apicem plerumque ventre compressum aut subcompressum, *feminae* paulo brevius et crassius; segmento 1 vel nigro, margine rufo, vel rufo basi nigra; 2—5 rufis aut fulvis, 3—5 mari rarius macula dorsali nigricante; 6 et 7 rufis, mari macula dorsali nigra; segmentis 4—6 feminae valvula auctis ventrali, apicem versus acute elongata, pro receptione tere-

brae. *Aculeus* longitudine dimidii abdominis, seu paulo brevior, fuscus, terebra rufa.

Marem et feminam cepi, die 6 Iunii, in umbellatis prope *Vratislaviam;* alterum marem, eumque femoribus anterioribus extrorsum nigris, tibiis posticis basi fulvis, die 1 Iunii, in fruticetis prope *Pepelwitz;* tertium, circa *Monspessulanum* captum, *Lippert* mecum communicavit; feminas duas *pedemontanas* autem *Bonelli* transmisit.

3. A. DUBITATOR.

Segmentis 2 et 3 fulvis, 5—7 albomarginatis; tibiis anterioribus femoribusque fulvis. f.

Statura et proportio partium omnino feminae *Ac. aratoris*, n. 5; segmento 1 tamen breviore, aculeo longiore.

Longitudo 4½—5¾ linearum. *Alae* flavo-fumato-hyalinae, stigmate fusco aut ferrugineo, radio fusco, radice straminea aut ferruginea, squamula nigra. *Pedes* fulvi, coxis et trochanteribus omnibus, nec non tarsis posticis, nigris; plerumque tibiis posticis, excepta basi earum fulva, nigris, aut latere interno basique totis fulvis. *Abdomen* segmento 1 latitudine paulo longiore, nigro, margine dorsali plerumque fulvo; 2 et 3 fulvis, 2 interdum disco aut lateribus, 3 interdum margine, nigro; 4 nigro, interdum basi et lateribus fulvis; sequentibus nigris, dorso membrana alba aut sordide-testacea marginatis; 6 et 7 valvula auctis ventrali valida spinaeformi concava, apicem versus

porrecta. *Aculeus* longitudine corporis, niger, terebra rufa.

Feminas nonnullas accepi, circa *Vratislaviam, Norimbergam, Genuam, Parmam,* nec non in *Regione Pedemontana* et *Volhynia* lectas. Volhynica omnium maxima est, norimbergensis unica tibiis posticis totis fulvis.

Varietas:

1. *Abdomine nigro, segmentis ultimis albomarginatis, segmento secundo interdum rufomarginato.* m. f. — *Statura* et proportio partium omnino *Ac. aratoris* m. et f. n. 5. — *Longitudo* 4—5 linearum. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio fuscis aut piceis, radice picea aut rufa, squamula nigra. *Pedes* fulvi, coxis et trochanteribus, nec non pedum posticorum tibiis et tarsis nigris. *Abdomen* segmentis 3—7, interdum quoque 1 et 2, margine summo glauco-albis, 3 nonnunquam basi et margine rufis. — Caetera ut in genuinis.

Mares nonnulli ad me transmissi sunt, circa *Vindobonam, Genuam* et in *Volhynia* lecti; volhynici maximi, segmento 3 basi et margine rufis. Feminam unicam *hungaricam Dahl* mecum communicavit, colore cum maribus volhynicis convenientem.

Synonyma:

Ichn. dubitator Panzer Faun. fasc. 78, tab. 14; habitat in umbellatis.

Ichn. dubitator Panzer ad Schaeff. Icon. tab. 187, fig. 1, (segmento 4 fulvo, margine flavo; aculeo corpus longitudine excedente).
„ Lamarck p. 138, n. 6.
„ Latreille Crust. XIII, p. 180, n. 5.
Cryptus dubitator Fabr. Piez. p. 85, n. 64.

Nota:

Ichn. dubitator Thunb. Ichn. n. 298, (segmentis 1 et 2 totis, reliquis margine, pedibusque, rufis) ad hanc speciem haud referri potest.

4. A. RUFIPES. n.

Areola triangulari; pedibus rufis, posticis apice nigris. m. f. (*mas* coxis et trochanteribus nigris).

Statura et proportio partium speciei antecedentis; sed corpore toto graciliore et areola triangulari distinctus.

Longitudo $3\frac{1}{4}$—$4\frac{1}{3}$ linearum. *Caput* labro et clypeo feminae nonnunquam rufescentibus; orbitis oculorum facialibus et externarum parte maribus distincte, feminis obsolete, stramineis. *Antennae* nigro-fuscae, feminis interdum rufo-ferrugineae articulo 1 nigro. *Alae* fumato-hyalinae, stigmate et radio nigris aut fuscis, radice et squamula testaceis, hac interdum fuscescente; areola triangulari petiolata. *Pedes* dilute-rufi; coxis maris omnibus nigris, feminae solis anterio-

ribus, mediis tamen semper rufomaculatis, nonnunquam fere totis rufis; trochanteribus nigris; tarsis posticis, nec non tibiarum posticarum apice, nigris aut fuscis. *Abdomen* capite thoraceque paululum longius; mari thorace paulo angustius; feminae thoracis latitudine et nonnunquam colore castaneo subimbutum; segmento 1 subcanaliculato, basin versus sensim angustato, mari latitudine plus duplo aut triplo longiore, feminae latitudine duplo longiore; segmentis 3—6 feminae valvula ventrali, sicut in antecedentibus, auctis. *Aculeus* abdomine longior, niger, terebra rufa.

Nonnullos mares et feminas *Besser* transmisit e *Volhynia;* maximam autem feminam, eamque antennis ferrugineis, labro clypeoque rufescentibus, *ab Uechtritz* mecum communicavit.

5. A. ARATOR.

Tibiis anterioribus femoribusque fulvis. m. f.

Longitudo maris fere 6, feminae 4—5¼ linearum. *Antennae* filiformes, longitudine dimidii corporis, vel paulo longiores, porrectae, fuscae, subtus ferrugineae, articulis 1 et 2 totis nigris. *Thorax* gibbus aut gibbo-cylindricus. *Alae* mediocres fumato-hyalinae, stigmate et radio fuscis aut ferrugineis, squamula et radice nigris, hac interdum ferruginea. *Pedes* anteriores mediocres, fulvi, coxis et trochanteribus nigris; postici elon-

gati validi nigri, femoribus fulvis. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, seu paulo longius, thorace angustius, subfusiforme, medium versus vix paululum dilatatum; feminae segmentis 3—6 ventre in laminam vomeriformem, seu spinam validam subarcuatam concavam, productis; segmento 1 apicem versus sensim parum dilatato, latitudine duplo longiore, subcanaliculato. *Aculeus* dimidio abdomine paulo longior.

Par hujus speciei, circa *Trajectum ad Moenum* captum, *de Heyden* mecum communicavit. Marem cepi in umbellatis, circa *Cudovam,* mense Augusti; eodem mense circa *Barterodam* feminam cepi. Insuper autem plures feminae, circa *Warmbrunn, Parmam, Genuam,* in *Regione pedemontana* et in *Volhynia* lectae, mihi transmissae sunt.

Synonyma:

Ichn. arator Rossi Faun. II, n. 778; habitat in sylvestribus Etruriae.

Synonyma dubia:

Ichn. terebrator Scop. Carn. n. 749.
„ Villers p. 184, n. 153.
„ Christ p. 366.
„ Olivier p. 212, n. 33. (Nullus horum auctorum nec antennarum subtus ferrugineKarum, nec tibiarum et tarsorum posticorum nigrorum mentionem fecit).

6. A. NIGRIPENNIS. n.

Alis nigris; abdominis medio femoribusque plus minus rufescentibus. m. f.

Statura et proportio partium omnino antecedentis.

Longitudo fere 6 linearum. *Alae* nigro-hyalinae. *Pedes* maris anteriores rufi, coxis et trochanteribus, nec non femorum basi, nigris, tarsis fuscis, postici nigri femoribus rufis; feminae anteriores nigri, latere interiore femorum tibiarum et tarsorum fusco-ferrugineo, postici nigri, femoribus extrorsum macula castanea. *Abdomen* maris segmentis 2 et 3, nec non margine primi, castaneis; feminae segmento 3 toto, 2 maculis duabus dorsalibus, 4 basi et puncto laterali, 5 puncto laterali, castaneis, 4—6 ventre lamina longa, interne concava, acuta, apicem abdominis excedente, pro receptione terebrae, auctis. *Aculeus* abdominis dimidii longitudine, niger, terebra rufa.

Par *lusitanicum* hujus speciei vidi in museo *Comitis de Hoffmannsegg.*

7. A. TRISTIS. n.

Niger; alis nigris. m.

Statura et proportio partium omnino *A. aratoris*, n. 5.

Longitudo 5—6 linearum. *Alae* nigro-hyalinae. *Pedes* tibiis anticis introrsum fuscis.

Individua duo mascula lusitanica vidi in museo *Comitis de Hoffmannsegg.*

GENUS XIII.

XORIDES.

Abdomine teretiusculo, petiolato aut subsessili; capite globoso aut subgloboso; areola nulla aut quinqueangulari.

F A M I L I A I,

seu subgenus:

XYLONOMUS;

a *ξύλον*, lignum, et *νωμάω*, inhabito — quia feminae ova ponunt in larvas lignicolas.

Abdomine sessili aut subsessili, depressiusculo, basi scabro; areola nulla; pedibus mediocribus; (aculeo mediocri aut longo).

Caput breviusculum, subtransversum aut subglobosum, facie quadrata. — *Oculi* ovales aut orbiculato-ovales. — *Antennae* graciles, rarius pilosellae (*X. pilicorni*); maribus porrectae, feminis apice curvatae. — De his et *partibus oris* conferre velis notam ad X. pilicornem. — *Thorax* cylindricus. — *Scutellum* convexiusculum aut gibbulum, triangulare apice obtuso. — *Alae* mediocres; areola nulla, cellulae interioris nervo inferiore exteriore subanguloso et cum nervo inferiore cellulae exterioris, ad angulum cellulae radialis, contiguo. — *Pedes* mediocres aut subelongati. — *Abdomen* sessile aut subsessile, *X. scabro* subpetiolatum; convexum aut depressiusculum, subtiliter punctum, subopacum aut subnitidulum; maribus elongatum, sublineare aut apicem versus paululum dilatatum, thorace angustius et longius, plerumque eo duplo longius; feminis brevius et latius, thoracis latitudine, eoque paulo longius seu ejus latitudine, oblongum seu oblongo-ovatum. Segmentum primum scabriculum, lineis duabus elevatis longitudinalibus, rarius subobsoletis. (*X. praecatorio*); feminis apicem versus sensim dilatatum; maribus angustius et longius quam feminis, subaequilatum; interdum medio utrinque impressum aut subconstrictum, v. c. *X. pilicorni* et *irrigatori*; tuberculis lateralibus inter

medium et basin, mari plerumque medio propius, sitis. — *Aculeus* abdomine brevior aut paulo longior.

De relationibus hujus familiae ad *Hemiteles*, *Phytodietos*, *Polysphinctas*, *Banchos*, *Arotas* et *Porizones*, haec subgenera conferre velis. — *Xoridae* et *Odontomeri* discrepant a Xylonomis, abdomine laevi petiolato, aut saltem segmento 1 basin versus angustiore quam in Xylonomis; Xoridae praeterea facie haud quadrata, sed os versus angustata, Odontomeri autem femoribus posticis crassis. — *Echthri* areola quinqueangulari se distinguunt, aut nervo distincto, cellulas duas cubitales sejungente.

SECTIO I.

Abdomine nigro.

---

1. X. RUFIPES. n.

Pedibus rufis, antennis alboannulatis. f. (aculeo fere corporis longitudine).

Statura et proportio partium omnino *X. pilicornis*, n. 9; segmento primo tamen angustiore, fere sicut in mare *pilicornis*.

Longitudo 8—fere 10 linearum. *Caput* palpis rufis. *Antennae* graciles, corpore breviores; articulis 16—19 albis, superne fuscescentibus. *Thorax* cylindricus. *Alae* plus minus fumatohyalinae, irideae, stigmate et radio nigrofuscis, hoc basin versus rufo, radice et squamula rufis. *Pedes* rufi, tarsis posticis plus minus fuscis, interdum quoque tibiis posticis fuscescentibus. *Abdomen* vel totum opacum, vel segmento 1 nitido, apice subsericans; segmento 1 latitudine quinquies aut sexies longiore, lineis duabus elevatis et, sicut secundum, punctis confertis scabrosum; sequentibus sensim laevioribus. *Aculeus* fere corporis longitudine, vaginis pilosis, terebra badia, apice sublanceolata.

Unam feminam accepi, circa *Parmam* captam; alteram, eamque minorem, statura et segmento 1 gracilioribus, abdomine toto magis opaco, ex *Hungaria*.

2. X. SCABER. n.

Femoribus, tibiis anterioribus, et tibiarum posticarum basi, rufis; segmentis 1—3 arcu impressis. f. (aculeo dimidio abdomine paulo longiore).

Longitudo fere 4 linearum. *Caput* punctum opacum, palpis longis. *Antennae* dimidio corpore paulo breviores, apice graciliores incurvae. *Thorax* cylindricus punctus subopacus. *Alae* mediocres subhyalinae; stigmate radio et radice ferrugineo-rufis, squamula fusca; nervo, qui cellulam radialem a cellula interna, alteroque, qui cellulam internam ab externa sejungit, nube fumato-hyalina circumdatis. *Pedes* mediocres rufo-fulvi, trochanteribus et coxis nigris; postici tarsis et tibiis nigris, his basi rufis. *Abdomen* subsessile, capitis thoracisque latitudine et longitudine, seu paulo longius, subaequilatum; segmento 1 apicem versus sensim dilatato, scabro, arcu transverso profundo, convexitate marginem versus spectante, praetereaque lineis duabus longitudinalibus elevatis subobsoletis; 2 et 3 scabris, arcubus duobus, e puncto communi ad basin mediam segmenti ortis, utrimque versus angulum baseos directis; sequentibus laevibus nitidulis. *Aculeus* dimidio abdomine paulo longior, depressus, pilosellus.

Feminam *austriacam* unam *Dahl* mihi misit.

3. X. ANNULATUS. n.

Femoribus, tibiis anterioribus, tibiarumque posticarum basi et apice, rufis; antennis albo-annulatis (aculeo fere abdominis longitudine).

Longitudo 3 linearum. *Caput* palpis longis piceis. *Antennae* dimidio corpore paulo longiores, graciles, apice incurvae, articulis 14—16 albis. *Thorax* cylindricus. *Alae* mediocres, corpore breviores, subhyalinae, stigmate radio et radice piceo-testaceis, squamula fusco-picea. *Pedes* mediocres, rufo-fulvi, coxis et trochanterum basi nigris; postici tibiis fuscis, basi apiceque rufo-fulvis, tarsis fuscis, articulo 1 basi apiceque, sequentibus apice summo, rufo-fulvis. *Abdomen* sessile, capitis thoracisque longitudine et latitudine, aequilatum; segmento 1 basin versus vix paulo angustato, scabro, lineis duabus elevatis obsoletis; 2 puncto, fovea utrinque ante baseos angulum; sequentibus sensim brevioribus et nitidioribus. *Aculeus* fere longitudine abdominis.

Feminam unicam, circa *Vindobonam* captam, *Dahl* transmisit.

4. X. PARVULUS. n.

Femoribus rufis, posticis geniculo nigro; tibiis rufis, posticis basi albis, apice et ante basin nigris. m.

A reliquis hujus sectionis maribus hic differt abdomine magis aequilato minusque nitido.

Longitudo 3—fere 4 linearum. *Caput* palpis fuscis; orbitis oculorum internis albis. *Antennae* graciles filiformes, corpore breviores. *Thorax* cylindricus, metathorace tuberculis duobus parvis acutis. *Alae* hyalinae irideae, stigmate et radio piceis, radice testacea, squamula nigra. *Pedes* rufi, coxis et trochanteribus nigris, coxis anticis subtus vel albidis vel ferrugineis; femoribus posticis apice nigris; tibiis mediis, basi albida, ante basin fuscescentibus, posticis, basi alba, extrorsum apice et ante basin fuscis; tarsis posterioribus superne fuscescentibus. *Abdomen* capite thoraceque paululum longius, thorace vix paululum angustius, opacum; segmento 1 latitudine triplo longiore, basin versus sensim paulo angustato, scabro, lineis duabus elevatis; 2—6 aequilatis, sensim brevioribus; 2 et 3 utrinque ante basin impressione laevi.

Mares duos *Besser* e *Volhynia* transmisit; duo alii circa *Vratislaviam* capti sunt.

Nota:

Hic mas forsan cum *X. praecatorio* jungendus est. Ambo pedibus et alis congruunt; ambo circa Vratislaviam eodem die et loco capti sunt.

5. X. ATER. n.

Orbitis oculorum frontalibus albis. m. f. (*mas* pedibus anterioribus testaceis, coxis nigris; *femina* pedibus rufis, posticorum tarsis tibiis et femorum apice nigris; aculeo abdomine parum longiore).

Statura et proportio partium omnino *X. pilicornis*, n. 9.

Corpus nigrum, rarissime nigrobadium. *Longitudo* maris 4—5, feminae 4¼—6 linearum. *Caput* labro stramineo; orbitis oculorum frontalibus albis. *Alae* fumato-hyalinae, stigmate et radio fuscis aut fusco-piceis, radice et squamula testaceis aut stramineis, squamula puncto fusco, rarius tota fusca. *Pedes feminae* stramineo-rufi, rarius castanei, postici tarsis, femorum apice, tibiisque fusconigris, his basi summa ferrugineis, plerumque apicem versus subcurvatis, interdum trochanterum et coxarum basi nigra, rarissime coxis omnibus fuscis; *mari* anteriores testacei, coxis et basi trochanterum nigris, postici autem fusco-nigri, tibiis interdum summa basi fusco-ferrugineis. *Aculeus* abdomine paulo longior.

Mares et feminam cepi, die 12 Iunii, truncos quercuum circumvolitantes, prope *Treschen;* sexum utrumque etiam e *Fennia* accepi, nonnullasque feminas, circa *Vratislaviam* et in *Hungaria* lectas.

6. X. CALIGATUS. n.

Femoribus rufis, posticis geniculo nigro; tibiis anterioribus rufis, extrorsum fuscescentibus, posticis nigris basi alba. m.

A mare antecedente hic differt, antennis abdomineque brevioribus.

Longitudo 4 linearum. *Antennae* graciles filiformes, corpore breviores. *Thorax* cylindricus. *Alae* fumato-hyalinae, stigmate radio et squamula nigro-fuscis, radice straminea. *Pedes* antici rufi, tibiis extrorsum fuscescentibus basi albida; medii rufi, coxis et trochanteribus nigris, his apice rufis, tibiis extrorsum fuscis basi alba; postici nigri, tibiis basi albis, femoribus rufis, geniculo nigro. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius, thorace vix paulo angustius; segmento 1 latitudine paulo plus duplo longiore, basin versus sensim angustato, subtiliter puncto, subbicanaliculato; 2—6 fere aequilatis, sensim brevioribus, 2 subtiliter puncto, reliquis laevioribus.

Unicum marem cepi, mense Iunii, in strue lignorum prope *Vratislaviam*.

SECTIO II.

Abdomine rufo aut rufo-nigroque.

Abdomen rarius totum rufum est, plurimis apice, vel basi apiceque, nigrum.

7. X. FILIFORMIS. n.

Abdomine rufo; tibiis anterioribus et latere interno femorum anteriorum testaceis; tibiis posticis basi albis; orbitis oculorum frontalibus et antennarum annulo albis. m. f. (*mas* annulo albo tarsorum posticorum; *fem.* aculeo longitudine abdominis).

Longitudo 5—8½ linearum. *Caput* labro plerumque ferrugineo, interdum etiam margine clypei et macula, plus minus distincta, ad latera occipitis, ferrugineis aut badiis; orbitis oculorum frontalibus, interdum etiam facialibus, albis aut albicantibus. *Antennae* graciles filiformes porrectae; corpore breviores; mari articulis 13—19, vel eorum plurimis, feminae articulis 12—16—17, albis; articulo 1 plerumque subtus castaneo aut testaceo. *Thorax* cylindricus, postice denticulis duobus acutis armatus. *Alae* mediocres, plus minus fumato-hyalinae; stigmate radio et squamula fuscis aut nigris, radice testaceo-picea aut fusca. *Pedes* mediocres; anteriores coxis trochanteribus femoribusque nigris, horum anticis, ut plurimum quoque mediis, subtus apicem versus ferrugineis aut subfulvis, tibiis testaceis aut ferrugineo-fulvis, mediis interdum ferrugineo-nigricantibus, basin versus nigris, basi ipsa alba, tarsis supra subfuscis; postici nigri, tibiarum basi, mari quoque tarsorum articulis 2—4, rarius etiam apice primi, rarissime solis 3 et 4, albis, femori-

bus nonnunquam basin versus castaneis, rarius rufis geniculo nigro. *Abdomen maris* thorace duplo aut plus duplo longius, eoque angustius, subaequilatum, rufum; segmento 1 latitudine fere quadruplo longiore, apicem versus sensim parum dilatato, canaliculato; *feminae* capitis thoracisque longitudine et latitudine, fusiforme; segmento 1 latitudine fere triplo longiore, apicem versus sensim dilatato, latiore quam mari, lineis duabus elevatis; 4—6 ventre productis. *Aculeus* longitudine abdominis, vaginis nigris. *Mas* segmento octavo accessorio perparvo, apice hiante, stylis duobus et valvulis duabus, sicut in mare *X. nitentis* exsertis, membro intermedio autem nunquam conspicuo.

Magna copia marium et plures feminae, mensibus Iunii et Iulii, circa *Vratislaviam*, in struibus lignorum lectae sunt. Quaedam paria etiam accepi, circa *Berolinum* et in *Regione pedemontana* capta, maresque nonnullos, circa *Niesky*, *Hannoveram*, *Vindobonam* et in *Hungaria* lectos.

Varietas:

1. *Tibiis anterioribus pro parte nigris.* m. — *Tibiae* anticae rufo-ferrugineae, basi albae, ante basin nigrae; mediae nigrae, basi albae, subtus versus apicem ferrugineae. — Caetera ut in maribus genuinis plurimis.

Duos mares, cum genuinis, circa *Vratislaviam* lectos, accepi.

8. X. GRACILICORNIS. n.

Abdominis medio rufo; tibiarum posticarum basi et antennarum annulo albis. m. f. (*mas* pedibus fuscis; tibiis anterioribus testaceis, tarsorum posticorum annulo et tibiarum omnium basi albis; *femina* tibiis femoribusque rufis, tibiis posticis basi albis, ante basin nigris; aculeo longitudine abdominis).

Statura et proportio partium maris sicut in mare X. antecedentis; femina latior est et brevior.

Longitudo maris 5, feminae 4 linearum. *Caput* labro ferrugineo, orbitis oculorum internis maris albis. *Antennae* subfiliformes tenues, corpore breviores, articulis 11—14 albis. *Thorax* cylindricus. *Alae* mediocres subfumatohyalinae, stigmate radio et squamula fuscis, radice straminea. *Pedes maris* fusci, anteriores tarsis tibiis et femorum apice testaceis, tibiis omnibus basi, tarsorumque posticorum articulis 2—4, albis; *feminae* mediocres, rufi, coxis et trochanteribus nigris, postici femoribus et tibiis ante basin nigricantibus, basi ipsa tibiarum autem alba. *Abdomen maris* segmentis 1—3 rufis, 3 apice nigro, sequentibus nigris; *feminae* capitis thoracisque longitudine et latitudine, subsessile oblongum; segmento 1 apicem versus sensim dilatato, latitudine duplo fere longiore, scabro, lineis duabus elevatis, nigro, apice castaneo; 2 scabro, foveolis duabus ad basin, rufo-castaneo; 3 subscabro nigro, lateribus casta-

neis; sequentibus nigris. *Aculeus* longitudine abdominis, niger, terebra rufa.

Par hujus speciei, circa *Niesky* captum, *Roentgen* mecum communicavit.

9. X. PILICORNIS. n.

Femoribus tibiisque rufis, his medio obscurioribus; m. f. (*mas* abdominis medio rufo; *fem.* abdominis basi rufa, antennis albo-annulatis, aculeo abdomine longiore).

Statura maris gracilior quam feminae.

Longitudo 4—5½ linearum. *Caput* labro ferrugineo aut flavescente. *Antennae* graciles, *mari* corpore paululum breviores, porrectae setaceae nigrae, pilis tenuissimis vestitae; *feminae* subfiliformes, dimidio corpore paulo longiores, apice incurvae, pilis brevioribus paucioribusque subvestitae, nigrae, articulis 11—15, seu 12—16, seu 13—18, albis. *Thorax* cylindricus; metathorace scabro, postice spinis duabus, acutioribus aut obtusioribus, armato. *Alae* mediocres subangustae plus minus fumato-hyalinae stigmate et radio fuscis aut piceis, radice picea aut straminea, squamula nigra aut fusca apice subtestaceo. *Pedes* graciles, postici elongati; rufi; coxis et trochanteribus nigris; femoribus basi summa nigricante, rarius latere externo toto nigro; tibiis anterioribus maris interdum basi et apice pallidioribus, feminae extrorsum nigricantibus, basi et apice rufis, posti-

cis nigris, basi et apice rufis, feminae interdum fere totis nigris; tarsis feminae omnibus, mari solis posticis, fuscis. *Abdomen* subsessile, *mari* thorace duplo longius et paululum angustius, elongatum aequilatum; segmento 1 longo, apicem versus sensim paululum dilatato, rugoso, lineis duabus elevatis, basi nigro, apice rufo seu castaneo; 2 subrugoso, impressionibus duabus ad basin, nonnunquam lineis duabus elevatis obsoletis, rufo seu castaneo seu fusco; sequentibus nigris; *feminae* capitis thoracisque longitudine et latitudine, subovato-fusiforme; segmento 1 subrugoso, lineis duabus elevatis, rufo; 2 impressionibus duabus ad basin, rufo; 3 rufo; sequentibus nigris, 4 et 5 interdum latere aut basi rufis. *Aculeus* abdomine longior, niger, terebra badia.

Par hujus speciei, prope *Genuam* captum, praetereaque plures mares, circa *Norimbergam, Hannoveram, Niesky* et in *Gallia meridionali*, feminaeque, circa *Barterodam, Neisse, Vindobonam* et in *Regione pedemontana*, lectae, mecum communicatae sunt.

Varietas:

1. *Abdominis medio rufo; femoribus tibiisque nigris, rufo-variegatis.* f. — *Longitudo* 3½—4¼ linearum. *Pedes* coxis et trochanteribus nigris; femoribus anterioribus vel nigrofuscis, apicem versus testaceis aut rufis, vel testaceis, basin versus fuscis, posticis nigris, geniculo rufo aut testaceo; tibiis anticis testaceis, extrorsum

fuscescentibus, mediis vel sicut anticae, vel extrorsum nigrofuscis basi rufa, posticis nigris basi rufa; tarsis vel omnibus fuscis, vel anterioribus testaceis. *Abdomen* segmento 1 basi nigro aut fusco, apice rufo aut castaneo; 2 vel castaneo, basi nigra, vel rufo, punctis duobus nigris ad basin; sequentibus nigris. — Caetera feminae genuinae respondent.

Feminas duas *Besser* transmisit e *Volhynia.*

Nota:

De antennis et oris partibus *Nees ab Esenbeck* haec mecum communicavit:

Antennae porrectae filiformes tenues ciliatae, ciliis introrsum magis prominulis et longioribus, articulis ultra 30; radicula brevissima, non distinguenda; scapo et pedicello subaequalibus subglobosis, hoc paulo angustiori exserto; articulo 4 vix distinguendo, laevi, annuli impressi vestigio indicato; reliquis cylindricis, arcte contiguis, apicem versus parum decrescentibus; 5 et 6 vix longiori.

Clypeus brevissimus semicircularis, ab utroque oculo remotus, basi linea rectiuscula subpellucida discretus, hiatum inter mandibulas cum labro replens. — *Labrum* clypei latitudine, membranaceum subquadratum; margine antico ciliato rotundato, deflexum. — *Mandibulae* parvae rectiusculae conico-pyramidales, e basi lata apicem versus angustatae, compresso-triangulae, superficie exteriori sursum obliqua retusa carinata (unde angulus tertius), interiori basi concava, apice obtusiusculo integro. — *Maxillae*, longi-

tudine labii, idque amplectentes: *Stipes* compressus, facie infera cornea ovato-oblonga convexa laevi glabra, (a latere visus fere rectangulus apparet); *Mala* membranacea, stipite dimidio brevior bipartita, laciniis altitudine subaequalibus, exteriori triangula, angulo affixa, latero supero rotundato ciliato, interiori sursum replicata, basi lateribusque rectis, margine supero introrsum obliquo nudo. — *Palpi maxillares* mala triplo et ultro longiores, setacei refracti pubescentes quinquearticulati; articulo 1 obconico truncato; 2 latiori cultriformi compresso, introrsum in angulum obtusum prominente; 3, 4 et 5 tenuioribus, teretibus, 3 basin versus angustato, 4 cylindrico, 5 fusiformi praelongo; ratio longitudinis: 5. 3. 1/4. 2. — *Labium* maxillis basi brevius, apice eas aequans: *Mentum* corneum obovatum convexum laeve glabrum, apice utrinque denticulo parvo infra palpos, medio margine rotundato: *Lingua* membranacea ascendens, mento vix brevior, late triangula, apice truncato-excisa, laciniis sub-ovatis obtusis divergentibus deflexis nudis. — *Palpi labiales* lingua duplo longiores, filiformes reflexi crassiusculi hirti quadriarticulati; articulo 1 clavato truncato, apice crasso; 2 et 3 subtriangulis obconicisve, brevissimis truncatis; 4 longo, antrorsum conico, obtuso, prope basin incrassato, et in angulum obtusum fracto; ratio longitudinis: 4, 1, 2, 3.

10. X. IRRIGATOR.

Abdominis basi, femoribus tibiisque, castaneis, his nigromaculatis; stigmate dimidio albo. m. f. (*femina* antennis alboannulatis; aculeo abdomine breviore).

Statura et proportio partium speciei antecedentis; aculeo tamen breviore.

Longitudo maris 4—4¾, feminae 4—6 linearum. *Caput* plerisque labro testaceo, mandibulis basi castaneis. *Antennae* feminae articulis 11—16, aut plurimis eorum, albis; 1 rarissime subtus badio. *Thorax* postice spinis duabus brevibus armatus. *Alae* plus minus fumato-hyalinae, stigmate nigro aut fusco, basi albo, radio et squamula nigris aut fuscis, radice picea aut testacea. *Pedes* trochanteribus et coxis nigris, anterioribus interdum subtus castaneis; femoribus vel nigris, apice rufo aut ferrugineo, vel rufis, basin versus fuscescentibus, posticis interdum, rarius quoque anterioribus, fere totis nigris aut badiis, feminae rarissime omnibus totis rufis; tibiis rufis aut fusconigris, summa basi pallidioribus, anticis introrsum testaceis aut sordide albicantibus, posticis mari interdum fere totis nigrofuscis, basi sola rufa; tarsis fuscis, interdum rufescentibus, anterioribus mari interdum testaceis. *Abdomen* segmentis 1 et 2 castaneis, feminae rarius rufis aut lateribus nigris; 3 vel castaneo, margine nigro, vel nigro basi castanea, feminae rarius toto nigro aut toto

castaneo; reliquis nigris; 4—6 feminae ventre plus minus protuberantibus. *Aculeus* dimidio abdomine paulo longior, rarius eo paulo brevior, niger, terebra rufa.

Mares nonnullos et feminas *Rotermund* legit, mensibus Iunii et Octobris, in struibus lignorum prope *Vratislaviam*. Quaedam aliae feminae mecum communicatae sunt, circa *Berolinum, Halam Saxonum, Mückenhain, Trajectum ad Moenum* et in *Volhynia*, lectae; ipse unam cepi *Trajecti ad Viadrum*, in aede, mense Maji.

Synonyma:

Ichn. irrigator Fabr. Ent. Syst. II, p. 152, n. 79.
Bassus irrigator Fabr. Piez. p. 97, n. 15.
„ Gravenh. Addit. n. 10.

Nota:

De *Basso irrigatore* Grav. Uebers. conferas *Mesostenum transfugam*. *Ichn. irrigator* Panz. Faun. 71, tab. 16 nec ad hanc nec ad illam speciem adhiberi potest.

SECTIO III.

Abdomine albo-vario.

Abdomen vel nigrum est, vel basi lateribusve rufum, semper autem segmentis nonnullis latera versus albo-marginatis.

---

11. X. FERRUGATUS. n.

Abdomine basi rufo, segmentis 4—6 macula laterali alba; femoribus rufis; tibiarum posteriorum basi, tarsorum posticorum et antennarum annulo, orbitisque oculorum internis, albis. f.

Statura et proportio partium *X. pilicornis*, n. 9 fem. aculeo autem breviore.

Longitudo 4—5 linearum. *Caput* palpis et labro fusco-ferrugineis; orbitis oculorum internis vel totis vel tantum juxta antennas, punctoque ad orbitas externas, albis. *Antennae* articulis 12—17 albis. *Alae* subfumato-hyalinae, stigmate fusco, basi albo, radio fusco, radice piceo-straminea, squamula nigra. *Pedes* coxis et trochanteribus nigris, coxis posticis interdum superne rufis; femoribus anterioribus rufis basi nigra, posticis castaneis, basi apiceque nigris; tibiis anticis rufis, latere altero fuscis basi rufescente, mediis fuscis basi alba, posticis fuscis aut nigris basi alba; tarsis fuscis, posticis articulis 2—4 aut 3 et 4 albis. *Abdomen* segmento 1 rufo-castaneo, lineis duabus elevatis, ita sitis ut exacte figuram capitis anatis, superne visi, exhibeant, rostro apicem segmenti versus directo; 2 rufo-castaneo, arcubus duobus impressis, uti in *X. scabro*, n. 2; 3 vel toto nigro, vel fusco angulis baseos rufescentibus; sequentibus nigris aut fusco-nigris, 4—6 margi-

nibus lateralibus albis. *Aculeus* abdomine parum brevior, vaginis ciliatis.

Unam feminam, eamque majorem, coxis posticis supra rufis, tibiis posticis nigris basi alba, tarsorum posticorum articulis 3 et 4 albis, segmento tertio toto nigro, *Sahlberg* e *Fennia* transmisit; alteram, *austriacam*, sub nomine *Anomali ferrugati* Ziegleri, *Dahl* mecum communicavit.

12. X. PRAECATORIUS.

Abdomine thorace et facie albo-variegatis; pedibus rufis, tibiis basi albis; antennis albo-annulatis. f.

Statura et proportio partium *X. irrigatoris*, n. 10, feminae.

Longitudo 3½ — 5 linearum. *Caput* palpis pallidis; labro, orbitis oculorum internis, nonnunquam etiam parte externarum, macula faciei et lineola elata abbreviata longitudinali inter antennas, albis; plerumque macula laterali occipitis rufa aut castanea. *Antennae* articulo 1 subtus, 13—14—16 totis, albis. *Thorax* postice bispinus; punctis duobus ante collum, lineola sub alis, puncto laterali aut pectorali, macula laterali colli, sutura laterali inter prothoracem et metathoracem, punctisque duobus metathoracis supra coxas posticas, albis; interdum una alterave harum picturarum obsoleta, rarissime sola lineola infra alas et sutura laterali distinctis; lateribus thoracis inter-

dum plus minus colore castaneo rufove imbutis. *Scutellum* plerumque punctis duobus apicalibus albis. *Alae* hyalinae, stigmate fusco, basi albo, radio fusco, basin versus stramineo, radice et squamula stramineis, hac puncto albo. *Pedes* rufi; coxis et trochanteribus anterioribus pallidioribus aut flavo-maculatis, trochanteribus ut plurimum apice nigricantibus; femoribus posticis plerumque geniculo nigro; tibiis basi albis, ante basin fuscis, qui color tamen in anterioribus obsoletior est, posticis plerumque apice fuscescente. *Abdomen* segmento 1 puncto, lineis duabus elevatis, rarius margine summo albo; sequentibus latera versus albo-marginatis, ut plurimum etiam summis marginibus dorsalibus albidis, ultimis rarissime ventrem versus rufis. *Aculeus* dimidio abdomine paulo longior, niger, terebra rufa.

Plures feminae aestate circa *Vratislaviam*, in struibus lignorum, lectae sunt; aliasque accepi, circa *Berolinum*, *Norimbergam*, *Parisios* et in *Volhynia*, lectas.

Varietates:

1. *Capite thorace et abdomine rufo alboque variegatis*. f. — *Longitudo* 4—fere 5 linearum. *Picturae albae* capitis antennarum thoracis et abdominis ut in speciminibus genuinis variegatissimis; insuper autem: *Caput* interdum arcu faciali, convexitate os versus directa, seu faciei dimidia parte infera tota, alba, semper autem lateribus occipitis rufis aut castaneis: *Thorax* punctis

duobus ante collum nonnunquam in lineam excurrentibus, alas versus directam; lateribus prothoracis rufis, punctis aliquot lateralibus metathoracis, seu hujus lateribus totis, castaneis. *Scutellum* apice album. *Alae* et *pedes* speciei genuinae respondent; illae rarius stigmate et radio testaceis. *Abdomen* segmentis 4—7 aut 5—7 lateribus rufis, rarius quoque dorso obscuro-badio. *Aculeus* ut in femina genuina.

Feminae nonnullae, cum genuinis circa *Vratislaviam* captae, aliaeque, circa *Halam Saxonum* et *Warmbrunn* lectae, mecum communicatae sunt.

2. *Facie et scutello totis albis, thorace lateribus rufo.* f. — *Longitudo* 3⅕—4 linearum. *Caput* ore facie, orbitis oculorum internis et externis (nec vero verticalibus), lineolaque elata inter antennas, albis; genis rufis. *Antennae, thorax, alae* ut in varietate 1. *Pedes* fulvi; coxis anterioribus subtus albis; trochanteribus albis, apice summo nigro; caetera ut in specie genuina. *Abdomen* sicut in genuinis; segmento 1 angulis apicalibus distinctius aut obsoletius albis.

Tres feminae, circa *Genuam*, in *Regione Pedemontana* et in *Tauria* captae, ad me transmissae sunt.

Synonyma:

Ichn. praecatorius Fabr. Ent. Syst. II, p. 139, n. 27.

Ichn. praecatorius Thunberg Ichn., n. 46.
„ Gravenh. Additam., n. 11.
„ Latreille Crust. XIII, p. 179, n. 2.
Cryptus praecatorius Fabr. Piez. p. 72, n. 11.
Xorides praecatorius Lamarck pag. 135.

Nota:

Conferas notam ad *parvulum*, n. 4.

F A M I L I A II,

seu subgenus:

X O R I D E S.

Abdomine subpetiolato aut subsessili, laevi nitido; areola nulla; pedibus gracilibus; (aculeo longo).

Caput transversum breviusculum subglobosum, sed minus globosum quam in familia prima; facie os versus angustata. — *Oculi* ovales. — *Antennae* graciles, corpore breviores, porrectae, apice curvatae. — *Thorax* cylindricus. — *Scutellum* convexiusculum, rarius gibbulum (*X. albitarso*), triangulare apice obtuso. — *Alae* mediocres; areola nulla, cellulae interioris nervo inferiore exteriore anguloso, cum nervo inferiore cellulae exterioris, ad angulum cellulae radialis, contiguo. — *Pedes* graciles longi. — *Abdomen* subpetiolatum aut subsessile, convexum laeve nitidulum, thorace longius, at vix eo paulo angustius, oblongofusiforme; segmento quinto ventre prostante. Segmentum primum latitudine duplo longius, obsolete canaliculatum, apicem versus sensim dilatatum; tuberculis lateralibus paulo ultra medium, basin versus, sitis. — *Aculeus* circiter longitudine abdominis. — De *genitalibus masculis* conferre velis descriptionem Xoridae nitentis.

Relationum hujus subgeneris ad *Rhyssas, Tropistas* et *Xylonomos,* sub his jam mentio facta est. — Ab *Odontomeris* autem Xoridae differunt femoribus simplicibus; ab *Echthris* areola nulla, nervoque, qui cellulas duas cubitales sejungit, in punctum tendinosum contracto.

---

13. X. NITENS. n.

Pedibus rufis, posticorum tibiis tarsisque fuscis. m. f. (aculeo abdomine paulo breviore).

Longitudo maris 5—fere 12, feminae 5½—10 linearum. *Caput* palpis albidis, feminae piceis aut fuscis; orbitis oculorum internis albis. *Antennae* tenues subfiliformes, dimidio corpore paulo longiores, apice curvatae. *Thorax* cylindricus. *Alae* subhyalinae, stigmate et radio piceis aut fuscis, radice et squamula stramineis aut piceis albidisve. *Pedes* graciles elongati rufo-fulvi; antici plerumque coxis basi, rarius totis, nigris aut fuscis; postici trochanteribus tibiis et tarsis, nonnunquam etiam apice femorum, rarius horum latere altero toto, fuscis. *Abdomen maris* capite thoraceque plus duplo aut triplo longius, thorace angustius, gracile, aequilatum; segmento 1 apicem versus sensim perparum dilatato, latitudine triplo aut fere quadruplo longiore, laevi, obsolete canaliculato; segmento accessorio octavo, praecedentibus multo breviore, stylis duobus brevissimis, ex apice segmenti hiante exsertis, cylindricis, valvulisque duabus, infra stylos illos, his latioribus et paulo longioribus, intus concavis, extus convexis, inter quas membrum (*genitale masculum*) porrectum est lineare depressum, longitudine valvularum, testaceum subdiaphanum, linea media (canali?) longitudinali obscuriore; *feminae* capite

thoraceque longius, thorace paulo angustius, elongato-fusiforme; segmento 1 apicem versus sensim dilatato, latitudine duplo aut plus duplo longiore, subtiliter puncto; 3—7, rarius quoque 1 et 2, membrana sordide-alba obsoleta, inter juncturas segmentorum conspicua, marginem albidam mentiente; 6 ventre subprotuberante. *Aculeus* abdomine paulo brevior, niger, terebra castanea.

Multi mares nonnullaeque feminae, mensibus Iunii — Octobris, circa *Vratislaviam* ad strues lignorum lecti sunt. Praeterea mares accepi, circa *Berolinum*, nec non in *Carinthia* (unde *Dahl* unum misit sub nomine *Pimplae nitentis*) et in *Hungaria* lectos, feminasque, circa *Warmbrunn* et *Vindobonam* captas.

14. X. COLLARIS. n.

Colli lateribus albis; pedibus rufis, posticorum tibiis tarsisque nigris. m. f. (*mas* facie tota alba; *fem.* orbitis oculorum internis albis, aculeo abdomine paulo breviore).

Statura et proportio partium speciei antecedentis; vix abdomine et segmento primo paulo brevioribus.

Longitudo 6—8 linearum. *Caput maris* palpis facie et orbitis oculorum frontalibus albis, labro rufo; *feminae* palpis piceis, labro ferrugineo, orbitis oculorum internis, nonnunquam punctis duobus infra antennas, albis. *Antennae*

maris subtus articulo 1 albo, 2 et 3 ferrugineis; *feminae* interdum articulis 1—3 subtus ferrugineis. *Thorax* colli lateribus et sutura laterali inter prothoracem et metathoracem albis, feminae rarius substramineo-piceis; collo interdum subtus castaneo aut (in mare maximo) albo. *Alae* subfumato-hyalinae, radio et stigmate testaceis, radice et squamula albido-flavis. *Pedes* rufi; anteriores latere infero coxarum et trochanterum mari semper, feminae rarissime, pallide-flavo; postici tarsis tibiisque fuscis aut nigris, his basi ferrugineis, geniculo femorum plerisque nigro, feminae interdum femoribus apicem versus fusco-nigris. *Aculeus* abdomine paulo brevior.

Nonnulli mares et feminae circa *Vratislaviam*, cum specie antecedente, lecti sunt; feminam vero etiam accepi, prope *Parmam* captam.

15. X. ALBITARSUS. n.

Pedibus rufis, anticis subtus albidis, posticorum tibiis nigricantibus tarsis albidis; antennis albo-annulatis. f. (aculeo longitudine dimidii abdominis).

Statura et proportio specierum duarum antecedentium feminarum; segmento 1 autem paulo longiore, nervo, qui cellulam externam ab interna sejungit, longiore.

Longitudo 6 linearum. *Caput* palpis et orbitis oculorum faciei tenerrimis, stramineis. *An-*

tennae dimidio corpore longiores, filiformes; articulis 2—6 subtus stramineis, sensim obscurioribus; 12 et 16 subtus, 13—15 totis, sordide albis. *Thorax* cylindricus. *Alae* fumato-hyalinae, stigmate et radio nigris, radice et squamula albido-stramineis. *Pedes* rufi; antici trochanteribus femoribus tibiisque subtus stramineo-albidis; medii geniculo et tibiarum latere interno stramineo-albidis; postici apice trochanterum tibiisque nigro-fuscis, his basi summa sordide-albida, tarsis fuscis, articulo 1 apice, 2—4 totis, stramineo-albis. *Abdomen* capite thoraceque longius, thoracis latitudine, segmentis 1—5 sensim paulo latioribus et brevioribus; 1 latitudine triplo longiore, subtiliter puncto, subcanaliculato, 2—5 subtilissime punctis, 6 et 7 nitidioribus, 4—6 margine summo dorsali albicante, 6 ventre subproducto. *Aculeus* dimidio abdomine vix paululum longior, terebra rufa.

Unicam feminam cepi circa *Vratislaviam.*

FAMILIA III,

seu subgenus:

ODONTOMERUS,

a verbis ὀδὸς, dens, et μηρὸς, femur — femoribus posticis dentatis instructus.

Abdomine petiolato clavato; areola nulla; femoribus posticis crassis compressis dentatis; (aculeo longo).

Caput breviusculum transversum subglobosum. — *Oculi* ovales prominuli. — *Antennae* graciles porrectae, apice subcurvatae. — *Partes oris* sub O. dentipede descriptae sunt. — *Thorax* cylindricus. — *Scutellum* depressiusculum, rarius convexum (*O. spinipedi*), triangulare apice obtuso. — *Alae* mediocres, cellulis ut in familia secunda. — *Pedes* anteriores mediocres; postici femoribus crassis subcompressis, infra dentatis. — *Abdomen* petiolatum convexum laeve; maribus clavato-pyriforme, feminis ovato-pyriforme; thoracis latitudine, feminis quoque longitudine thoracis, maribus thorace longius. Segmentum primum petiolo lineari aut sublineari, parte antica longitudine petioli, sed paulo latiore quam hic, apicem versus sensim dilatata. — *Aculeus* exsertus, abdomine longior.

De analogia inter *Odontomeros* et *Pachymeros*, *Porizones*, *Xylonomos*, *Xoridas*que, haec subgenera conferre velis. — *Echthri*, pedibus posticis simplicibus, etc. satis differunt.

---

16. O. APPENDICULATUS. n.

Segmento primo apice utrinque appendiculato, pedibus rufis, femoribus posticis dente armatis. f. (aculeo corpore fere duplo longiore).

Statura et proportio partium feminae sequentis; differt autem segmento 1 appendiculato, thorace angustiore et magis cylindrico, femoribus crassioribus, aculeo longiore.

Longitudo 4½ linearum. *Caput* palpis fuscis. *Antennae* (apice mutilatae) ferrugineae, supra fuscae, articulis 1 et 2 totis nigris. *Thorax* cylindricus, postice vix bituberculatus. *Alae* mediocres fumato-hyalinae, stigmate et radio fuscis, radice straminea, squamula ferruginea basi nigra. *Pedes* rufi, crassiores quam in specie sequente; femoribus posticis ovalibus, subtus sicut in specie sequente dentatis; coxis fusco-nigris, anterioribus subtus rufis. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine; segmento 1 latitudine plus triplo longiore, apicem versus sensim dilatato, puncto, subcanaliculato, ante apicem utrinque lamina parva semiorbitali, superne concava, aucto; 2 puncto; reliquis nitidioribus. *Aculeus* corpore fere duplo longior.

Feminam unicam *Sahlberg* transmisit e *Fennia.*

17. O. DENTIPES.

Pedibus rufis, femoribus posticis dente armatis. m. f. (aculeo abdomine longiore).

Longitudo maris 2—4, feminae 2⅕—7¼ linearum. *Caput* palpis pallidis aut fuscis, labro interdum rufo aut obscuro-ferrugineo. *Antennae* subsetaceae, dimidio corpore longiores, interdum fere longitudine corporis, apice curvatae, individuis majoribus totae nigrae, minoribus subtus articulis 2 et 3, rarius quoque 1, stramineis aut ferrugineis, sequentibus vel ferrugineis vel sensim obscurioribus. *Thorax* cylindricus, dorso prothoracis puncto, metathorace tuberculis duobus acutis aut obtusiusculis. *Alae* subfumato-hyalinae, stigmate et radio fuscis, rarius piceis, radice straminea aut ferruginea, squamula vel nigra vel fusca vel straminea. *Pedes* rufi aut rufo-fulvi, mediocres; femoribus compressiusculis, posticis crassioribus elongato-ovalibus, margine infero dente valido, apice subcurvato, geniculum versus directo, armatis, inter dentem et basin nonnunquam subtilissime ciliatis, mediis individuorum minorum saepe fuscis; interdum trochanteribus et coxis posticis, rarius quoque anterioribus, nigrofuscis, trochanteribus apice rufo; tibiis mediis feminae ante apicem subcurvatis; tarsis posticis interdum fuscis. *Abdomen maris* capitis thoracisque longitudine seu paulo longius, interdum thorace duplo longius, thoracis latitudine, raro paulo

angustius, petiolatum, elongato-clavatum seu clavato-pyriforme; *feminae* capitis thoracisque longitudine seu paulo longius, thoracis latitudine, ovatum seu oblongoovatum, rarius segmentis 2—5 subaequilatis; nigrum aut nigrofuscum, nonnunquam piceum; segmento 1 nigro, apice plerumque fusco rarius rufo, mari canaliculato longo sublineari, apicem versus sensim paulo dilatato, feminae breviore et apicem versus magis dilatato, proportione tamen variabili, minoribus laevi, majoribus scabro canaliculato, tuberculis lateralibus inter medium et basin sitis, interdum protuberantibus; 2 et 3 interdum piceofuscis. *Aculeus* corporis longitudine aut longior, interdum tantum abdomine paulo longior, rarissime abdomine paulo brevior, niger, terebra rufa.

Mares et feminas accepi, circa *Berolinum Warmbrunn Niesky* et in *Volhynia* lectos. Marem cepi, mense Iunii prope *Oedelem;* pluresque, circa *Gottingam, Hannoveram, Parisios* et in *Tauria*, lecti, mecum communicati sunt. Feminae quoque mihi missae sunt, circa *Trajectum ad Moenum*, nec non in *Fennia Hungaria* et in *Regione pedemontana* lectae; unam ipse cepi, mense Iunii, ad struem lignorum, prope *Vratislaviam*, alteram, mense Augusto, prope *Salzbrunn.*

Varietates:

1. *Pedum posticorum coxis tibiis et tarsis nigris.* m. f.

Longitudo 4—6 linearum. *Caput* palpis interdum ferrugineis. *Antennae* totae nigrae. *Alae* fumato-hyalinae, stigmate radio et squamula nigris, radice straminea. *Pedes* anteriores rufi aut fulvi, vel solis coxis mediis basi nigris, vel coxis anterioribus totis nigris; postici coxis nigris, trochanteribus rufis, rarius fuscis, femoribus rufis, interdum medio fuscis, tibiis vel nigris, subtus ferrugineis, vel fuscescentibus, subtus rufis, tarsis fuscis. *Abdomen* thorace duplo longius, seu capite thoraceque paulo longius, parumque angustius, elongatoclavatum, nigrum.

Par hujus varietatis, circa *Aboam* captum, *Sahlberg* mecum communicavit; ipse duos mares cepi, mense Iunii, in strue lignorum prope *Vratislaviam;* unum *Nees ab Esenbeck* misit, circa *Sickershausen* in fruticetis captum, eumque minimum, tibiis posticis fuscescentibus; mas Aboensis, abdomine breviore, coxis anterioribus totis nigris, femoribus posticis medio fuscis, distinctus est.

2. *Pedibus nigris.* f. — *Longitudo* 5½ linearum. *Caput* et *antennae* totae nigrae. *Alae* stigmate radio et squamula nigris, radice ferruginea. *Pedes* anteriores femoribus tibiisque badiis, illis basin versus nigris, tibiis mediis apice nigricante; postici femoribus introrsum badiis. *Aculeus* corpore paulo longior.

Feminam unicam *Comes de Küenburg* ex *Hungaria* ad me transmisit.

Synonyma maris:

Ichn. Geoffroy p. 326, n. 12.
Ichn. ruspator Fourcroy p. 397, n. 12.
Ichn. dentipes Gmel. ed. Linn. p. 2719, n. 384.

Synonyma feminae:

Anomalon ruspator Jurine p. 116.

Nota:

De *Ichneumone ruspatore* Linnei Fabricii Villersii Olivieri Christii Gmelinii et Schrankii persuasum me habeo, eum ad hanc speciem nostram haud adhiberi posse. Auctores illi ruspatorem descripserunt abdomine cylindrico aut subcylindrico, quod cum nostro haud convenit. Est vero species quaedam, abdomine subsessili, femoribus posticis dentatis, ob alarum cellulas tamen Braconibus Jurineis adnumeranda, quae cum descriptionibus ruspatoris apud auctores modo nominatos melius congruit quam haec nostra species. Braconi illi respondet quoque *Cryptus ruspator* Fabricii Piez. p. 88, n. 77 et Gravenh. Uebers. n. 3763. *Ichn. ruspator* Schrankii, in Fauna Austriaca, n. 722, descriptus, a nostro Odontomero differt imprimis segmentis abdominis haud ultra quatuor (ultimis forsan retractis?), quorum primum et pars secundi testacea sunt, femoribus posticis tridentatis.

De antennis et oris partibus hujus speciei *Nees ab Esenbeck* has mecum communicavit observationes:

Antennae filiformi-setaceae, 40-articulatae; scapo subcylindrico, apice recto vix excavato; pedicello obconico exserto; articulo accessorio parvo annuliformi angustiori, reliquis articulis cunctis cylindricis contiguis, anterioribus paulo longioribus et basin versus subangustatis, extremo conico-acuto.

Clypeus brevis semicircularis, superne linea impressa rectiuscula discretus, ab utroque oculo remotus, planiusculus laevis pubescens. — *Labrum* membranaceum, hiatum inter mandibulas replens, deflexum, obtuse-conicum ciliatum. — *Mandibulae* breves infirmae, compresso-triquetrae, basi dilatatae, facie exteriori plana pubescente rugulosa, supera angusta canaliculata, interiori ampla, oblique acuteque carinata, apice angusto bifido, dentibus tenuibus rectiusculis acutis subinaequalibus, supero paulo majore. — *Maxillae* longitudine labii, idque arcte amplectentes: *Stipes* a latere compressus, facie infera cornea subrectangula, apice obliqua, planiuscula laevi, carina ciliata: *Mala* stipite dimidio brevior, membranacea bifida, laciniis altitudine subaequalibus, interiori subtriangulari, lobo interiori productiori ascendente, exteriori obovato-subrotunda, margine supero extrorsum parum obliquo ciliato, infero recto; ubi laciniae basi junguntur, appendicem subtus adpressam, dentiformem acuminatam barbatam observavi, quem nusquam alibi vidi. — *Palpi maxillares* mala triplo longiores, recurvi setacei pilosi quinquearticulati, articulo 1 clavato

truncato, 2 subcultrato compressiusculo, parum latiore, reliquis cylindricis elongatis, 3 paulo crassiori, basi parum angustato, ultimo obtuso; ratio longitudinis: 4, $\frac{2}{5}$, $\frac{1}{2}$. — *Labium: Mentum* corneum obconicum compressum convexum laeve, dorso ciliatum, margine supero rotundato integro: *Lingua* longitudine tertiae partis menti, membranacea ascendens subquadrata, lateribus deflexis, apice truncata, nec emarginata, nuda, angulis obtusis. — *Palpi labiales* lingua plus duplo longiores, recurvi filiformes crassiusculi pilosi quadriarticulati, articulis 1—3 obconicis, longitudine decrescentibus, crassitie subaequalibus, 4 tenuiori, longitudine duorum praecedentium, subcylindrico, basi et apicem versus paulo attenuato obtuso.

18. X. SPINIPES. n.

Femoribus tibiisque anterioribus pro parte ferrugineis; femoribus posticis dente armatis. f. (aculeo abdomine paulo longiore).

Statura brevior et crassior quam in femina antecedente; an ejus varietas?

Longitudo paulo ultra 4 lineas. *Alae* fumato-hyalinae, stigmate radio et squamula nigris, radice ferruginea. *Pedes* nigro-fusci; antici apice coxarum trochanterum et femorum tibiisque ferrugi-

neis, his ante basin fuscis; medii apice summo coxarum trochanterum et femorum, nec non latere interno tibiarum, ferrugineis. *Aculeus* abdomine paulo longior.

Feminam unicam *Manger* cepit circa *Warmbrunn.*

FAMILIA IV,

seu subgenus:

ECHTHRUS,

a verbo ἐχθρὸς, inimicus — quia erucis inimicus est.

Abdomine subpetiolato aut subsessili; areola quinqueangulari, rarissime nulla; pedibus mediocribus aut longis; (aculeo longo).

Caput subcubicum, angulis obtusis. — *Oculi* ovales prominuli. — *Antennae* mediocres aut graciles, porrectae aut subcurvatae. — *Thorax* subcylindricus aut gibbulus. — *Scutellum* convexiusculum, triangulare apice obtuso. — *Alae* subamplae; areola quinqueangulari, rarius (*E. armato*) omnino deficiente. — *Pedes* mediocres aut subgraciles, postici elongati. — *Abdomen* subpetiolatum aut subsessile, convexum; maribus subaequilatum, thorace angustius, eoque duplo longius; feminis brevius, latitudine thoracis, oblongoovatum. Segmentum primum sequentibus angustius, canaliculatum; petiolo crassiusculo, basin versus sensim subangustato; parte antica latitudine longiore, maribus aequilata, feminis apicem versus sensim dilatata, paulo latiore paululumque longiore quam petiolus. — *Aculeus* fere longitudine corporis.

De relationibus inter hoc subgenus et *Nematopodios Cryptosque,* hos conferas. A familiis tribus antecedentibus *Xoridarum* haec differt areola quinqueangulari, aut, si haec deest, nervis inferioribus cellularum duarum cubitalium haud ad angulum cellulae radialis contiguis, sed cellulis istis, uti in longe plurimis Ichneumonidibus genuinis, nervo, qui ab angulo cellulae radialis recurrit, disjunctis.

---

19. E. RELUCTATOR.

Abdominis medio, tibiis anterioribus, femoribusque, rufis; antennis albo-annulatis. m. f.

Longitudo maris 6 — 7¾, feminae 5 — 7¼ linearum. *Antennae* graciles filiformes, porrectae aut subcurvatae, dimidio corpore longiores; *mari* articulis 11 — 16 albis aut dilute-fulvis, interdum 11 basi, 16 apice, nigris; *feminae* articulis 7 — 10 — 11 albis, interdum 6 aut 7 et 10 aut 11 supra albis subtus fuscis. *Thorax* gibbo-cylindricus aut gibbulus. — *Alae* mediocres fumato-hyalinae; stigmate radio radice et squamula fusco-nigris; areola quinqueangulari regulari, cellula interiore vestigio nervi dividentis. *Pedes* elongati subgraciles rufi, trochanteribus et coxis nigris; tibiis tarsisque posterioribus nigris aut fuscis; tibiis mediis ut plurimum subtus badiis, rarius totis rufis, anticis feminae pallidioribus brevioribus et crassioribus quam mari. *Abdomen maris* capite thoraceque duplo longius, thorace angustius, subsessile aequilatum, segmento 1 basin versus sensim paulo angustato, lineis duabus elevatis, petiolo brevi latiusculo, paulo angustiore et dimidio breviore quam pars antica, quae latitudine duplo longior et aequilata est; *feminae* capite thoraceque paulo longius, seu eorum longitudine, thoracis latitudine, oblongo-ovatum, segmento 1 apicem versus sensim dilatato, latitudine fere triplo longiore,

petiolo circiter longitudine partis anticae; segmentis 2 et 3 rufis aut castaneis, 4 vel toto rufo, vel margine nigricante, rarius toto nigro, sequentibus nigris, interdum margine castaneo obsoleto, 5 rarius toto castaneo; 1 feminae interdum parte antica rufescente aut castanea; ventre segmentis 5—8 (8 nempe accessorio) feminae rima longitudinali canaliculatis, pro receptione appendicis reflexae, cujus apici terebra affixa est, quemadmodum in Ophionum familia nona. *Aculeus* vaginis nigris, circiter longitudine corporis; terebra rufa compressa, canali medio longitudinali obscuriore interno translucente.

Marem unum *Roentgen* cepit circa *Niesky*; alterum, eumque minimum, segmento 4 toto nigro, ipse cepi circa *Vratislaviam*. Feminas plures vidi in museo *Comitis de Hoffmannsegg*; unam, circa *Dresdam* captam, *Baro de Block* mecum communicavit; duas alias, in *Volhynia* captas, quarum una omnium minima, altera, mediae magnitudinis, segmento 5 toto castaneo distincta est, *Besser* ad me transmisit.

Varietas:

1. *Femoribus posterioribus aut posticis nigris.* f. — *Longitudo* 7—8 linearum. *Pedes* coxis et trochanteribus nigris; femoribus anticis vel totis rufis, vel basin versus nigris, mediis vel rufis basi nigra, vel nigris apice rufo, posticis vel totis nigris vel apice et basi rufis; tibiis et tarsis ut in specie genuina. *Abdomen* segmen-

12. ICHN. Frischii II, p. 10.

Abdomine luteo; apice nigro.

Longitudo 9 linearum. *Antennae* curvatae, 42-articulatae, articulis 8—11 flavo-albidis. *Thorax* gibbulus. *Alae* stigmate brunneo, areola quinqueangulari. *Pedes* mediocres, tibiis posticis interdum subflavescentibus. *Abdomen* petiolatum oblongo-ovatum, capite thoraceque longius, petiolo curvato.

Ichn. Frisch II, p. 10, tab. I, fig. IX, X, XI.

Nota:

Haec species verus *Ichn.* est et *Ichn. pisorio,* affinibusque ejus, cognata esse videtur.

13. ICHN. VARIUS. Pontopp.

Thorace maculato; abdomine ferrugineo, apice nigro; pedibus rufescentibus, tibiis posticis annulo exalbido.

Antennae annulo albo. *Scutellum* album.

Ichn. varius Pontopp. p. 457, n. 5.
Ichn. variatorius Müll. Prodr., n. 1761.

Nota:

Hanc speciem, nisi tibiae posticae alboannulatae essent, ad *Ichn. sedulum* adhiberem.

De *Ichn. vario* auct. nec non de *Crypto variatorio* Fabr. conferre velis *Pimplam flavicantem*.

---

4. ABDOMINE PALLIDE FASCIATO AUT CINGULATO AUT PUNCTATO.

14. ICHN. INFRACTORIUS. F.

Thorace maculato; pedibus flavis, femoribus nigris, segmentis margine flavis.

Descriptio, secundum Rossium et Fabricium, haec est: *Longitudo* 6 linearum (R.). *Antennae* convolutae, annulo albo, (articulo primo subtus flavo F.). *Thorax* lineola antica, puncto sub alis, scutelloque albis (F.). *Pedes* flavi, femoribus nigris. *Abdomen* fasciis quinque flavis.

Habitat ruri (R.)

Ichn. infractorius Gmel. ed. L. p. 2676, n. 7.
„ Rossi, n. 744.
„ Fabr. Ent. Syst. p. 138, n. 25. — Piez. pag. 58, n. 21.
„ Walckenaer p. 51, n. 11.

Nota:

De *Ichn. infractorio* reliquorum auctorum conferas nostrum *Ichn. infractorium* et *Mesoleptum larvatorem.*

15. ICHN. ARTICULATUS Fourcr.

Thorace maculato; pedibus rufis, geniculis albis; marginibus segmentorum latera versus albidis. f.

Longitudo 4 linearum. *Antennae* longitudine dimidii corporis, annulo medio albo. *Thorax* punctis 4 aut 5 lateralibus albis. *Scutellum* album. *Pedes* rufi, punctis quibusdam baseos (coxarum?) genubusque albis. *Abdomen* marginibus segmentorum latera versus subalbidis. *Aculeus* abdomine paulo brevior.

Habitat circa Parisios.

Ichn. Geoffroi p. 340, n. 45.
Ichn. articulatus Fourcr. p. 408, n. 46.
Ichn. falsatorius Oliv. p. 169, n. 27.
„ Walckenaer p. 52, n. 19.

Nota:

An noster *Xylonomus praecatorius?* sed caput totum nigrum esse videtur.

16. ICHN. TYRANNUS. Schrank.

Pedibus testaceis; segmentis 3—7 apicibus albis.

Similis *Ichn. infractorio. Longitudo* 4½ linearum. *Caput* ore pallido, orbitis oculorum internis albis. *Antennae* longitudine 2 linearum, albo-annulatae. *Thorax* lineola infra alas, punctisque duobus scutellaribus albis. *Alae* stigmate nigro macula alba. *Pedes* rufi, genubus omnibus albis; femorum posticorum apophysibus (coxis) mobilibus clavatis, utrinque linea insculpta. *Abdomen* lanceolatum, parte tenuiore thoracem spectante. *Aculeus* longitudine 1½ linearum.

Ichn. tyrannus Schrank Austr., n. 701; habitat *Viennae*, lectus die 23 Maji.
„ Villers p. 141, n. 18; habitat in *Gallia* australi.
„ Gmel. ed. Linn. p. 2677, n. 87.

17. ICHN. INTERRUPTORIUS. Fabr.

Thorace maculato, pedibus rufis; segmentis 1 et 2 fascia interrupta, reliquis margine flavis.

Statura omnino et summa affinitas *Ichn. natatorii. Antennae* nigrae, fascia lata alba. *Caput* orbitis oculorum albis. *Thorax* niger, punctis

tribus ante alas scutelloque albis. *Pedes* rufi, femoribus in medio atris. *Abdomen* ovatum atrum; segmento 1 fascia media subinterrupta, 2 fascia baseos interrupta, reliquis margine flavis.

Habitat in Austria.

Ichn. interruptorius Fabr. Piez. p. 57, n. 17.

Nota:

Conferre velis notam ad nostrum *Ichn. monitorium.*

18. ICHN. OBSOLETORIUS. Fabr.

Thorace maculato, tibiis basi albis; segmentis 2 et 3 utrinque macula obsoleta rufa (albida).

Descriptio, secundum Fabricium et Trentepohlium, haec est; *Statura* omnino *Ichn. molitorii*, at distinctus videtur. *Longitudo* 8¼ linearum; latitudo 12 linearum. *Caput* palpis albidis, mandibulis puncto medio ferrugineo. *Thorax* puncto ante alas scutelloque albis. *Alae* fumato-hyalinae, stigmate nervisque omnibus nigris, squamula alba. *Pedes* coxis puncto supra albido (T.?); femoribus anticis albidis basi nigra, mediis nigris apice albo, posticis totis nigris; tibiis omnibus albis, apice nigris; tarsis anterioribus, exceptis primis anticorum articulis, nigro-fuscis, posticis totis nigris. *Abdomen* petiolatum nigrum nitidum; seg-

mentis 2 et 3 utrinque macula magna, at obsoleta, ferruginea (paululum fuscioribus, in medio utrinque macula laterali obsoleta albida, T.); ventre nigro nitido, primis segmentis paululum fuscis.

Habitat Kiliae.

Ichn. obsoletorius Fabr. Ent. p. 140, n. 29. — Piez. p. 59, n. 24.
„ Trentep. in Isidis 1826 p. 78, n. 22.

Nota:

De sexu hujus Ichneumonis incertus sum; Trentepohl enim in diagnosi signum sexus feminini adposuit, in fine descriptionis autem dixit, individuum unicum in museo Fabriciano marem esse. De antennis Fabricius omnino tacet, Trentepohl autem dicit, eas deesse. Iurine, pag. 108, Ichn. obsoletorium Fabr. (si quidem verum obsol. Fabr. ante oculos habuit) in seriem marium collocavit.

Ichn. obsoletorius Panzeri huc non spectat, de quo conferre velis Panz. Revis. II, p. 60, et notam ad nostrum *Ichn. saturatorium.*

19. ICHN. CENTUMMACULATUS. Chr.

Capite, thorace, pedibus, abdomineque flavo-maculatis.

Longitudo 10 linearum. *Caput* orbitis oculorum et clypeo (facie?) flavis. *Antennae* apice

curvatae, articulis 7—14 flavis. *Thorax* lineis duabus dorsalibus, maculis 2 infra alas, 4 pone alas, 10 pectoralibus, 1 infra scutellum, flavis. *Scutellum* flavum. *Alae* hyalinae, apice subfumatae, stigmate nigro. *Pedes* flavomaculati (secundum iconem fulvi, basi coxarum femorum et tibiarum nigra). *Abdomen* petiolatum oblongoovatum, thoracis latitudine, capite thoraceque paulo longius; segmentis singulis punctis duobus flavis, apicem abdominis versus sensim minoribus.

Ichn. centummaculatus Christ. p. 345, tab. 34, fig. 7.

Nota:

Hic Ichneumon femina esse videtur nostri *Ichn. multiguttati.*

20. ICHN. PURGATORIUS. Müll.

Antennis fascia annulatis, scutello flavicante, thorace immaculato, pedibus abdomineque ferrugineis, segmentis mediis basi nigris.

Ichn. purgatorius Müll. Prodr., n. 1772.

21. I. LEUCOMELAS. Ström.

Corpore pedibusque albomaculatis.

Maximus. Similis *persuasorio* (?). *Caput* orbitis oculorum albis. *Antennae* annulo albo.

Thorax lineis duabus (dorsalibus?), 2 lateralibus, 2 ad radicem alarum, maculisque duabus infra scutellum, albis. *Scutellum* album. *Pedes* nigri, maculis et annulis albis. *Abdomen* maculis quinque lateralibus albis, apicem versus decrescentibus, petiolo et segmentis duobus ultimis immaculatis.

Ichn. leucomelas Stroem in Norske Selsk. Skr. IV, p. 350, n. 66.
Ichn. albatorius Müll. Prodr., n. 1760.

Nota:

Hic Ichneumon, licet Stroem eum cum *Ichn. (Pimpla) persuasorio* comparaverit, tamen, ob abdominis petiolum et antennas alboannulatas, verus *Ichneumon* esse videtur, forsan affinis *Ichn. centummaculato* Christii, (n. 19).

Huc autem nec spectat *Ichn. leucomelas* Gmel., qui est noster Ichn. leucomelas, nec *Ichn. albatorius* Thunb. De Ichn. albatorio reliquorum auctorum conferre velis nostrum *Cryptum albatorium.*

22. I. VARIEGATORIUS. Panz.

Capite thorace pedibusque flavo-maculatis; segmentis 1 et 2 punctis duobus flavis.

Longitudo 6 linearum. *Caput* orbitis oculorum internis, puncto utrinque pone oculos, macu-

lisque duabus clypei, flavis. *Antennae* corpore paulo breviores, apice curvatae; annulo medio flavo, articulo primo subtus flavo. *Thorax* margine supero colli, linea ante alas, punctoque infra alas, flavis, *Scutellum* flavum. *Alae* fuscohyalinae, stigmate fulvo, radio fusco, radice et squamula flavis, areola quinqueangulari. *Pedes* flavi; femoribus posterioribus nigris apice flavo, anticis flavis basi nigra (in icone trochanteres posteriores nigri, antici et coxae anteriores absconditi sunt). *Abdomen* oblongo-ovatum petiolatum, capitis thoracisque longitudine et latitudine, nigrum nitidum; segmento primo apice punctis duobus contiguis dorsalibus, secundo totidem marginalibus majoribus, flavis; ventre flavo.

Habitat Norimbergae in floribus.

Ichn. variegatorius Panz. Faun. fasc. 73, tab. 11.

Nota:

Verus *Ichneumon* est, de quo conferas notam ad nostrum *Ichn. natatorium.*

23. I. NOTATORIUS. Panz.

Capite, prothorace, metathorace, pedibusque flavo-maculatis; segmentis tribus primis utrinque puncto flavo.

Habitus statura et magnitudo *Ichn. sugillatorii* Fabr. *Longitudo* 6½ linearum. *Caput* nigrum

pubescens, mandibulis fuscis; labio (clypeo) flavo, utrinque puncto parvo nigro, orbitis oculorum facieque flavis, hac lineola media fusca. *Antennae* dimidio corpore paulo longiores, fascia media (in icone articulis 12—18), articuloque primo subtus, flavis. *Thorax* margine supero colli, linea ante alas, puncto infra alas, lineola sub scutello, maculisque duabus metathoracis, flavis; metathorace subbispinoso. *Scutellum* flavum. *Alae* irideae, flavescenti-hyalinae, (stigmate radio radice et squamula, in icone, flavis); areola quinqueangulari. *Pedes* flavi; femoribus anterioribus basi nigris, posticis medio fascia nigra, (in icone quoque summa basis tibiarum nigra est). *Abdomen* oblongo-ovatum petiolatum, thoracis latitudine, eo autem fere duplo longius, glabrum, parum nitidum; segmento primo punctis duobus apicalibus valde contiguis, secundo et tertio maculis duabus (marginalibus transversalibus) remotioribus, flavis.

Habitat Norimbergae.

Ichn. notatorius Panz. Faun. fasc. 80, tab. 9.

Nota:

De hac specie conferas quae sub *Ichn. quadrimaculato* et *natatorio,* nec non sub *Bancho falcatore* monui.

---

5. ABDOMINE APICE SOLO PALLIDIORE.

Mas *Ichn. inflammatorii* (n. 24), abdomine fulvo, apice nigro subtus vix conspicue albo, vel ad divisionem 3 vel ad divisionem 6 referri posset.

24. I. INFLAMMATORIUS. Vill.

Niger; thorace rubro; abdomine fulvo, apice mari nigro feminae albo.

Magnitudo media. *Antennae* nigrae, albo-annulatae. *Thorax* ruber, postice (metathorace) niger. *Abdomen* fulvum, feminae apice albo, mari apice nigro subtus vix conspicue albo. *Aculeus* brevissimus.

Ichn. inflammatorius Villers p. 143, n. 27; *habitat* in Bressiae sylvis.
„ Oliv. p. 168, n. 22; *habitat* circa Lugdunum in sylvis.

25. I. ATRATORIUS. Fabr.

Pedibus rufis; segmentis tribus ultimis margine albis. f.

Descriptio hujus speciei e Fabricii Entomologia et e Trentepohlii Revisione desumitur:

Statura et magnitudo omnino *Ichn. quaesitorii.* (Haec species sane *Ichn. glaucatorio* admodum af-

finis est, ut Fabricius in Ent. Syst. pag. 136, n. 16 dicit, sed illo paululum major et multis aliis punctis quoque diversa. T.). *Longitudo* 7 linearum. *Caput* atrum; orbitis oculorum internis flavicantibus angustissimis. *Antennae* curvatae nigrae, fascia media lata alba. *Thorax* immaculatus. *Scutellum* album. *Alae* fumato-hyalinae, stigmate ferrugineo, radio nervisque fuscis, radice flava. *Pedes* rufi, coxis et trochanteribus nigris; tibiis posticis apice, tarsisque posticis totis, fuscis. *Abdomen* petiolatum, atrum; segmentis tribus ultimis (quatuor ultimis T.) margine toto albis; ventre nigro-fusco.

Habitat in Germania.

Ichn. atratorius Fabr. Ent. p. 134, n. 8. — Piez. p. 56, n. 10.
„ Trentep. in Iside 1826 p. 76.

Nota:

Confer notam ad nostrum *Ichn. saturatorium.*

25.[b] I. SIGNATORIUS. Fabr.

Thorace rufo; ano niveo.

Statura parva *Ichn. nutatorii.* *Caput* atrum immaculatum. *Antennae* porrectae nigrae, annulo albo. *Thorax* rufus, antice lineolis tribus abbreviatis impressis; puncto albo ante alas; fascia postica nigra pone alas, et in hac scutellum album.

Pedes nigri. *Abdomen* nitidum atrum, ano toto niveo. *Aculeus* exsertus brevis ater.

Habitat in Germania.

Ichn. signatorius Fabr. Ent. p. 135, n. 14.
Cryptus signatorius Fabr. Piez. p. 71, n. 6.

Nota:

De *Ichn. signatorio* Oliv. vide nostrum *Ichn. quadrimaculatum.*

26. I. VITTATORIUS. Iur.

Alis anticis macula centrali fusca, segmento septimo albicante. f.

Longitudo 5 linearum. *Antennae* corpore paulo breviores, apice arcuatae, articulis 7—10 flavis. *Thorax* gibbus, punctis duobus in supero margine colli, duobusque scutellaribus, flavis. *Alae* hyalinae, fascia media lata fusca, stigmate nigro, radice flavescente; areola quinqueangulari. *Pedes* subgraciles nigri; postici tarsis et tibiarum basi subflavicantibus. *Abdomen* oblongoovatum petiolatum, latitudine thoracis, hoc autem longius. *Aculeus* dimidio abdomine brevior.

Ichn. vittatorius Iurine tab. 8.

Nota:

Haec species *Cryptis* respondet.

27. ICHN. De Geeri t. 23, fig. 16.

Pedibus fulvis; facie, punctis thoracis, apiceque abdominis, albidis.

Longitudo 9 linearum. *Caput* facie albido-flavescente. *Antennae* fere longitudine corporis, porrectae, in medio articulis septem tribus lateribus flavo-albis. *Thorax* punctis tribus lateralibus scutelloque flavis. *Alae* fumato-hyalinae nervis nigris. *Pedes* flavo-fulvi; coxis anterioribus nigro-variis, posticis totis nigris. *Abdomen* subdepressum, oblongo-ovatum petiolatum, capite thoraceque paulo longius, puncto parvo apicali flavo.

Larva degit solitaria in larvis *Bombycis Vinulae.*

Ichn. Degeer I, p. 332 et 580, tab. 23 fig. 16.

Nota:

Retz pag. 68, n. 267 interrogat, an hic Ichneumon forsan mas sit Ichneumonis Degeeri II, p. 845, qui vero satis differt et ad nostram Pimplam instigatorem adhibitus est. — *Ichn. saturatorius*, ad quem Linneus, Rossi et Olivier hunc Degeeri Ichneumonem referunt, satis discrepat ab eo.

28. I. BRACHYACANTHUS. Gm.

Niger; tibiis fuscis, basi albidis; capite thoraceque maculatis, abdominis apice albo. f.

Annulo antennarum, scutello, lineolaque pone scutellum, albis. *Aculeus* brevissimus.

Ichn. Leske mus p. 57, n. 150.
Ichn. brachyacanthus Gmel. ed. Linn. p. 2679, n. 229 (haud p. 2705, n. 325, qui est noster Tryphon brachyacanthus).

Nota:

Haec species affinis esse videtur nostro *Ichn. molitorio* aut *leucomelae.*

---

6. ABDOMINE TRICOLORE.

E *divisione* 5 conferatur mas *Ichn. inflammatorii* (n. 24) abdomine fulvo, apice nigro subtus vix conspicue albo.

29. I. PRETORIUS. Oliv.

Thorace rufo, flavomaculato; abdomine basi rufo, apice nigro segmentis albo-marginatis; tarsis posticis medio albis.

Longitudo 3½ linearum. *Caput* clypeo et orbitis oculorum flavis. *Antennae* annulo ultra

medium, articuloque primo subtus, albis. *Thorax* rufus; marginibus colli, linea ante alas, scutello, punctoque infra scutellum, flavis; regione circa scutellum et circa basin alarum anticarum nigra. *Pedes* anteriores rufi, basi (coxis et trochanteribus?) nigro flavoque varii; postici obscuri, tarsorum medio albo. *Abdomen* elongatum; segmento 1 rufo, petiolo nigro, 2 et 3 rufis, 4 nigro, basi subcastaneo, margine albo, 5 nigro, margine albo, sequentibus nigris.

Habitat circa Parisios.

Ichn. pretorius Oliv. p. 168, n. 21.
„ Walckenaer p. 52, n. 16.

30. I. DESTRUCTORIUS. Fabr.

Thorace rufo; pedibus rufis, posticis nigris plantis albis; abdomine nigro, segmento secundo rufo, reliquis apice albis.

Parvus. *Caput* nigrum, ore et orbitis oculorum albis. *Antennae* elongatae, nigrae, annulo parvo albo. *Thorax* rufus, margine antico (collo) scutelloque flavis. *Abdomen* petiolatum, nigrum; segmento 1 apice, 2 toto, rufis, reliquis apice albis.

Habitat in Selandia.

Ichn. destructorius Fabr. Ent. p. 135, n. 13.
Cryptus destructorius Fabr. Piez. p. 71, n. 5.

tis 2 et 3, vel etiam 4, rufis aut castaneis. — Caetera speciei genuinae respondent.

Feminas *fennicas* duas *Sahlberg* transmisit; major, pedibus magis rufis et segmentis 2—4 castaneis, distincta est.

Synonyma:

Ichn. reluctator Linn. Faun., n. 1603. — Syst. nat. ed. XII, p. 933, n. 27; habitat in campis.

„ Fabr. Syst. Ent. p. 333, n. 33. — Ent. Syst. p. 150, n. 69.

„ Gmelin ed. Linn. p. 2686, n. 27.

„ Villers p. 160, n. 77; habitat in *Gallia*, circa *Lugdunum*.

„ Christ. p. 355.

„ Panzer Fauna fasc. 71, tab. 13; habitat in sylvaticis. (Secundum Panzerum ad Schaeff. Ic. tab. 119, fig. 4, *Ichneumon regenerator* Panzeri et haec species peraffines sunt).

„ Schrank Faun. Boica, n. 2078; captus prope *Gern*, mense Iunii.

„ Walckenaer p. 56, n. 35.

„ Lamarck p. 138, n. 5.

„ Thunberg Ichn., n. 107.

Cryptus reluctator Fabr. Piez. p. 79, n. 35.

Ichn. reluctatorius Oliv. p. 176, n. 62.

Ichn. obex Müll. Prodr., n. 1794.

Ichn. usurpator Scopoli Carneol., n. 743.

„ Villers p. 161, n. 78.

Ichn. usurpator Christ p. 353.
„ Olivier p. 212, n. 30.
Ichn. rubiginosus Christ p. 353, tab. 36, fig. 2 (haud *Ichn. rubiginosus* Gmel. quem ad genus *Cryptorum* redegi).

20. E. NUBECULATUS. n.

Abdomine tibiis et femoribus castaneis, horum anterioribus basin versus nigris; macula alarum fusca. m. f. (*fem.* antennis albo-annulatis).

Statura et proportio partium speciei antecedentis; tibiis anticis feminae vix paulo gracilioribus.

Longitudo maris 5, feminae 5½ linearum. *Antennae* maris porrectae, dimidio corpore longiores, nigrae; feminae articulis 10 et 11 supra albis. *Alae* fumatohyalinae, apice et macula discoidali fuscohyalinis, mari obsoletioribus; stigmate radio radice et squamula fuscis. *Pedes* coxis et trochanteribus nigris; femoribus castaneis, anterioribus subtus a basi fere ad apicem usque nigris, posticis macula basali nigra; tibiis anticis rufotestaceis, posterioribus castaneis; tarsis fuscis. *Abdomen* castaneum; segmento 1 basi fusconigro; feminae quoque apice septimi et octavo, seu accessorio, toto, fusconigris; 5—8 ventre canaliculatis, sicut in femina antecedente. *Aculeus* abdomine paulo longior.

Marem *Besser* e *Volhynia* transmisit, feminam a *Steven* e *Tauria*.

21. E. ARMATUS. n.

Thorace bispino; abdominis basi, pedibus, antennarumque medio, rufis; areola nulla. f.

Statura et proportio partium feminae antecedentis; defectu areolae autem et spinis metathoracis differt.

Longitudo 3⅓ linearum. *Caput* mandibulis medio castaneis. *Antennae* articulis 3—5 castaneis. *Thorax* postice tuberculis duobus acutis. *Alae* fumatohyalinae; stigmate et radio fusco-piceis, radice straminea, squamula nigra; areola quinqueangulari incompleta, nervo exteriore deficiente. *Pedes* rufi, unguibus et tibiarum posticarum apice summo nigris. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, lanceolato-ovatum; segmentis 1 et 2 subscabriculis castaneis, 1 lineis duabus elevatis; 3 basi summa castaneo. *Aculeus* abdomine paulo brevior niger; terebra compressa nitida rufa.

Feminam unicam *Hartlieb* cepit prope *Vratislaviam*, mense Maji.

22. E. LANCIFER. n.

Abdomine rufo, apice nigro; femoribus et tibiis rufis, annulo antennarum albo. f.

Longitudo 3¾—5¼ linearum. *Antennae* filiformes, graciles, corpore breviores, apice curvatae,

articulis 8—11 tribus lateribus albis. *Thorax* subgibbocylindricus. *Alae* mediocres, fumatohyalinae, apice et nubecula seu fascia abbreviata sub stigmate obscurioribus; stigmate radio radice et squamula nigris; areola quinqueangulari subpyramidata. *Pedes* mediocres rufi aut castanei, coxis et trochanteribus nigris, tarsis posticis fuscescentibus; tibiis anticis subcylindrico-clavatis, femore paulo crassioribus. *Abdomen* oblongo - ovatum, capitis thoracisque longitudine et latitudine; segmentis 1—3 rufis, 1 plerumque basi nigra; 4 rufo aut nigro; 5 vel toto nigro, vel basi castaneo; 1 subpetiolato, apicem versus sensim dilatato, parte antica subquadrata, longitudine petioli crassi. *Aculeus* longitudine corporis aut parum brevior, terebra castanea, vaginis nigris apice summo albido aut rufescente.

Tres feminas, circa *Warmbrunn*, *Niesky* et *Aboam* captas, accepi.

SUPPLEMENTA.

Ichneumones genuini europaei auctorum mihi haud noti aut dubii.

Ut Monographiam Ichneumonum genuinorum Europae perfectam ederem, necesse esse existimo, illas quoque species recipere, quae, licet ipse eas nec viderim nec ad species a me ipso examinatas adhibere potuerim, ab auctoribus tamen qua europaeae descriptae sunt. Cum vero descriptiones plurimae nimis breves, immo icones multae adeo pravae sint, ut inde genus haud erui possit, istas species haud speciebus a me examinatis et descriptis intermixi, sed seorsim, secundum descriptiones aut icones exhibitas auctorum, in peculiarem appendicem collocare malui. Ex eadem ratione quoque has species haud in genera dispescui, sed omnes, sub nomine communi Ichneumonum complectens, e colore antennarum scutelli et abdominis, secundum conspectum adnexum, in sectiones segregavi; haud tamen neglexi, ubi fieri poterat, de genere earum vero aut praesumtivo sententiam meam subjungere. Caeterum autem omnes Ichneumones auctorum, de quibus persuasum me habebam, eos haud ad Ichneumones genuinos censendos esse, omisi.

SECTIO I.

Antennis albo-annulatis, scutello pallido.

1. ABDOMINE NIGRO.

Anomalon variegatum Jur. (n. 4), antennis fuscis, articulis 2—10 ferrugineis, thorace nigro, prothorace et scutello rufis, vix ad hanc sectionem pertinet, antennae enim haud albo- sed ferrugineo-annulatae sunt, scutellum autem, prothoraci concolor, rufum quidem est, nec vero album, ut in reliquis speciebus hujus sectionis. Hoc Anomalon eodem jure, quo in hanc primam sectionem collocatus est, etiam in *sectiones II, III* aut *IV* collocari potuisset.

Ichneum. fraudatorius Vill. abdomine fusco, e divisione 2 hujus sectionis (n. 6), ab aliis forsan cum divisione 1 jungeretur, color fuscus enim intermedius est inter nigrum et ferrugineum.

1. I. INGRATORIUS. Panz.

Thorace maculato; pedibus anticis fuscis (cum flavo mixtis). f.

Descriptio ex icone Panzeriana haec est: *Longitudo* 4½ linearum. *Caput* orbitis oculorum

albis. *Antennae* dimidio corpore paulo longiores, apice curvatae, articulis 12—15 albis. *Thorax* colli margine supero, linea ante alas, lineola infra alas, alteraque sub scutello, flavo-albis. *Scutellum* flavoalbum. *Alae* fuscohyalinae, stigmate et radio fuscis (e descriptione Panzeri stigma flavum est), radice et squamula flavoalbis; areola quinqueangulari. *Pedes* antici (e descriptione fusci) tarsis tibiis femoribusque flavis, his basi fuscis.

Habitat in sylvaticis.

Ichn. ingratorius Panz. Fauna fasc. 73, tab. 12.

Nota:

Hic verus Ichneumon est, *comitatori* affinis.

2. I. PEDATOR(IUS). Panz.

Femoribus rufis. f.

Descriptio ex icone Panzeri haec est: *Longitudo* 4 linearum. *Caput* orbitis oculorum superis flavo-albis; mandibulis basi flavo-albis; palpis valde elongatis. *Antennae* fere longitudine corporis, subsetaceae, apice curvatae, articulis 14—17 albis. *Scutellum* albo-flavum. *Alae* subfumato-hyalinae irideae, stigmate et radio fuscis, radice albida, areola quinqueangulari. *Pedes* antici tarsis tibiis (dilatatis) femoribusque rufis (coxis et trochanteribus absconditis); posteriores nigri, femoribus, tibiarum basi et trochanterum apice, rufis.

Abdomen ovatum, capitis thoracisque longitudine et latitudine. *Aculeus* subexsertus.

Habitat in sylvaticis elatioribus.

Ichn. pedator Panz. Fauna, fasc. 71, tab. 12 (in descriptione *pedatorius* nominatus).

Nota:

Verus Ichneumon. De *I. pedatorio* Fabr. conferre velis notam ad nostrum Ichn. pedatorium.

3. BASSUS ELECTORIUS. Fabr.

Thorace maculato, pedibus ferrugineis.

Statura parva Bassi porrectorii. *Antennae* porrectae, ante apicem annulo albo. *Caput* orbitis oculorum niveis. *Thorax* linea laterali alba. *Scutellum* album. *Pedes* pallide ferruginei. *Abdomen* nitidum. *Aculeus* brevis.

Habitat in Moravia.

Bassus electorius Fabr. Piez. p. 93.

Nota:

Bassus porrectorius, cum quo auctor hanc speciem comparavit, noster *Ischnus porrectorius* est.

4. ANOMALON VARIEGATUM. Jur.

Prothorace pedibusque rufis. f.

Longitudo 3 linearum. *Antennae* fere longitudine corporis, apice incurvae; fuscae, articulis 2—10 ferrugineis. *Thorax* gibbulus; prothorace et puncto infra scutellum rufis; puncto utrinque ad latus scutelli, punctisque duobus marginis superi colli, flavis. *Scutellum* rufum. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate nigro, radice flavescente; areola nulla. *Pedes* subgraciles rufi; postici tarsis et tibiarum apice summo nigris. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, oblongo-ovatum, petiolatum. *Aculeus* subexsertus.

Anomalon variegatum Jurine tab. 8.

---

2. ABDOMINE RUFO AUT FLAVO.

De *Ichn. fraudatorio* (n. 6) conferantur quae ad divisionem 1 monui.

E divisione 3, *Ichn. tricoloreus* Chr. (n. 11) abdomine fere toto flavo, ad hanc divisionem spectat.

5. ICHN. FALSARIUS. Oliv.

Scutello rufo; abdomine pedibusque ferrugineis.

Statura et *magnitudo* Ichn. *motatorii* Oliv. (qui autem haud noster motatorius est, sed forsan cum nostro *hilari* aut *extensorio* conjungi debet, quos conferre velis). *Antennae* thorace longiores, medio albo-annulatae. *Thorax* puncto scutellari (scutello?), alteroque anterius sito, ferrugineis. *Pedes* ferruginei, dilutiores aut obscuriores. *Abdomen* dilutius aut obscurius ferrugineum, unicolor. *Aculeus* perbrevis.

Habitat circa Parisios.

Ichn. falsarius Oliv. p. 168, n. 20.
„ Walckenaer p. 52, n. 15.

6. ICHN. FRAUDATORIUS. Vill.

Fuscus, scutello flavicante.

Magnus. *Antennae* nigrae, annulo albo.

Triste et inquietum animal, continuo avolans, spem continuo illudens, inde nomen.

Habitat prope Lugdunum haud infrequens.

Ichn. fraudatorius Villers p. 144, n. 30.
„ Oliv. p. 169, n. 25.

7. ICHN. LINEOLATUS. Gmel.

Thorace maculato; abdomine pedibusque ferrugineis.

Antennae annulo albo. *Thorax* linea ante alas, lineolaque infra alas, albis. *Scutellum* album.

Ichn. Mus. Lesk. p. 57, n. 140.
Ichn. lineolatus Gmel. ed. Linn. p. 2678, n. 223.

Nota:

An femina *Ichn. pisorii* aut varietas *Ichneum. fusorii?*

8. ICHN. VARIABILIS. Schrank.

Abdomine pedibusque rufis. m.

Longitudo 4 linearum. *Antennae* semiannulo albo. *Thorax* immaculatus. *Scutellum* pallide flavum. *Pedes* postici tibiis tarsisque fuscis, horum articulo penultimo albo. *Abdomen* petiolo basi nigro.

Habitat circa Gern (in Bavaria) mense Augusti.

Ichn. variabilis Schrank Boic. n. 2104, var. A.

Nota:

Quem auctor sub var. B cum hoc mare conjunxit, et pro ejus femina habuit, Ichneumon est

scutello thoraci concolore, ad sectionem secundam redigendus. Forsan autem noster *Cryptus apparitorius* femina hujus maris esse posset.

Schrank ad hunc marem adhibet *Ichn. punctorium* Müll. Zool. dan. Prodr. n. 1771, thorace immaculato, scutello flavicante, antennis annulatis, abdomine toto pedibusque ferrugineis. De *Ichn. punctorio* auct. vide sectionem tertiam.

---

8. ABDOMINIS BASI AUT MEDIO RUFO FLAVOVE.

De *Ichn. tricoloreo* Chr. (n. 11) conferre velis quae ad *divisionem 2* monui. Idem Ichneumon, antennarum articulis 1—12 fulvis, indeque haud sensu stricto albo-annulatis, adpropinquat etiam ad *sectionem III.* —

E *divisione* 5 mas *Ichn. inflammatorii* Vill. (n. 24), abdomine fulvo, apice nigro subtus vix conspicue albo, vel ad hanc divisionem tertiam vel ad sextam adhiberi posset. — E *sectione III Ichn. crispatorius* Linn. (n. 89), antennis versus basin flavoannulatis, ad hanc divisionem adpropinquat.

9. ICHN. CONSTRICTORIUS. L.

Thorace bidentato submaculato, segmento secundo ferrugineo.

Magnitudo media. *Antennae* longitudine thoracis, albo-semiannulatae. *Thorax* puncto infra

alas scutelloque flavis seu albidis. *Abdomen* segmento secundo ferrugineo seu rufo.

Ichn. constrictorius Linn. Fauna n. 1585. — Syst. ed. XII, pag. 931, n. 8; passim non infrequens.
„ Gmel. ed. Linn. p. 2676, n. 8.
„ Villers p. 137, n. 8.
„ Christ p. 352.
„ Olivier p. 167, n. 14.

Nota:

Ichn. constrictorius Thunb. 63 ab hac specie differt.

10. ICHN. SUTOR. Chr.

Segmentis 2 et 3 tibiisque rufis, coxis macula alba.

Longitudo 10 linearum. *Antennae* apice curvatae, articulis 6—16 albo-flavescentibus. *Thorax* gibbus. *Scutellum* flavum. *Alae* fusco-hyalinae, radice flava. *Pedes* coxis supra macula alba, tibiis tarsisque rufescentibus. *Abdomen* oblongo-ovatum petiolatum, thoracis latitudine, capite thoraceque paulo longius.

Ichn. sutor Christ p. 347, tab. 35, fig. 4.

Nota:

Hic Ichneumon abdomine congruit cum *Trogo lutorio*, caeteris autem exactissime *Ichneumoni*

grossorio respondet; inde suspicor, Christio forsan Trogum illum et Ichneumonem fractos, postea vero, conglutinatione artificiali partium fractorum, abdomina commutata esse, ita ut ex Ichn. grossorio, abdomine Trogi ei adposito, *Ichneum. sutor*, e Trogo autem, abdomine Ichn. grossorii adposito, *Ichn. rubricornutus* Christii (horum suppl. n. 119) factus sit.

11. ICHN. TRICOLOREUS. Chr.

Capite thoraceque rufo-nigroque variis; abdomine rufo-flavoque vario; pedibus fulvis, femoribus obscurioribus.

Longitudo 6 linearum. *Caput* rufum, oculis nigris. *Antennae* apice curvatae, articulis 1—12 fulvis, reliquis nigris (in icone nigrae, medio flavae). *Thorax* rufus, dorso medio nigro. *Scutellum* flavum. *Alae* flavescenti-hyalinae. *Pedes* fulvi, femoribus fuscescentibus. *Abdomen* ovatum petiolatum, capitis thoracisque longitudine et latitudine; segmento 1 rufo, 2 et 3 flavis basi rufa, 4 rufo, reliquis absconditis.

Ichn. tricoloreus Christ p. 349, tab. 35, fig. 8.

Nota:

Verus *Ichneumon* esse videtur, nostro *rufatorio* confinis; haud vero cum *Ichneum. tricolorio* Thunb. n. 547 confundi debet.

31. I. SARCITORII VAR. Trent.

Segmentis ultimis duobus aut tribus macula alba.

Longitudo 6 linearum. *Thorax* collo toto nigro (in var. *b.* supra flavo). *Pedes* anteriores flavo-rufi, femoribus basi nigris; postici femoribus nigris, tibiis flavis apice nigro, tarsis fuscis. *Abdomen* segmentis 2 et 3 magis flavicantibus quam ferrugineis, colore nigro baseos segmenti tertii parciore, haud ad latera usque extenso; segmentis duobus ultimis (in var. *b.* tribus ultimis) macula marginali alba; ventre atro, segmentis 2 et 3 flavis — Caetera sarcitorio genuino respondent.

Ichn. sarcitorius Trentep. in Iside 1826 pag. 230 var. *a* et *b*.

32. I. RAPTORIUS. Fabr.

Niger; segmentis 2—4 rufis, reliquis apice albis.

Descriptio Trentepohliana haec est: *Longitudo* 4½ linearum. *Caput* mandibulis palpisque nigrofuscescentibus. *Antennae* curvatae nigrae, in medio albo-annulatae. *Thorax* immaculatus. *Scutellum* albidum. *Alae* fuscohyalinae, stigmate testaceo, nervis omnibus fuscis. *Pedes* nigri; anteriores femoribus ferrugineis, anticis subtus, mediis usque ad apicem fere, nigris, tarsis dilute fus-

cis; postici basi tibiarum ferruginea. *Abdomen* segmento 1 nigro, apice ferrugineo; 2, 3 et 4 ferrugineis, reliquis nigris macula marginali alba; ventre nigro, segmentis 2, 3 et 4 ferrugineo-flavis.

Varietas *b.*

Orbitis oculorum superioribus albis.

Longitudo 5 ½ linearum. *Caput* orbitis supra antennas subtilissime flavis. *Thorax* ater, scutello albo. *Alae* fuscohyalinae, stigmate obscuro-ferrugineo incisura albida, nervis omnibus fuscis. *Pedes* anteriores obscuro-ferruginei, coxis trochanteribus et femoribus basi antice nigris, femoribus mediis totis nigris; postici nigri, basi tibiarum obscuro-ferruginea. *Abdomen* nitidum; segmento 1 nigro, apice ferrugineo, 2 et 3 castaneis, 4 atro, latere utroque castaneo-nitente, reliquis atris, macula marginali albida; ventre nigro, segmento 1 apice, 2, 3 et 4 totis, castaneo-nitentibus.

Ichn. raptorius Fabr. Syst. Ent. p. 327, n. 2. — Piez. p. 56, n. 8.
„ Rossi Fauna n. 741; individua segmentis 2—4 rufis.
„ Walckenaer p. 50, n. 4.
„ Trentepohl in Iside 1826 pag. 228, n. 45 (excepta var. *a*).

Nota:

De *Ichn. raptorio* reliquorum auctorum, nec non de confusione hujus speciei cum *Ichn. exten-*

sorio etc. conferre velis notam ad nostrum Ichn. raptorium et synonyma ambigua Ichn. extensorii.

32b. I. CRISPATORIUS. Thunb.

Niger, antennis annulatis, scutello flavo, thorace maculato; abdomine basi rufo, apice nigro cingulis duobus flavis.

Ichn. crispatorius Thunb. Ichn. n. 23.

Nota:

De *Ichneum. crispatorio* reliquorum auctorum conferre velis horum supplementorum Ichn. n. 89.

SECTIO II.

Antennis albo-annulatis, scutello thoraci concolore.

1. ABDOMINE NIGRO.

Ichn. adulteratoris (n. 39) sexus alterum, antennis totis nigris, *divisioni primae sectionis IV* respondet.

De *Anomalo variegato*, prothorace et scutello rufis, conferatur *divisio prima sectionis I*, (n. 4).

33. I. VIATOR. Scop.

Niger, femoribus fulvis. f.

Longitudo 5 linearum. *Antennae* albo-annulatae. *Alae* stigmate nigro. *Abdomen* petiolatum, tres lineas longum. *Aculeus* abdomine brevior.

Habitat in calidiore Carneolia, inquietus et saepe migrans de loco in locum.

Ichn. viator Scop. Carn. n. 747.

Nota:

De *Ichn. viatore* auctorum conferas nostrum *Ichn. annulatorem*.

34. I. DUMETORUM. Fourc.

Niger, femoribus rufis. f.

Longitudo 4½ linearum. *Antennae* corpore paulo breviores (graciles, longitudine corporis Latr.). *Alae* fuscae. *Pedes* rufi, postici tibiis tarsisque nigris. *Abdomen* longum (petiolatum Latr.). *Aculeus* abdomine paulo brevior (corpore paulo brevior Oliv.).

Habitat circa Parisios in dumetis.

Ichn. Geoffroi p. 339, n. 41.
„ Latreille p. 323.
Ichn. dumetorum Fourcr. p. 406, n. 41.
„ Villers p. 164, n. 92.
„ Olivier p. 210, n. 19.

Nota:

Ad hanc speciem forsan adhibendus est noster *Cryptus anatorius*, forsan autem femina est *Crypti moschatoris*.

35. I. INSIGNITOR. Vill.

Niger, pedibus fulvis. m. f.

Majusculus. Affinis *Ichn. manifestatori* (conf. nota). *Antennae* in utroque sexu albo-annulatae. *Abdomen* petiolo longo. *Aculeus* corpore sesquilongior.

Habitat in Europa.

Ichn. insignitor Villers p. 164, n. 90.

Nota:

Ichneum. manifestator Villersii haud noster *Ephialtes* hujus nominis est, sed potius noster *Mesostenus gladiator*, ad quem quoque Olivier hunc insignitorem redegit.

36. I. OCREATUS. Gmel.

Niger; pedibus rufis, tibiis tarsisque posticis fuscis. f.

Antennae annulo albo. *Aculeus* longitudine abdominis.

Ichn. Leske mus. p. 60, n. 183.
Ichn. ocreatus Gmel. ed. Linn. p. 2688, n. 255.

Nota:

Conferantur *Cryptus moschator* et *anatorius*, nec non *Xylonomus annulatus*.

37. I. OCHROPUS. Gmel.

Niger, antennarum annulo albo; pedibus luteis, posticorum tibiis plantisque nigris, basi manibusque luteis.

Ichn. Leske Mus. p. 60, n. 178[b].
Ichn. ochropus Gmel. ed. Linn. p. 2687, n. 250.

Nota:

Conferantur *Ichn. brevicornis*, *Xylonomus annulatus* et *Xorides albitarsus*, qui autem sexus feminini est.

37b. I. ATRATOR. Forst.

Niger, antennarum annulo albo; pedibus rufis, plantis posterioribus apice albis.

Magnitudo *Ichn. extensorii.* *Abdomen* falcatum (?). *Aculeus* brevissimus.

Ichn. atrator Forster n. 84; *habitat* in Anglia; moschum redolet.
Ichn. obscurator Gmel. ed. Linn. p. 2687, n. 199.

Nota:

Haec species nec cum *Ichn. atratore* Fabr. nec cum *Ichn. obscuratore* Panzeri confundi debet.

38. I. DISCOLOR. Gmel.

Niger, antennarum annulo albo; pedibus anticis albis, mediis albido-fuscis, posticis fuscis.

Ichn. Leske Mus. p. 60, n. 184.
Ichn. discolor Gmel. ed. Linn. pag. 2688. n. 256 (haud Ichn. discolor Thunb. n. 198).

39. I. ADULTERATOR. Vill.

Niger, pedibus rufis; mas antennis annulatis. m. f.

Adeo similis *Ichn. manifestatori* (de quo conferas notam ad n. 35) ut hujus descriptio nostro

conveniat. Corpus ejusdem *magnitudinis; aculeus* autem corpore paulo brevior.

Ichn. adulterator Villers p. 192, n. 187; *habitat* in sylvis Bressiae.
„ Oliv. pag. 216, n. 53; *habitat* circa Lugdunum.

Nota:

Pro verbis *mas antennis annulatis* forsan legendum est *mas tarsis annulatis* aut *femina antennis annulatis;* si hoc rectius foret, *Xylonomus rufipes* forsan ad hanc speciem adhiberi posset.

40. I. ELEVATOR. Panz.

Ater, pedibus flavis (ex icone rufis), posticis apice albis; abdomine clavato. f.

Statura habitus et magnitudo *Ichn. clavatoris* Fabr. (nostri *Exetastae clavatoris*), et huic adeo similis ut facile pro illo habuissem, nisi abdomen minime compressum, et tibiae posticae nigrae id prohibuissent (Pz.).

Descriptio ex icone Panzeriana haec est: *Longitudo* 6 ⅓ linearum. *Antennae* corpore breviores, apice curvatae, annulo medio albo. *Alae* fumato-hyalinae, stigmate et radio rufis, radice et squamula albis, areola triangulari. *Pedes* rufi; postici tibiis nigris, tarsis albidis, articulo 1 basi nigro. *Abdomen* petiolatum, ovato-clavatum, thoracis

latitudine, eo autem duplo longius. *Aculeus* fere longitudine abdominis.

Lectus mense Iulio 1799 in umbrosis editioribus.

Ichn. elevator Panz. Faun. fasc. 71, tab. 15.

Nota:

Confer notam ad nostrum *Exetasten clavatorem.*

---

2. ABDOMINE RUFO AUT FLAVO.

Cryptus annulator (n. 42), abdomine rufo, segmento primo nigro, et *Ichneumon salutator* (n. 47) abdomine ferrugineo, petiolo nigro, ad *divisionem* 3 adpropinquant, cui conjuncti essent, si quoque apicem abdominis nigrum haberent.

41. I. FALSATOR. Vill.

Niger, abdomine fusco. f.

Longitudo 4 linearum. *Antennae* fere corporis longitudine, apice curvatae, annulo albo. *Abdomen* oblongum petiolatum, capitis thoracisque longitudine et latitudine. *Aculeus* vix conspicuus; inde nomen, nam femina facile pro mare sumi posset.

Habitat in Europa.

Ichn. falsator Vill. p. 164, n. 91, tab. 8, fig. 4.
Ichn. simulator Oliv. p. 180, n. 82.

Nota:

Conferatur *Cryptus spinosus.*

42. I. VARIABILIS. Schrank. f.

Abdomine pedibusque rufis. f.

Longitudo 5½ linearum. *Antennae* albo-annulatae. *Pedes* rufi, postici tibiis tarsisque fusco-rufis. *Aculeus* longitudine 2 linearum.

Ichn. variabilis Schrank Boica n. 2104, var. B (de var. A, quam auctor pro mare hujus feminae habuit, licet scutello albo differat, conferas Ichn. 8).
Ichn. varex Müll. Prodr. n. 1801.

43. CRYPT. ANNULATOR. F.

Niger; pedibus et abdomine rufis, tibiis posticis et segmento primo nigris.

Magnus. *Caput* clypeo ferrugineo villoso; palpis anticis valde porrectis, longioribus, articulo ultimo setaceo. *Antennae* albo-annulatae. *Alae* albidae; anticae lunula magna, costae connexa (stigmate) nigra. *Pedes* rufi, tibiis posticis nigris. *Abdomen* ovatum, rufum; segmento primo nigro,

striga media impressa. *Aculeus* longitudine abdominis, niger.

Habitat in Austria.

Cryptus annulator Fabr. Piez. p. 79, n. 36.

44. BASSUS ZONATOR. F.

Ater, abdomine pedibusque rufis, horum posticis ante apicem albis.

Statura et summa affinitas *Ichn. annulatoris* (qui tamen, in Systemate Piezatorum Fabricii, verus Ichneumon est), at abdomen rufum et pedes rufi, tarsis posticis albis apice nigris. (*Alae* areola parva, Jur.). *Abdomen* ovatum.

Habitat in Italia.

Ichn. zonator Fabr. Ent. p. 151, n. 73.
" Jurine p. 112.
Bassus zonator Fabr. Piez. p. 97, n. 14.

Nota:

Conferre velis notam ad nostrum *Mesostenum ligatorem*.

45. I. PASTINACAE. Stroem.

Rufus; antennis atris, fascia alba.

Parvus. *Antennae* longitudine corporis, nigrae, medio albo-annulatae. *Alae* albae, stig-

mate nigro. *Pedes* postici pro parte nigri. *Abdomen* valde pyriforme.

Ichn. pastinacae Stroem in Norske Selsk. Skr. IV, p. 351, n. 68; *habitat* in Pastinaca.
Ichn. simplex Müll. Prodr. n. 1796 (haud Gmel. n. 2721, cui locus in sectione quinta est).

46. I. CORRUPTOR. Oliv.

Metathorace spinoso; niger, abdomine et tibiis anterioribus ferrugineis. f.

Longitudo 6 linearum. *Caput* interdum orbitis oculorum albis. *Antennae* corpore breviores, annulo albo. *Thorax* interdum punctis duobus albis ad radicem alarum; metathorace bispino. *Pedes* tibiis anterioribus, interdum etiam parte femorum, brunneo-ferrugineis. *Abdomen* ferrugineum, obscurius dilutiusve. *Aculeus* fere longitudine abdominis.

Ichn. corruptor Oliv. pag. 180, n. 78; *habitat* in Gallia meridionali.

Nota:

Haec species affinis esse videtur *Hoplismeno pernicioso* et cognatis metathorace bispino.

47. I. SALUTATOR. Rossi.

Niger, thorace maculato; abdomine ferrugineo, petiolo nigro; pedibus fulvis, tibiis posticis nigris.

Proximus *Ichn. profligatori* (de quo conferas nostrum *Phygadeuontem profligatorem*), at major. *Longitudo* 5⅔ linearum. *Caput* orbitis oculorum albis. *Antennae* albo-fasciatae. *Thorax* punctis minutissimis albis ad marginem undique notatus. *Alae* stigmate nigro. *Abdomen* ferrugineo-fuscum, petiolo nigro.

Ichn. salutator Rossi Fauna n. 755; prodiit e pupa phalaenae, die 27 Aprilis.
„ Oliv. p. 178, n. 71.

---

3. ABDOMINE BASI AUT MEDIO RUFO FLAVOVE.

E *divisione 2 Cryptus annulator* (n. 42) et *Ichn. salutator* (n. 47) cum hac divisione conjungerentur, si apex abdominis eis niger esset.

48. I. DIMIDIATOR. F.

Thorace postice, abdomine antice, ferrugineis; pedibus rufis, posticis apice nigris.

Antennae nigrae, basi rufae, medio albae. *Thorax* niger, metathorace et scutello ferrugineis.

Ichn. dimidiator Fabr. Spec. pag. 427, n. 43. — Piez. p. 66, n. 62; habitat in Germania.
„ Villers p. 162, n. 83.
„ Gmel. ed. Linn. p. 2686, n. 117.
„ Oliv. p. 179, n. 73.
„ Thunb. n. 146.

Nota:

Haec species nonnullis *Cryptis*, v. c. *minutorio, flagitatorio, carnifici,* affinis esse videtur.

49. I. HARUSPEX. Schrank.

Rufus; capite, pectore, segmentis 4—7, femoribusque posticis, nigris. f.

Longitudo 2½ linearum. *Antennae* annulatae. *Pedes* fulvi, femoribus posticis nigris. *Aculeus* longitudine ⅓ lineae.

Ichn. haruspex Schrank Boica n. 2120; captus prope *Gern.*

Nota:

Schrank ad hanc speciem adhibet *Ichneum. haruspicem* Müll. Prodr. n. 1802, ferrugineum, antennis annulatis; capite, pectore, abdominis apice, pedibusque, nigris. Schrankii Ichneumon pedes habet fulvos, solis femoribus posticis nigris.

50. I. COTHURNATUS. Schrank.

Niger; abdominis medio pedibusque rufis, femoribus posticis nigris, tarsis posticis albis. m.

Longitudo 4½ linearum. *Antennae* corpore longiores, medio albae. *Pedes* fulvi; postici femoribus nigris, tarsis albo-annulatis. *Abdomen* petiolo nigro, segmentis 2 et 3 nec non quarti dimidio flavis.

Ichn. cothurnatus Schrank Austr. n. 716.
„ Villers p. 163, n. 86; in Gallia australi.
„ Gmel. ed. Linn. p. 2687, n. 123.
„ Oliv. p. 220, n. 85.

Nota:

Conferre velis notam ad nostrum *Mesoleptum nemoralem.*

In Fauna Boica Schrank plures species cum hac confudit, nam 1) femina abdomine toto nigro, 2) maris varietas, annulo antennarum scutelloque albis, thorace immaculato, 3) maris varietas altera, antennis totis nigris, scutelli apice flavo, linea ante alas alteraque infra alas flavis, ad Ichneum. cothurnatum haud adhiberi possunt.

Ichn. cothurnatus Gravenh. Uebers. n. 3742, species est diversa.

51. I. CRUENTATUS. Christ.

Niger; segmentis 1—3 rufis.

Longitudo 5 linearum. *Antennae* apice incurvae, annulo medio flavo. *Alae* nigricantes, apice obscuriores. *Abdomen* capite thoraceque paululum longius, thoracis latitudine, ovatum, petiolatum; segmento 1 rufo, 2 et 3 rufis margine nigro.

Ichn. cruentatus Chr. p. 355, tab. 36, fig. 4.

Nota:

De hac specie, quae haud confundi debet cum *Ichn. cruentato* Panzeri et Fourcroyi (*Trachynoto foliatore* nostro), sed potius Ichneumonibus veris respondere videtur, conferas nostrum *Ichneum. aulicum.*

52. I. ANI. Fourcr.

Niger, abdomine pone ferrugineo.

Longitudo 6½ linearum. *Antennae* medio albae. *Abdomen* trientibus duobus posticis ferrugineis. Reliqua omnia nigra sunt.

Ichn. Geoffroi p. 341, n. 47.
Ichn. ani Fourc. p. 409, n. 48.

Nota:

Conferre velis notam ad nostrum *Ichneum. culpatorem.*

53. I. SEMIANNULATUS. Vill.

Niger; segmentis 2 et 3 rufis.

Minor (I. semiannulatus Schrankii 7⅓ lineas longus est). *Antennae* annulatae vel non annulatae. *Pedes* fulvi, femoribus clavatis nigris. *Abdomen* petiolatum fulvum, aliquoties nigrum segmentis 2 et 3 rufis. *Aculeus* brevis.

Ichn. semiannulatus Vill. p. 162, n. 85.

Nota:

Conferas notam ad nostrum *Ichn. sputatorem.*

54. I. OBFUSCATUS. Gmel.

Niger, antennis tricoloribus; abdomine luteo, basi nigro; pedibus flavescentibus, femoribus posticis alisque fuscatis.

Minutus. *Antennae* ferrugineae, annulo albo, apice fuscae. *Aculeus* mediocris.

Ichn. Leske p. 69, n. 334.
Ichn. obfuscatus Gmel. ed. Linn. p. 2719, n. 380.

55. OPH. ABBREVIATOR. F.

Niger; abdomine brevissimo clavato rufo, apice nigro. f.

Medius. *Antennae* nigrae, fascia alba. *Pedes* rufi, tibiis posticis nigris, plantis albis. *Abdomen*

breve, longius petiolatum, rufum, apice compressum truncatum nigrum. *Aculeus* brevis subrecurvus.

Habitat Halae Saxonum.

Ichn. abbreviator Fabr. Ent. p. 153, n. 83.
Ophion abbreviator Fabr. Piez. p. 134, n. 18.

Nota:

Secundum Jurineum, pag. 110, alae areolam parvam habent. — Conferas notam ad nostrum *Pezomachum abbreviatorem*.

56. I. IRRIGATOR. Panz.

Niger; abdomine rufo, apice nigro, pedibus rufis nigro-maculatis. f.

Longitudo 5 linearum. *Caput* transversum, collum versus angustatum. *Antennae* dimidio corpore longiores, apice incurvae, articulis quatuor mediis albis. *Thorax* puncto collari superno albo. *Alae* fumato-hyalinae, stigmate radio radice et squamula nigris; areola subquadrata. *Pedes* antici rufi, coxis trochanteribus et basi femorum nigris; posteriores nigri, femoribus tibiisque versus basin rufis. *Abdomen* fusiformi-ovatum, petiolatum, nigrum; segmentis 1—3 rufis, 1 lineis duabus elevatis. *Aculeus* brevissimus.

Ichn. irrigator Panz. Faun. 71, tab. 16; habitat in nemorosis montanis.

Nota:

Haec Panzeri species vel ad *Ichneumones* vel ad *Hoplismenos* referenda est. — De *Basso irrigatore* Fabr. et Grav. conferre velis synonyma et notam ad *Xylonomum irrigatorem.*

---

4. ABDOMINE FASCIATO AUT CINGULATO AUT PUNCTATO.

Ichn. obsoletus (n. 58), annulo antennarum obsoleto, ad *divisionem 4 sectionis IV* spectat.

57. ICHN. EXLEX. Müll.

Niger; antennis tibiis femorumque basi albo-annulatis; abdomine incisuris ferrugineis; pedibus quatuor.

Ichn. exlex Müll. Prodr. n. 1805.

58. I. OBSOLETUS. Gmel.

Niger; antennis obsoletefasciatis; segmentis duobus puncto albo; pedibus rufis, tibiis posticis apice plantisque nigris.

Ichn. Leske p. 59, n. 177.
Ichn. obsoletus Gmel. ed. Linn. pag. 2687, n. 248.

Nota:

Ichn. obsoletus Fabr. Ent. Diplolepis est.

---

5. ABDOMINE SOLO APICE ALBO.

Ichn. haematostoma (n. 61) annulo antennarum et segmento penultimo subtus macula ferrugineis, ad sectionis IV divisionem primam aut quartam referri posset.

59. I. RESTAURATOR. Fabr.

Niger, striga abdominis alba, pedibus ferrugineis.

Parvus (longitudine 4½ linearum, Rossi). *Antennae* longitudine corporis, annulo medio albo. (*Alae* areola parva Jur.). *Abdomen* striga postica alba. *Aculeus* exsertus brevis niger.

Ichn. restaurator Fabr. Ent. p. 151, n. 76; habitat *Hafniae.*
„ Gmel. ed. Linn. p. 2685, n. 113.
„ Villers p. 161, n. 80.
„ Rossi Faun. n. 758; in sylvis.
„ Christ p. 354.
„ Oliv. p. 177, n. 66.
„ Thunb. Ichn. n. 113.
Cryptus restaurator Fabr. Piez. p. 83, n. 48.

Nota:

Schrank hanc speciem adhibet ad suum *Ichn. curtum,* quem conferre velis. — *Ichn. restaurator* Fabricii Ent. Syst. et Piez. cum hac specie haud confundi debet, sed noster *Ichn. restaurator* est.

60. I. CURTUS. Schrank.

Niger, ano albo, tibiis testaceis. f.

Longitudo 2⅔ linearum. *Antennae* involutae, annulo albo. *Alae* puncto radicali (radice et squamula?) albo. *Pedes* tibiis tarsisque testaceis. *Abdomen* ovatum petiolatum, ano extimo albo. *Aculeus* longitudine ⅓ lineae.

Ichn. curtus Schrank Austr. n. 717.
„ Villers p. 163, n. 87; in *Gallia.*
„ Gmel. ed. Linn. p. 2688, n. 124.
„ Rossi Fauna n. 761; habitat ruri frequens.
Ichn. curtor Oliv. p. 181, n. 80.

Nota:

Schrank in Fuessly Mag. I, p. 293, n. 717 cum hac specie conjunxit *Ichn. restauratorem* Fabr. (de quo conferas speciem antecedentem), cui autem pedes ferruginei sunt, nulla facta mentione femorum nigrarum et tibiarum testacearum. Secundum Rossium Ichn. restaurator longitudine est 4⅓ linearum.

61. I. HAEMATOSTOMA. Gmel.

Niger; annulo antennarum, ore, pedibusque rufis, segmento penultimo subtus macula ferruginea.

Ichn. Leske p. 60, n. 178.
Ichn. haematostoma Gmel. ed. L. p. 2687, n. 249.

6. ABDOMINE TRICOLORE.

62. OPH. EXHORTATOR. Fabr.

Abdomine compresso; ferrugineus, capite abdominisque apice nigris, ano albo, pedibus ferrugineis, geniculis nigris.

Medius. Antennae nigrae, albo-annulatae, basi ferrugineae, articulo primo nigro. *Alae* albae, stigmate nigro. *Abdomen* breve petiolatum compressum ferrugineum, apice atrum, segmento ultimo albo.

Ichn. exhortator Fabr. Mant. pag. 264, n. 54. — Ent. p. 154, n. 88; habitat *Kiliae.*
„ Villers p. 162, n. 84; habitat in *Bressia.*
„ Gmel. ed. Linn. p. 2686, n. 119.
„ Oliv. p. 179, n. 75.
„ Thunb. Ichn. n. 151.
Ophion exhortator Fabr. Piez. p. 134, n. 19.

Nota:

De *Ichn. exhortatore* Panzeri conferas nostrum *Cryptum flagitatorem.*

63. I. SANGUINATOR. Rossi.

Rufus; abdominis apice nigro, ano albo.

Statura Ichneumonis incubitoris; ab Ichn. exhortatore (antecedente) omnino diversus. *Longi-*

tudo 4 linearum. *Caput* rufum, oculis nigris, palpis lineaque ante oculos albis. *Antennae* longitudine abdominis, nigrae, albo-fasciatae, articulis brevibus. *Thorax* rufus, scutello concolore, pectore nigro. *Alae* albae, stigmate nigro. *Pedes* rufo fuscoque varii, coxis et femoribus posticis nigris. *Abdomen* petiolatum rufum, apice nigrum, segmentis tribus ultimis albis. *Aculeus* niger, vix exsertus.

Ichn. sanguinator Rossi Mant. II, app. n. 85; habitat in quercu.

Nota:

Conferatur noster *Ichn. ruficeps.* — *Ichn. sanguinator* Thunb. Ichn. n. 186 huc haud spectat, sed ad Bracones.

64. I. LUTEATOR. Fabr.

Fulvus; abdominis apice nigro, ano albo; geniculis posticis nigris.

Descriptio Trentepohliana haec est: Ichneum. luteator, seu Joppa lutea, Ichneumoni flavatorio quidem admodum affinis est, sed diversus: *Longitudo* 5½, latitudo 8½ linearum. *Caput* fulvum, sub antennis clypeus et labium superius impressione, ut plerumque, inter se non separata sed contigua, convexa; mandibulae bidentatae nitidae fulvae, dentibus nigris; palpi fulvi, anteriores quinquearticulati, articulis 1—4 longitudine aequali, cylindricis, 2 tamen crassiore, 5 longiore filiformi,

sub mandibulis adhaerentes (posteriores non conspicui sunt). *Oculi* minimi et stemmata nigra. *Antennae* porrectae, basi fuscae, subtus fulvae, in medio albo-annulatae, apice nigrae, articulo primo toto fulvo. *Thorax* fulvus immaculatus. *Alae* hyalinae limpidae nitidae, toto corpore respecto breves, nervorum decursu ut in Jurinei Ichneumonum familia prima, stigmate pallide testaceo, nervis omnibus fulvis. *Pedes* fulvi; postici femoribus apice annulo, et tibiis apice alio, aterrimis, tarsis nigris articulo primo fulvo. *Abdomen* fulvum, petiolo longius et angustius quam in Ichneumone flavatorio; tribus ultimis segmentis aterrimis, 5 immaculato, 6 apice albo, 7 toto albo.

Ichn. luteator Fabr. Ent. Suppl. pag. 222, n. 87; habitat *Halae Saxonum*.
Joppa lutea Fabr. Piez. p. 123, n. 9.
„ Trentep. in Isidis 1826 pag. 221, in adnotatione.

Nota:

Conferatur noster *Trogus flavatorius* et *Ophion luteus*.

65. I. TERMINATOR. Panz.

Niger, tibiis et medio abdominis rufis, ano albo.

Longitudo fere 6 linearum. *Antennae* porrectae, $3\frac{1}{3}$ lineas longae, medio albae. *Pedes* nigri,

tibiis tarsisque rufis. *Abdomen* oblongo-ovatum, capite thoraceque longius, latitudine thoracis, segmentis 2—4 rufis, ano albo.

Ichn. terminator Panzer ad Sch. tab. 180, fig. 6; *habitat* in dumetis, inter aphides.

Nota:

Haec species affinis est nostro *Ichn. tergeno* et *violento*, et sequenti.

66. I. VINDEX. Müll.

Niger, antennis annulatis; abdomine ovato ferrugineo, postice nigro macula duplici alba.

Ichn. vindex Müll. Prodr. n. 1804.

Nota:

Conferatur species antecedens.

67. I. INCUBITOR. Scop.

Niger; prothorace pedibus abdomineque rufis. hoc apice fusco puncto albo. f.

Longitudo 3 linearum. *Antennae* corpore breviores, fascia alba. *Thorax* rufus, pone niger. *Abdomen* ellipticum, subtus in medio tumorem gerens, e quo *terebra*, abdomine brevior, exseritur.

Ichn. incubitor Scop. Carn. n. 745; *habitat* in collibus sylvosis, captus mense Augusto.

Nota:

Distinguendus est ab *Ichn. incubitore* auctorum, de quo conferre velis nostrum *incubitorem;* affinis nostro *Crypto flagitatori.*

68. I. INCUBITOR. Schrank.

Niger; pedibus rufis, tarsis (tibiisve?) posticis fascia alba; abdomine rufo, apice nigro macula alba. f.

Longitudo 4 linearum. *Antennae* vix corpore breviores, fascia alba, non tamen integra. *Pedes* ante tarsos posticos fascia alba. *Abdomen* segmento 1 apice, 2 et 3 totis, rufis, sequentibus nigris macula anali alba. *Aculeus* longitudine 2 linearum.

Ichn. incubitor Schrank Austr. n. 714; lectus die 2 Iulii.

Nota:

De *Ichn. incubitore* auctorum consule nostrum *incubitorem.* Conferatur noster *Cryptus incubitor* et *amoenus.*

69. I. ENERVATOR. L.

Niger; segmentis 2 et 3 ferrugineis, sequentibus macula dorsali alba; pedibus rufis, femoribus posticis nigris.

Caput et *thorax* nigra immaculata. *Antennae* albo-annulatae.

Ichn. enervator Linn. Fauna n. 1621. — Syst. ed. XII, p. 936, n. 47; *habitat* in hortis.
„ Gmel. ed. Linn. p. 2695, n. 47.
„ Villers p. 171, n. 112.
„ Christ p. 374 (ubi autem diagnosis Linneana prave translata est verbis schwarz, die drei ersten Ringe des Hinterleibes sind roth und oben auf der Spitze weiß geringelt.)
„ Thunb. Ichn. n. 111.

Nota:

Müller hunc Ichneumonem Linnei adhibet ad suum *Ichn. opificem* (Prodr. n. 1795), nigrum; abdominis tribus primis segmentis rufis, apice supra albo; antennis albo fasciatis.

SECTIO III.

Antennis haud albo-annulatis; scutello pallido.

1. ABDOMINE NIGRO.

Ophion fuscator Panz., n. 81, scutello fere toto nigro, nec nisi puncto parvo apicali notato, punctisque duobus parvis segmenti primi flavis, ad *sectionis quartae* divisionem primam aut quartam adpropinquat. — E *sectionis primae* divisione prima *An. variegatum* Iur., n. 4, antennarum articulis 2—10 ferrugineis, scutello rufo, e hujus sectionis III divisione 3, *Ichn. incrassatorii* Vill. n. 92, varietas abdomine toto nigro, e divisione 4, *Ichn. Evonymi* Gm., n. 115, abdomine coeruleo-nigro, incisuris (membranis), si segmenta extenduntur, flavis, huic divisioni primae quodammodo respondent.

70. CRYPTUS EDICTORIUS. F.

Niger, scutello flavicante, lineolis duabus thoracis albis; pedibus rufis, tarsis posticis albis. f.

Caput palpis rufis. (*Alae* areola parva Iur.). *Aculeus* exsertus brevis.

Cryptus edictorius Fabr. Piez. p. 77, n. 26; *habitat* in Europa boreali.
Ichn. edictorius Thunb. Ichn., n. 576.

Nota:

Auctor quidem ad hanc speciem retulit *Ichn. edictorium* L. sed, collatis descriptionibus, patet, hunc et illam haud ad unam eandemque speciem referri posse. Immo de genere ipso hujus speciei Fabricianae incertus sum, quippe quae, ab omnibus speciebus, Ichneumoni edictorio Linnei affinibus, remota, Cryptis associata est. Forsan prope ad nostram *Pimplam rufatam* accedit. — De *Ichn. edictorio* auctorum conferre velis nostrum *edictorium.*

71. I. CONSECUTORIUS. Vill.

Segmentis triangulariter dissectis; niger, scutello flavicante; pedibus flavis, posticis variegatis. f.

Antennae convolutae, corporis longitudine. *Pedes* anteriores flavi, postici variegati. *Abdomen* segmentis quatuor triangulariter dissectis. *Aculeus* niger, terebra rufa.

Ichn. consecutorius Vill. p. 156, n, 64: habitat in *Gallia australi.*
Ichn. consectatorius Oliv. p. 214, n. 45.

Nota:

Nostra *Glypta flavolineata* picturis thoracis ab hac specie differt.

72. I. MACERATORIUS. Vill.

Niger, scutello flavicante; pedibus tenuibus rufis; subtus albicellis, tarsis posterioribus albis.

Minor. *Caput* ore albido. *Antennae* nigricantes, fere longitudine corporis. *Abdomen* tenue fusiforme.

Ichn. maceratorius Vill. p. 157, n. 66; *habitat* in Europa, rarior prope Lugdunum.
„ Oliv. p. 215, n. 47.

Nota:

Conferatur noster *Cryptus viduatorius.*

73. I. ACUTORIUS. Vill.

Niger, scutello flavicante, thorace maculato; pedibus fulvis, tibiis posterioribus nigris.

Minor. *Antennae* subtus rufescentes. *Thorax* antice maculis duabus angulatis, postice maculis duabus minimis acutissimis.

Ichn. acutorius Vill. p. 158, n. 71; *habitat* in Bressia.
„ Oliv. p. 215, n. 50; prope Lugdunum.

Nota:

Conferatur *Phytodietus coryphaeus.*

74. I. TRICOLOR. Schrank.

Niger, scutello flavicante, femoribus rufis, tibiis albidis. m. f.

Longitudo feminae $4\frac{1}{2}$, maris (magnitudine Formicae herculaneae, corpore angusto) $3\frac{1}{3}$ linearum. *Antennae* feminae subtus dilutiores, dimidio corpore paulo longiores, maris fere longitudine corporis. *Thorax* linea ante alas flava, in maribus obsoletiore. *Abdomen* subpetiolatum. *Aculeus* longitudine 3 linearum.

Larva habitat in larvis Glossatorum. Ad mutationem subeundam larva conficit sibi folliculum ovatum nigrum, medio album cingulis duobus punctorum nigrorum. Recens natus spargit odorem molestum.

Ichn. tricolor Schrank Beitr. 87, §. 50.
„ Schrank Austr., n. 708.
„ Gmel. ed. Linn. p. 2683, n. 109.
„ Oliv. p. 220, n. 82.

Nota:

Ad hanc speciem nec *Ichn. tricolor* Fabr. (Ophion tricolor F. Piez.) nec *Ichn. tricolor* Schrank Boica (Banchus falcator noster), spectat.[1] — Schrank, in Fuessly Magaz. I, p. 293, n. 708, hunc Ichn. tricolorem quidem ad *Ichn. fossorium* Linnei et Fabricii redegit, sed minus juste, nam Linneus nil dixit, nec de pictura tho-

racis, nec de tibiis albis, sed Ichn. fossorium descripsit fronte maculata. — Villers etiam erravit, qui hunc Schrankii tricolorem pro femina *Ichn. deliratorii* habuit. Conferas notam ad nostrum Ichn. deliratorium.

75. I. FUSCICORNIS. Gmel.

Niger, facie scutelloque flavis; pedibus rufis, posteriorum geniculis, tibiarum apice posterius plantisque nigris.

Antennae subtus ferrugineae, basi flavae. *Abdomen* oblongum compressum angustatum.

Ichn. Leske p. 59, n. 166.
Ichn. fuscicornis Gmel. ed. Linn. pag. 2684, n. 241.

Nota:

De altero *Ichn. fuscicorni* Gmelinii et reliquorum auctorum conferas nostrum *Mesoleptum fuscicornem.* — Noster *Tryphon aulicus* ab hac specie differt forma abdominis.

76. I. TENTHREDINUM. Scharf.

Niger nitidus, scutello albo-punctato, abdomine semicylindrico sessili; pedibus fulvis, posticis tibiis albis, tarsis nigris. m. f.

Longitudo maris 2½; feminae 3 linearum. *Caput* thorace latius, ore maris albo. *Antennae*

longitudine corporis. *Thorax* punctis duobus minutissimis lineaque scutellaribus albis. *Alae* hyalinae irideae, stigmate nigro.

Lectus mensibus Iulii et Augusti. Larva degit solitaria in larvis *Tenthredinis pinastri*, et mutationem subit in harum folliculis flavo-canescentibus. Imago provenit post decursum 18—20 dierum.

Ichn. Tenthredinum Scharfenb. p. 974, n. 39.

Nota:

Conferantur ad hanc speciem *Tryphon aulicus* et *Bassus annulatus*.

77. I. ALTERNATUS. Schrank.

Niger, scutello flavicante, tibiis tarsisque albo-nigroque variis.

Inter majores numerandus. *Corpus* lineare. *Scutellum* album. *Pedes* tibiarum et tarsorum basi alba. *Abdomen* petiolo brevi.

Ichn. alternatus Schrank Beitr. p. 87, §. 49; *habitat* in hortis, circa Linz.

Nota:

Conferatur nota ad nostrum *Ichn. deliratorium.*

78. I. GEMINUS. Gmel.

Niger; scutello gemino pulvinato ferrugineo, postice flavo; thorace maculato, orbitis oculorum internis oreque flavis; pedibus rufis, tibiis flavis, posticis apice plantisque nigris.

Ichn. Leske p. 59, n. 174.
Ichn. geminus Gmel. ed. Linn. p. 2685, n. 246.

79. I. STRIATUS. Gm. (p. 2721).

Minutus niger, antennis fuscis, ore scutello pedibusque rufescentibus, linea ante alas alba.

Ichn. Leske p. 71, n. 361.
Ichn. striatus Gmel. ed. Linn. p. 2721, n. 404 (haud p. 2703, n. 313).

80. BASSUS FRONTATORIUS. F.

Ater, scutello flavo, thorace submaculato; pedibus anterioribus rufis, basi albis, posticis nigris albo-maculatis.

Medius. *Caput* labro fronteque late albis. *Antennae* articulo primo subtus albo. *Thorax* puncto parvo ante alas, scutelloque, albis. *Pedes* anteriores rufi, femorum basi (coxis) alba; postici nigri, femorum tibiarumque basi, plantisque, albis.

Ichn. frontatorius Fabr. Ent. p. 145, n. 46; *habitat* in Selandia.

„ Iurine p. 107, areola alarum parva.

Bassus frontatorius Fabr. Piez. p. 96, n. 10.

81. OPHION FUSCATOR. Pz.

Niger, capite thoraceque albo-maculatis, segmento primo bipunctato, pedibus anterioribus flavescentibus. f.

Longitudo 3½ linearum. *Caput* orbitis oculorum, puncto clypei, palpisque flavis. *Antennae* corpore paulo breviores, fuscae. *Thorax* punctus, antice maculis duabus oppositis, metathorace puncto medio, flavis. *Scutellum* infra puncto flavo. *Alae* irideae, margine exteriori (posteriori) fusco, stigmate et radio fuscis, radice et squamula flavis; areola triangulari petiolata. *Pedes* anteriores obscuro-flavescentes, coxis et trochanteribus mediis nigris (anticis absconditis); postici nigri, basi tibiarum flava. *Abdomen* falcatum (? ex icone sessile, capite thoraceque paulo longius pauloque angustius), segmento primo punctis duobus parvis marginalibus flavis, subtus membranaceo-flavum. *Aculeus* corpore paulo brevior, terebra rufa.

Ophion fuscator Panz. Fauna 102, tab. 22; lectus raro in dumetis, inter salices.

Nota:

Icon nullo modo faciem Ophionis, sed potius *Pimplae* praebet, forsan *Lissonotae maculatoriae* affinis.

82. BASSUS TARSATORIUS. Pz.

Ater, capite thorace scutelloque flavo-maculatis; pedibus rufis; posticis apice nigris.

Similis *B. gloriatorio*, ast alius et distinctus. — *Longitudo* fere 4 linearum. *Caput* transversum punctum opacum, clypeo palpis mandibulis et puncto infra antennas flavis. *Antennae* corpore breviores, subtus rufescentes. *Thorax* nitidus, antice lineola interrupta (linea utrinque ante alas), puncto sub alis, lineola transversa scutelli loco, et alia breviori sub scutello, flavis. *Pedes* dilute rufi, postici tarsis et tibiarum apice nigris. *Abdomen* nitidum sessile, sub-fusiformi-aequilatum, capite thoraceque longius et angustius, apice truncatum stylo perbrevi (aculeo?) exserto.

Bassus tarsatorius Panz. Fauna 102, tab. 19; habitat in dumetis in floribus.

Nota:

Icon verum Bassum exhibet; sed *Bassus gloriatorius* Panz. Faun. 102, tab. 17, ad Ichneumones adscitos redigendus, *Microgaster* est.

83. I. PICTUS. Gmel.

Minutus, niger; orbitis oculorum internis, ore, linea ante alas, punctoque duplici scutellari albis, pedibus rufescentibus, tibiis posticis albis, basi apice plantisque nigris.

Ichn. Leske p. 71, n. 358.
Ichn. pictus Gmel. ed. L. p. 2721, n. 403.

Nota:

Haec species *Bassus* esse videtur, longe diversa ab Ichn. picto auctorum, de quo conferatur noster *Banchus pictus*.

---

2. ABDOMINE RUFO AUT FLAVO.

Ichn. fusorius Fabr., n. 84, segmento primo basi nigro, ad *divisionem* 3 adpropinquat; *Ichn. ambiguorii* Vill , n. 85 varietas, scutello thoraci concolore ad *sectionis IV* divisionem 2; *Ichn. anceps* Vill., n. 87, antennis basi et infra luteis, ad *sectionis V* divisionem 2.

84. I. FUSORIUS. F. Trentep.

Capite thoraceque maculatis, scutello flavicante, pedibus luteis basi nigra, abdomine luteo. m.

Longitudo 6, latitudo 10 linearum. *Caput* atrum; orbitis internis, clypeo (facie?) et labio

superiore (clypeo?) flavis, hoc margine superiore linea fulva (nigra?); mandibulis nitidis nigris, medio flavis; palpis fulvis. *Antennae* porrectae nigrae, articulo 1 subtus flavo. *Thorax* ater, margine supero colli, linea ante alas, aliaque infra alas, flavis. *Scutellum* flavum. *Alae* hyalinae, dilute flavicantes, stigmate fulvo, radice et squamula flavis, nervis luteo-fuscis. *Pedes* flavo-lutei; coxis et trochanteribus atris; femoribus mediis posteriore latere linea nigra, posticis annulo latissimo nigro. *Abdomen* petiolo basi nigro, medio luteo, apice flavo; segmentis 2—4 flavis, basi luteis, reliquis totis luteis; ventre flavo, petiolo basi nigro, segmentis 2—4 maculis duabus lateralibus magnis luteis, reliquis totis luteis.

Ichn. fusorius Fabr. Trentep. in Isidis 1826 p. 335, n. 54.

Nota:

An varietas nostri *Ichn. fusorii,* quem conferre velis.

85. I. AMBIGUORIUS. Vill.

Rubicundus; capite et metathorace nigris. f.

Thorax, in regione scutelli, punctis tribus rubris, scutello thoraci concolore et non concolore. *Alae* flavescentes. *Aculeus* abdominis longitudine, vaginis nigris.

Ichn. ambiguorius Vill. p. 157, n. 67; prope *Nemausum* lectus.

Ichn. ambiguus Oliv. p. 215; n. 48; *habitat* in Gallia meridionali.

86. I. RUBRATORIUS. Müll.

Scutello flavicante, thorace maculato, pedibus subluteis, abdomine petiolato femoribusque posticis ferrugineis.

Ichn. rubratorius Müll. Prodr., n. 1786.

87. I. ANCEPS. Vill.

Abdomine falcato; capite thoraceque nigris, luteo-variegatis; pedibus abdomineque luteis.

Magnus. *Caput* nigrum, antice flavum. *Antennae* longae, supra nigrae, infra luteae, basi utrinque luteae. *Thorax* postice niger, in medio dorsi flavus, puncto prominente flavo inter alas secundas. *Scutellum* canterio flavo. *Pedes* flavi. *Abdomen* falcatum flavum; segmentis primis fulvis, ultimis lateraliter maculatis.

Ichn. anceps Vill. p. 204, n. 227; in Gallia australi, rarior.
„ Oliv. p. 219, n. 77.

88. I. LOTORIUS. Vill.

Niger, scutello flavicante, abdomine fulvo, tarsis albis.

Medius. *Caput* labio (clypeo?) albo. *Pedes* nigri, tarsis basi albis.

Ichn. lotorius Vill. p. 157, n. 68; *habitat* in Gallia australi.
„ Olivier p. 215, n. 49.

---

3. ABDOMINE BASI AUT MEDIO RUFO FLAVOVE.

Ichn. crispatorius Linn., n. 89, antennis versus basin flavo-annulatis, *sectionis I* divisioni 3 respondet; *Ichn. incrassatorii* Vill., n. 92, varietas abdomine toto nigro, hujus sectionis III *divisioni* 1. *Ichn. brachyurus* Sk., n. 93, abdomine testaceo basi nigra, divisioni 5. — E *sectionis I* divisione 3, *Ichn. tricoloreus* Chr., n. 11, antennarum articulis 1—12 fulvis, abdomine fere toto flavo, e hujus sectionis *divisione 2*, *Ichn. fusorius* Fabr., n. 84, segmento primo basi nigro, ad hanc divisionem adpropinquant.

89. I. CRISPATORIUS. L.

Niger; scutello flavicante; abdomine luteo-ferrugineo, apice subfuscescente (nigro Fabr.).

Descriptio Linneana haec est: *Magnitudo* media. *Antennae* versus basin flavo-annulatae. *Scutellum* flavum. *Alae* squamula (puncto ad basin alarum L.) subferruginea. *Pedes* flavi; femoribus nigricantibus, apice flavis. *Abdomen* segmentis

1 et 2 flavis, 2 basi ferrugineo, 3 ferrugineo, 4 et 5 ferrugineo - fuscescentibus (sequentibus nigris, Oliv.).

Descriptio Trentepohliana, ex individuo musei Fabriciani, haec est: *Longitudo* 5½, latitudo 9 linearum. *Caput* atrum; orbitis frontalibus et occipitalibus ferrugineis, palpis mandibulisque ferrugineis, his basi nigris. *Antennae* curvatae nigrae, in medio dilute ferrugineo-annulatae. *Thorax* ater immaculatus, parum nitidus. *Scutellum* flavicans. *Alae* hyalinae flavicantes, stigmate et radio ferrugineis, nervis caeteris fuscis. *Pedes* nigri; femoribus anterioribus apice dilute ferrugineis; tibiis tarsisque dilute ferrugineis, illis basi albidis. *Abdomen* petiolo basi atro, apice ferrugineo; segmento 2 ferrugineo, apice magis flavicante; 3 ferrugineo, basi nigro; 4 et 5 nigris; ultimis vix conspicuis ferrugineis; ventre segmento 1 apice et 2 flavicantibus, reliquis ferrugineis.

Ichn. crispatorius Linn. Fauna, n. 1588. — Syst. ed. XII, p. 931, n. 11.
„ Fabr. Syst. Ent. p. 329, n. 13. — Piez p. 56, n. 11; *habitat* in Europa.
„ Villers p. 138, n. 11.
„ Gmelin ed. Linn. p. 2677, n. 11; habitat in Europae hortis.
„ Christ p. 352.
„ Olivier p. 167, n. 18.
„ Walckenaer p. 50, n. 6.
„ Trentep. in Isidis 1826, p. 217, n. 54.

Nota:

Conferatur noster *I. rufatorius.* — Ab hac specie differt *Ichn. crispatorius* Thunb. Ichn., n. 23, de quo vide horum supplementorum n. 32 *b.*

90. I. OSCULATORIUS. Oliv.

Niger, scutello albo, thorace maculato; segmentis 2 et 3 pedibusque rufis, tarsis posticis albidis.

Magnitudo media. *Caput* et antennae nigra immaculata. *Thorax* linea ante alas scutelloque flavis. *Abdomen* segmentis 2 et 3 rufis, 2 tamen fascia media nigra.

Ichn. osculatorius Oliv. p. 170, n. 31.

Nota:

Ichn. osculatorius Fabr. et Vill. nec non Ichn. Geoffroii, n. 57, quos auctor ad suam speciem adhibet, huc non spectant, sed ad nostrum *Exetastem osculatorium*, quem conferre velis. De genere hujus speciei Olivierianae incertus sum; affinis esse videtur nostro *Crypto arroganti.*

91. I. CANNABIS. Scop.

Niger, scutello flavicante, basi abdominis pedibusque rufescentibus. f.

Longitudo 1⅓ linearum. *Antennae* longitudine corporis. *Alae* hyalinae. *Aculeus* thorace brevior.

Ichn. cannabis Scop. Carn., n. 760; prodiit ex pupa *Muscae cannabinae.*
„ Christ p. 368.
„ Oliv. p. 214, n. 40.

92. I. INCRASSATORIUS. Vill.

Antennis apice incrassatis; niger, scutello, plerumque abdominis medio, flavicantibus. f.

Minor. *Caput* clypeo (facie?) luteo. *Alae* hyalinae, stigmate nigricante. *Pedes* tibiis anterioribus tarsisque flavis. *Abdomen* falcatum, in medio gibbum, rarius immaculatum, plerumque segmentis duobus maculaque minima flavis. *Aculeus* brevis.

Ichn. incrassatorius Vill. p. 158; n. 72; *habitat* in Bressiae umbraticis.
„ Oliv. p. 215, n. 51; habitat in Gallia meridionali.

Nota:

Haec species e genere *Hellwigiarum* esse videtur.

93[a]. I. BRACHYURUS. Schrank.

Abdomine sessili; fulvus; thorace antennis abdominisque basi nigris. f.

Longitudo 3 linearum. *Caput* ex flavo testaceum, oculis nigris. *Antennae* nigrae, longitudine corporis. *Thorax* niger, scutello fulvo. *Abdomen* sublineare sessile, apice et subtus testaceum, supra basi late nigrum. *Aculeus* vix exsertus.

Ichn. brachyurus Schrank Aust. n. 711.
" Vill. p. 154, n. 57.
" Gmel. ed. Linn. p. 2683, n. 111.
" Oliv. p. 220, n. 84.

93[b]. I. ERECTORIUS var. Trent.

Niger, scutello flavicante; segmentis 2 et 3 rufis.

Longitudo 7, latitudo 11 linearum. *Caput* mandibulis nitidis, medio ferrugineis. *Thorax* proxime sub alis lineola et punctis duobus minutis albidis, scutello ipso et ante (infra?) scutellum lineola transversa flavicantibus. *Alae* flavicanti-hyalinae nitidae, stigmate ferrugineo, nervis omnibus fuscis. *Pedes* atri, tibiis anticis solis interne parum fuscis. *Abdomen* magis ovatum quam in Ichn. erectorio genuino, nitidum; segmentis 2 et 3 latissimis fulvoferrugineis.

Ichn. erectorius, var. *a*. Trentep. in Isidis 1826 pag. 218.

Nota:

Recte Trentep. l. c. hoc individuum, in museo Fabricii cum *Ichn. erectorio* conjunctum, pro specie peculiari habet, quam quidem ad nostrum *Ichn. nigripedem* adhiberem, nisi lineola flava ante (?) scutellum differret. Conferatur noster *Ichneum. amputatorius.*

94. I. BIMACULATUS. Chr.

Niger, scutello punctoque infra scutellum albis, abdominis basi pedibusque rufis. f.

Longitudo 3½ linearum. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, ovatum, petiolatum, rufum, apice nigrum. *Aculeus* longitudine tertiae partis abdominis.

Ichn. bimaculatus Chr. p. 340, tab. 33, fig. 7.

Nota:

An femina *Phygadeuontis jucundi?* De *Ichn. bimaculato* auctorum conferre velis nostrum *Ichn. saturatorium.*

95. I. STRIGOSUS. Gmel.

Niger; lineolis duabus scutelli, abdominis medio, tibiis tarsisque, flavis.

Scutellum lineolis duabus transversis flavis. *Alae* anticae basi macula (radice et squamula?)

alba. *Pedes* femoribus anterioribus basi apiceque flavis, posticis totis nigris; tarsis tibiisque flavis, harum posticis apice nigris. *Abdomen* petiolo apice flavo, segmento secundo flavo, puncto nigro, tertio toto flavo.

Ichn. Leske Mus. p. 59, n. 169.
Ichn. strigosus Gmel. ed. Linn. p. 2684, n. 243.

96. ALOMYA CRUENTATOR. Panz.

Nigra, capite thorace et scutello flavo-maculatis; pedibus flavis (in icone rufis), abdominis medio sanguineo.

Longitudo 4 linearum. *Caput* transversum nigrum opacum punctum; orbitis oculorum mandibulis palpisque flavis. *Antennae* porrectae setaceae, longitudine corporis, nigrae, subtus ferrugineae. *Thorax* niger punctus nitidus, collo maculaque utrinque ante alas semilunari (hamata?) flavis; metathorace opaco punctatissimo. *Scutellum* triangulare acutum flavum, lineola media nigra. *Alae* hyalinae irideae, stigmate et radio piceis, radice et squamula flavis; areola parva. *Pedes* omnes flavi, tarsis posticis obscurioribus (in icone dilute rufi; coxis et trochanteribus posticis nigris, anterioribus absconditis). *Abdomen* cylindricum elongatum (in icone subfusiformi-cylindricum, subsessile, capite thoraceque angustius et paulo longius) nitidum; segmento 1 latitudine plus duplo longiore, basin versus sensim

angustato, nigro; 2—5 subquadratis sanguineis; reliquis nigris.

Alomya cruentator Panz. Fauna 102, tab. 21; lecta in sylvaticis umbrosis editioribus, in floribus.

Nota:

Haec species a veris *Alomyis* discedit, magisque nostris *Tryphonibus* respondet.

---

4. ABDOMINE FASCIATO AUT CINGULATO AUT PUNCTATO.

Banchus quadrator Schell. n. 114, antennis brunneis, et *Ichn. bicinctus* Fuesl. n. 116, antennis ferrugineis, ad *sectionis V* divisionem quartam spectant. De *Ichn. evonymi* Gmel. n. 115, conferantur quae sub *divisione* 1 hujus sectionis monui. — *Divisionis* 5 unica species, *Ichn. marginatorius* Rossi, n. 117, segmentis 4 ultimis luteo-marginatis, forsan ad hanc divisionem 4 referri posset. E *sectionis V* divisione 4, *Ichn. albus* Fourc. n. 335, antennis albis, apicem versus subfuscescentibus, huic divisioni respondet.

97. I. LIMBARIUS. Oliv.

Niger, scutello flavo, prothoracis dorso rufo, segmentis albo-marginatis, pedibus fulvis, tarsis posticis nigris.

Longitudo 3 linearum. *Antennae* fere longitudine corporis. *Thorax* prothorace rufo; scutello et puncto infra scutellum flavis. *Alae* hyalinae, stigmate fusco aut nigro. *Abdomen* linea marginali segmentorum subalbida.

Ichn. Geoffr. p. 348, n. 60; *habitat* circa Parisios, in sylvis.
Ichn. marginalis Fonrcr. p. 414, n. 61.
Ichn. limbarius Oliv. p. 172, n. 38.
„ Walckenaer p. 54, n. 26.

Nota:

De genere hujus speciei incertus sum; forsan *Tryphon formosus* aut *Ephialtes varius* ei affines sunt.

98. I. ANNULATORIUS. Fabr.

Niger, scutello flavicante, thorace maculato, segmentis 1—4 margine flavis; pedibus ferrugineis, femoribus tibiisque posticis apice nigris.

Medius. *Caput* facie flava. *Antennae* subtus flavae. *Thorax* lineola ante alas, puncto sub alis,

maculisque duabus infra scutellum, flavis. *Alae* hyalinae. *Abdomen* segmentis 1 — 4 margine albido, sequentibus totis nigris.

Ichn. annulatorius Fabr. Syst. Ent. p. 330, n. 20.
— Piez. p. 62, n. 40; *habitat* in Anglia.
„ Villers pag. 149, n. 44; *habitat* in Gallia, circa Lugdunum.
„ Gmel. ed. Linn. p. 2680, n. 94.
„ Christ p. 339.
„ Oliv. p. 171, n. 35.

Nota:

Conferatur *Ephialtes albicinctus.*

99. I. EDICTORIUS. Schrank.

Niger, scutello et lineolis duabus thoracis albis, tibiis anterioribus fulvis, segmento 2 lateribus testudineo.

Major. *Thorax* scutello et lineola ante alas, alteraque infra alas, albis. *Pedes* anteriores tibiis tarsisque fulvis.

Ichn. edictorius Schrank Austr. n. 709; lectus die 1 Augusti in *Mauer.*
Ichn. molitorius var. *g.* Schrank Boica n. 2072.

Nota:

Auctor quidem *Ichneum. edictorium* Linnei ad suum adhibet, sed descriptio ejus huic non respondet. — Hunc autem verum Ichneumonem esse,

ex eo patet, quod Schrank eum, in Fauna Boica, cum *Ichn. molitorio* conjunxit. Haud vero hujus varietas est, sed forsan ad *Ichn. salicatorium* aut *sibilantem* referri posset.

100. I. BIDENTORIUS. F. Trentep.

Niger; scutello flavicante, capite thoraceque flavomaculatis, segmentis 2 et 3 basi flavis; pedibus rufis, posticorum tibiis tarsisque apice nigricantibus.

Longitudo 7½ linearum. *Caput* atrum; orbitis oculorum antice flavis, supra antennas maximam partem nigris; clypeo et labio superiore (facie et clypeo?) flavis; mandibulis bidentatis, dilute ferrugineis, dentibus nigris; palpis flavis. *Antennae* desunt, articulo primo vero nigro, subtus flavo. *Thorax* margine supero colli, lineola ante alas, alteraque vix conspicua infra alas, scutelloque, flavis. *Alae* subfumato-hyalinae, basi fusciores, stigmate ferrugineo, nervis omnibus fuscis, radice et squamula flavis. *Pedes* coxis et trochanteribus nigris; femoribus rufis, anterioribus postice macula atra; tibiis tarsisque rufoflavis, tibiarum posticarum apice et tarsorum posticorum articulis ultimis nigricantibus. *Abdomen* petiolatum; segmento 2 basi fascia, vix latitudine dimidii segmenti, flava; 3 margine laterali utrinque flavo, laciniis (coloris flavi) ad basin latioribus majoribusque quam ad apicem segmenti; reliquis imma-

culatis; ventre atro nitido, segmentis 2 et 3 fusco-nitentibus, apice pallidioribus.

In museo Fabricii, praeter specimen descriptum, duo alia sunt, quorum unum, *var. a*, in omnibus fere *Ichn. interruptorio* (n. 17 nostrorum supplementorum) est simillimum, in his tantum ab eo diversum: *Caput* orbitis oculorum infra antennas latius flavis; in clypeo (facie) nigro, proxime sub antennis, utrinque puncto minore flavo, cum orbita flava conjuncto; labio superiore (clypeo) nigro, basi maculis duabus majoribus flavis contiguis. *Abdomen* segmentis 4—7 immaculatis; ventre atro, segmentis 2 et 3 flavicantibus. Omnia caetera accuratissime ut in *interruptorio*, quare hoc specimen marem interruptorii esse credam. — Alterum, *var. b*, minime Ichn. bidentorius est, sed propria species, a Fabricio haud descripta: *Caput* atrum, mandibulis nitidis ferrugineis, basi paulo nigricantibus. *Antennae* nigrae, subtus ferrugineae. *Thorax* ater nitidior; puncto ante alas, lineola infra alas, scutelloque, albidis. *Alae* hyalinae, stigmate testaceo, radio testaceo-nigro, nervis caeteris dilute fuscis, radice et squamula albidis. *Pedes* rufi, coxis et trochanteribus atris, tarsis posticis nigro-fuscis. *Abdomen* petiolatum atrum nitidum; segmentis 2 et 3 litura laterali, in medio utrinque obsoleta, ferruginea; ventre nigro nitido, segmentis 2 et 3 magis fuscis.

Ichn. bidentorius Fabr. Syst. Ent. p. 331, n. 21. — Piez. p. 63, n. 43; habitat in Europa boreali.

Ichn. bidentorius Trentep. in Isidis 1826, pag. 81, n. 26.

Nota:

Conferantur notae ad nostrum *Ichn. bidentorium* et *quadrimaculatum.* Panzeri *Ichn. desertorius,* quem auctor ipse postea pro *Ichn. bidentorio* Fabricii habuit, ex icone, in Faunae Germ. 45, tab. 15 edita, hic est: *Longitudo* 8 linearum. *Caput* nigrum (facies et os abscondita sunt). *Antennae* corpore breviores, nigrofuscae (latere earum infero abscondito). *Thorax* niger, scutello flavo. *Alae* flavescenti-hyalinae, stigmate fulvo, radio fusco, radice et squamula flavis. *Pedes* flavi; anteriores (coxis absconditis) femoribus supra macula nigra; postici coxis, nec non femorum et tibiarum apice, nigris. *Abdomen* thoracis latitudine, eo autem fere duplo longius, ovato-fusiforme, nigrum; segmento 2 dimidiato, apice nigro, basi flavo lineola abbreviata nigra; 3 basi et lateribus flavo. — *Habitat* in sylvis.

101. LITURATORIUS. L.

Niger, scutello flavicante capite thoraceque maculatis, segmentis 4 margine medio flavis, pedibus ferrugineis.

Minor. *Caput* facie versus os flava. *Antennae* subtus pallidiores. *Thorax* linea lutea ante alas. *Scutellum* minutissimum flavum. *Pedes* ferruginei,

tarsis posticis fuscis. *Abdomen* subsessile, segmentis quatuor (anterioribus Oliv.) margine medio, nec ad latera se extendente, lineola lutea.

Ichn. lituratorius Linn. Fauna n. 1594. — Syst. Nat. p. 932, n. 17; *habitat* ruri.
„ Müll. Prodr. n. 1780.
„ Gmel. ed. Linn. p. 2681, n. 17.
„ Villers. pag. 146, n. 35; *habitat* in Gallia australi. (Ichn. pedibus posticis nigroflavoque variegatis, cujus auctor, in observatione, mentionem fecit, huc non spectare videtur).
„ Christ pag. 343 (ubi autem verba Linneana *segmentis 4 margine medio flavis* prave verbis die vier mittlern Ringe sind gelb translata sunt).
„ Oliv. p. 173. n. 45.

Nota:

De genere hujus speciei, quae autem nostro *Tryphoni sexliturato* affinis esse videtur, incertus sum. De *Ichn. lituratorio* Schrankii et Thunbergii conferre velis nostrum *Bassum laetatorium*.

102. I. CORCULATORIUS. Vill.

Niger, scutello flavicante, capite thoraceque maculatis; segmento 2 macula lutea cordiformi, reliquis flavomarginatis; tibiis flavis apice nigro.

Medius (ic. 4½ lin.). *Caput* facie maculis fusco-flavis, labio (clypeo) flavo. *Antennae* (ic. dimidio corpore paulo longiores, apice curvatae), subtus rufae. *Thorax* scutello et antice punctis duobus flavis. *Pedes* (ic. mediocres) femoribus nigris, praesertim posterioribus; tibiis flavis, apice nigris. *Abdomen* (ic. subpetiolatum, thoracis latitudine, eo autem longius), segmento 1 macula triangulari flava; 2 dimidio flavo, macula cordiformi lutea, e medio flavedinis exsurgente; sequentibus marginibus in medio flavolineatis.

Ichn. corculatorius Vill. p. 158, n. 70, tab. VIII. fig. 3; *habitat* prope Massiliam.
„ Oliv. p. 175, n. 54.

103. I. DIMIDIATUS. Schrank.

Niger, subtus totus flavus, scutello et punctis duobus segmenti tertii flavis.

Longitudo 3 linearum. *Caput* facie flava. *Antennae* subtus flavae. *Thorax* scutello pectore et linea ante alas flavis. *Pedes* flavi, femoribus posticis dilute fulvis, tibiis sordide albis.

Ichn. dimidiatus Schrank Boic. n. 2109; *habitat* circa Ingolstadt, mense Maji.

Nota:

Haec species a nostro *Basso exsultante* non nisi abdominis pictura differre videtur.

104. I. QUERCETI. Schrank.

Niger, scutello flavo, segmentis 2 et 3 margine rufis, pedibus fulvis. m. f.

Longitudo 2 linearum. *Caput* palpis et orbitis oculorum internis albis. *Pedes* femorum articulationibus (coxis?) flavo-albidis. *Abdomen* lanceolatum, petiolo nullo.

Ichn. querceti Schrank Boica n. 2136; frequentat quercus.

105. I. ANGULATORIUS. Müll.

Scutello flavicante, thorace maculato, incisuris abdominis pedibusque subferrugineis.

Ichn. angulatorius Müll. Prodr. n. 1784.

Nota:

Conferantur *Tryphon bilineatus* et *pruinosus*, nec non *Cremastus interruptor* et *Lissonota striata*.

106. I. PRAESTOLATORIUS. M.

Scutello flavicante, thorace maculato rufo; abdomine subferrugineo incisuris nigris.

Ichn. praestolatorius Müll. Prodr. n. 1785.

107. I. MACULATORIUS. Stroem.

Niger, scutello flavicante, corpore maculato; segmentis 2, 4 et 6 luteis, 8 flavo-striato.

Similis *Ichn. volutatorio* et *luctatorio* (ergo verus Ichneumon). Medius. *Caput* facie maculis duabus flavis. *Antennae* subtus flavae. *Thorax* maculis duabus, una ad radicem alarum, altera elongata laterali, flavis. *Scutellum* flavum. *Pedes* fusco-rufi. *Abdomen* segmentis 2, 4 et 6 flavis, 8 lineis tribus transversalibus flavis.

Ichn. maculatorius Stroem in Norske Selsk. Skr. IV, p. 350. n. 67.
„ Müll. Prodr. n. 1778.

Nota:

Haud *Ichn. maculatorius* reliquorum auctorum, de quo conferre velis nostram *Lissonotam maculatoriam.*

108. I. MERCATORIUS. Panz.

Niger, scutello flavicante, thorace submaculato (?); segmentis 2 et 3 basi, reliquis apice, flavis: pedibus flavis, femoribus posterioribus nigris.

Longitudo 7 linearum. *Caput* nigrum (facie et ore absconditis). *Antennae* corpore breviores, nigrae (latere infero abscondito). *Thorax* niger, margine supero colli flavo. *Scutellum* flavum. *Alae* flavo-hyalinae, irideae, stigmate fulvo, radio piceo, radice et squamula flavis, areola quinque-angulari. *Pedes* flavi (coxis et trochanteribus anticis absconditis), posteriores coxis trochanteribus et femorum medio nigris. *Abdomen* thoracis latitudine, eo autem duplo longius, segmentis 1 et 7 totis nigris, 2 et 3 basi late flavis, 4—6 margine tenui flavo, haud raro quoque segmento 3 margine flavo.

Ichn. mercatorius Panz. Fauna 78, tab. 11; lectus haud raro in umbelliferis.

Nota:

Conferantur synonyma et notas ad nostrum *Ichn. infractorium, mercatorium* et *monitorium.*

109. I. NUGATORIUS. Fabr.

Niger, scutello albo, segmentis 2 et 3 basi flavis; pedibus ferrugineis (flavis ic.) femoribus (posterioribus ic.) nigris.

Descriptio Trentepohliana, ex individuis duobus musei Fabriciani, haec est: *Longitudo* 5¾, latitudo 14¼ linearum. *Caput* atrum, oculis pallidioribus, orbitis facialibus et labii superioris (clypei) basi flavis; mandibulis bidentatis, dentibus ferrugineo-nitentibus; palpis nigro-fuscis. *Antennae* (ic. Panz. curvatae, corpore dimidio paulo longiores) ferrugineae, supra subtilissime et apice nigrae; articulo 1 nigro, subtus flavo. *Thorax* margine supero colli, linea infra alas, scutelloque, flavis (metathorace bispino F.). *Alae* flavicanti-hyalinae, stigmate et radio fulvis, caeteris nervis fulvo-fuscis, radice et squamula flavis. *Pedes* flavi, coxis et trochanteribus nigris; femoribus anterioribus postice, posticis totis, nigris; tibiis posticis apice, tarsis posticis totis, pallide ferrugineis. *Abdomen* (ic. Panz. oblongo-ovatum, thorace fere duplo longius et paulo angustius; petiolo canaliculato F.), segmentis 2 et 3 basi flavis; ventre nitido, segmento 2 basi obsolete flavo, 3—5 apice pallide flavo-nitentibus.

Ichn. nugatorius Fabr. Ent. Syst. VI, pag. 455, n. 39. — Piez. pag. 61, n. 36 (fasciatorius); *habitat* in Italia.

Ichn. nugatorius Panz. Faun. 80, tab. 12 (color multo pallidior quam in musei Fabr. speciminibus; alae quoque admodum flavicantes in musei speciminibus, nec ut in icone Panzeri, sunt. Trentep.); lectus raro in umbelliferis.

„ Trentep. in Isidis 1826 p. 78, n. 23.

Nota:

Conferatur nota ad nostrum *Ichn. quadrimaculatum.* De Schaefferi Icon. tab. 52, fig. 5 et tab. 233, fig. 5, quas etiam Trentepohl ad hanc speciem adhibet, hic tamen monet, lineas pallidas in abdomine et aliis locis in natura haud reperiri.

110. I. OBSCURATORIUS. Panz.

Niger, alis fuscis, capite maculato, lineola scutellari pedibusque albidis, segmentis 2—6 margine flavo.

Longitudo 3 linearum. *Caput* atrum punctum opacum; orbitis antice, facie sub antennis, clypeoque, flavis. *Antennae* corpore breviores, nigrae, subtus rufae. *Thorax* ater punctus pubescens, lineola scutellari flava transversali. *Alae* fuscae, irideae, stigmate radio radice et squamula fusco-piceis; (areola triangulari?). *Pedes* dilute flavi, seu potius albidi, tarsis posticis nigris. *Abdomen* subsessile, oblongo-ovatum, punctum, thorace duplo longius at vix paulo angustius; segmento 1

lineis duabus elevatis, toto nigro; sequentibus margine elevato nitido flavo.

Ichn. obscuratorius Panzer Fauna 102, tab. 14; *habitat* in sylvaticis editioribus.

Nota:

In museo Comitis de Hoffmannsegg haec species adhibita erat ad nostrum *Tryphonem apiarium*, qui autem discedit.

111. PIMPLA VAGATORIA. F.

Nigra, flavomaculata; segmentis margine emarginatis, litura flava; pedibus ferrugineis. m.

Major P. persuasoria. *Caput* nigrum, pone oculos ferrugineum. *Palpi* filiformes; anteriores longiores sexarticulati (?), articulis cylindricis, secundo longiori incurvo, adhaerentes maxillae dorso; posteriores breviores quadriarticulati, articulis subaequalibus, adnati labii apici. *Mandibulae* tenues acutae arcuatae inermes. *Maxillae* breves corneae bifidae, laciniis subaequalibus. *Labium* breve corneum integrum, apice palpigerum. *Antennae* porrectae filiformes. *Thorax* niger, antice puncto magno lineolisque duabus dorsalibus, scutello, lineolaque sub scutello, ferrugineis, puncto flavo sub alis. *Alae* dimidio (corpore?) breviores, hyalinae, stigmate flavicante.

Pedes ferruginei. *Abdomen* elongatum cylindricum atrum nitidum; segmentis 1 et 2 macula magna dorsali flava, reliquis margine emarginatis et in hac emarginatura litura (membrana?) flavescente. *Aculeus* reconditus.

Ichn. vagatorius Fabr. Ent. p. 146, n. 50; *habitat* Halae Saxonum.
„ *Pimpla vagatoria* Fabr. Piez. p. 112, n. 2.

112. I. MATUTINUS. Chr.

Niger, thorace abdomineque maculatis, pedibus fulvis. m.

Statura et proportio partium speciei sequentis et *Rhyssae persuasoriae;* huicque affinis. *Longitudo* 11 linearum. *Caput* nigrum, oculis pallidioribus. *Thorax* antice maculis duabus, scutelloque flavicantibus. *Alae* irideae, stigmate nigro, radice flavicante. *Abdomen* segmentis omnibus macula laterali, tribus ultimis quoque ventrali, albis.

Ichn. matutinus Christ tab. 33, fig. 4.

113. I. MACULATUS. Chr.

Niger, capite flavo, thorace abdomineque maculatis, pedibus fulvis. f.

Statura et proportio partium speciei antecedentis et Rhyssae *persuasoriae*. *Longitudo* 10 li-

nearum. *Caput* flavum oculis ore antennisque nigris. *Thorax* linea ante alas, puncto ad radicem alarum (squamula?), linea pectorali, scutello et puncto infra scutellum, flavis. *Alae* hyalinae. *Pedes* fulvi. *Abdomen* segmentis dorso et ventre flavomaculatis (in icone segmentis omnibus subtus totis flavis, dorso flavomarginatis). *Aculeus* longitudine corporis.

Ichn. maculatus Christ tab. 33, fig. 3.

Nota:

Conferre velis nostram *Rhyssam superbam* et notam ad *Rhyssam persuasoriam*.

114. BANCHUS QUADRATOR. Schell.

Niger, flavomaculatus; pedibus flavis, coxis posticis nigris; areola nulla. f.

Statura Rhyssarum. *Longitudo* 16 linearum. *Caput* nigrum; facie, ore, fascia occipitis et orbitis oculorum posticis latis, flavis; palpis longis, labio cylindrico. *Antennae* longitudine dimidii corporis, porrectae, brunneae, articulis cylindricis. *Thorax* margine supero colli, prothoracis lineis duabus dorsalibus, duabus lateralibus, lineola ante alas, maculaque pectorali, metathoracis linea laterali et macula dorsali, flavis. *Scutellum* et punctum sub scutello flava. *Alae* corpore breviores, fumato-hyalinae, nervis brunneis, radice et

squamula flavis, areola nulla. *Pedes* graciles flavi; postici elongati, coxis et trochanteribus nigris. *Abdomen* segmento 1 margine et puncto dorsali, 2 dorso et margine, 3—6 macula laterali rhombea, flavis; 7 acumine dorsali erecto. *Aculeus* longitudine corporis aut longior, brunneus, vaginis basin versus nigris.

Banchus quadrator Schellenb. p. 21, tab. VIII; habitat in *Helvetia.*

Nota:

Conferas notam ad *Rhyssam superbam.*

115. I. EVONYMI. Gmel.

Niger, flavo-pictus, tibiis flavis; alis ferrugineis apice atro.

Longitudo 10 linearum. *Caput* palpis flavescentibus, apice nigris; orbitis oculorum flavis. *Antennae* vix longitudine dimidii corporis, apice involutae. *Thorax* longitudine 4 linearum; linea transversali prothoracis, scutello, maculaque infra scutellum, flavis. *Alae* flavae, apice nigrae. *Pedes* tibiis flavis. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, sessile, oblongo-ovatum, coeruleo-nigrum. Si autem segmenta distenduntur, in incisuris conspicitur cingulum flavum, medio interruptum, excepto ultimo integro.

Ichn. Lepechin Iter Russ. I, p. 219, tab. 17, fig. 1 et 2; *habitat* in Evonymo europaeo, prope pagum Iwanowskoe.
Ichn. Evonymi Gmel ed. Linn. p. 2714, n. 209.

Nota:

Dubius haereo, num haec species ad Ichneumonides genuinos referri possit.

116. I. BICINCTUS. Fuesl.

Niger; scutello segmentisque 3 et 5 flavis; pedibus antennisque ferrugineis.

Ichn. bicinctus Fuessly Helvet. p. 49, n. 944; haud rarus in floribus.

Nota:

Auctor allegavit Schaefferi Icon. tab. 52, fig. 5, de qua conferre velis notam ad nostrum *Ichn. quadrimaculatum.*

---

5. ABDOMINE APICE SOLO PALLIDO.

Conferantur quae ad *divisionem* 4 et 3 monui.

117. I. MARGINATORIUS. Rossi.

Niger, capite thoraceque maculatis, tibiis anticis flavis; abdomine subsessili, segmentis quatuor posticis luteo-marginatis.

Longitudo 5¼ linearum. *Caput* macula flavicante ante oculos. *Antennae* corpore breviores. *Thorax* punctis duobus ante alas, scutello et puncto infra scutellum, flavis. *Pedes* tibiis anticis tarsisque flavis. *Abdomen* subsessile; segmentis quatuor posticis margine flavo-lineatis.

Ichn. marginatorius Rossi Fauna, n. 754; *habitat* ruri; affinis *Ichn. lituratorio* L.
„ Oliv. p. 171, n. 36.
„ Thunb. Ichn., n. 566?

Nota:

Cave ne cum hac specie confundas *Ichn. marginatorium* F. et Panz., de quibus conferre velis nostrum *Ichn. marginatorium* et *occisorium.*

---

6. ABDOMINE TRICOLORE.

118. I. LABORATORIUS. F.

Niger, capite thoraceque flavomaculatis; segmentis 2 et 3 rufis (fulvis Trent.), omnibus flavo-marginatis; pedibus rufis (fulvis Trent.), femoribus posticis nigris.

Descriptio Trentepohliana, ex individuis duobus musei Fabriciani, haec est: *Statura* omnino Ichn. luctatorii. *Longitudo* 7½, latitudo 11 linearum. *Caput* atrum, oculis antice pallidioribus, orbitis antice flavis, clypeo et labio superiore (facie et clypeo) flavis; mandibulis atris nitidis, in medio ferrugineo-nitentibus, palpis fuscescentibus. *Antennae* porrectae (totae nigrae F.) nigrae, articulo primo subtus flavo. *Thorax* margine supero colli, lineola ante alas, altera infra alas, scutelloque, flavis. *Alae* flavicanti-hyalinae, nitidae, stigmate testaceo, nervis omnibus fulvis, radice et squamula flavis. *Pedes* (rufi; femoribus posticis nigris F.) flavo-fulvi; coxis et trochanteribus nigris; femoribus anterioribus parum basi nigris, posticis fere totis nigris. *Abdomen* nigrum; segmentis 2 et 3 (rufis F.) fulvis, omnibus (excepto primo?) margine flavo; ventre atro nitido, segmentis 2 et 3 flavo-ferrugineis.

Ichn. laboratorius Fabr. Ent. p. 142, n. 36. — Piez. p. 61, n. 33; habitat *Kiliae*.
„ Trentep. in Isidis 1826 p. 232.

Nota:

Conferantur quae ad nostrum *Ichn. laboratorium* monui.

119. I. RUBRICORNUTUS. Chr.

Fuscus, capite thoraceque rufo-maculatis; basi antennarum, pedibus, segmentisque 2 et 3, rufis: segmentis 5—7 macula alba.

Longitudo 10 linearum. *Caput* rufo-fuscum; ore et orbitis oculorum rufis. *Antennae* porrectae longae setaceae fuscae, articulis 1—17 rufis. *Thorax* gibbus rufofuscus, linea rufa ante alas. *Scutellum* flavum. *Alae* flavo-hyalinae, apice fumatae. *Pedes* fulvo-rufi, coxis et femoribus rufis, geniculis et basi femorum flavis (in icone rufo-fulvi, coxis trochanteribus et femorum apicibus nigris). *Abdomen* petiolatum, capite thoraceque paulo longius, oblongo-ovatum; segmento 1 nigro, 2 et 3 fulvo-rufis, sequentibus nigris, tribus ultimis puncto dorsali rufo-albido.

Ichn. rubricornutus Christ pag. 347, tab. 35, fig. 3.

Nota:

De hac specie conferatur nota ad *Ichn. sutorem* Chr. (horum suppl., n. 10.)

120. I. CROCEATORIUS. Vill.

Niger, scutello albo, segmentis 2 et 3 pedibusque croceis, segmento ultimo annulo albo.

Major. *Antennae* convolutae, subtus fulvescentes. *Thorax* puncto flavo minimo ad radicem alarum. *Scutellum* album. *Alae* flavo-fuscescentes. *Abdomen* segmento 2 fere toto, 3 dimidiato croceo, ultimo annulo albo.

Ichn. croceatorius Vill. p. 143, n. 28; *habitat* in Gallia australiori.

Nota:

Huc autem haud referri potest *Ichn. croceatorius* Oliv., qui potius ad feminam nostri *luctatorii* spectat. — Conferatur *Ichn. sarcitorius,* qui vero antennarum colore discedit, an alter sexus?

121. CRYPTUS PUNCTORIUS. F.

Niger, scutello flavo; segmentis 1 et 2 rufis, 3 puncto laterali albo. f.

Medius. *Caput* orbitis oculorum argenteis. *Alae* anticae fascia fusca. *Abdomen* nitidum. *Aculeus* brevis.

Ichn. punctorius Fabr. Mant. p. 263, n. 40. — Ent. p. 149, n. 65; *habitat* Halae Saxonum.

Ichn. punctorius Gmel. ed. Linn. p. 2682, n. 104.
" Villers p. 153, n. 54.
" Olivier p. 176, n. 58.
" Thunb. Ichn., n. 527.
Cryptus punctorius Fabr. Piez. p. 78, n. 32.

Nota:

Haud *Ichn. punctorius* Müll., de quo conferre velis *Ichn. variabilem* Schrankii (horum supplem., n. 8).

122, I. LUDIO. Schrank.

Niger, scutello albo, pedibus fulvis: abdomine compresso, segmentis 1—3 rufo-flavoque coloratis.

Longitudo 6½ linearum. *Caput* orbitis oculorum flavis, palpis mandibulisque fulvis. *Antennae* nigrae, subtus brunneae. *Thorax* immaculatus, scutello albo. *Abdomen* compressum; segmento 1 basi angustiore nigro, apicem versus dilatato flavo-fulvo; 2 rufo, apice flavo; 3 rufo, hoc colore autem ubique in nigrum transeunte.

Ichn. ludio Schrank Boica, n. 2062; *lectus* circa Burghausen et Ratisbonam.

Nota:

Auctor Ichneumonem Schaeff. Ic. tab. 195, fig. 3 et 4, pro hujus speciei varietate habet; sed ille

thorace maculato differt. Conferatur noster *Banchus falcator.*

123. I. PULCHELLUS. Chr.

Niger; segmentis 2 et 3 tibiisque rufis; scutello et segmentorum 4—7 marginibus flavis.

Longitudo 7 linearum. *Caput* nigrum (ic. facie flava). *Thorax* scutello et linea transversali arcuata infra scutellum flavis. *Alae* subnigricantes, stigmate nigro semirufo. *Pedes* nigri, femoribus apice rufis; tibiis et tarsorum articulis rufis, apicibus nigris. *Abdomen* petiolatum oblongo-ovatum, thoracis latitudine, capite thoraceque paulo longius; segmentis 2 et 3 rufis, margine nigro; sequentibus linea marginali flava; ano flavo.

Ichn. pulchellus Christ p. 342.

Nota:

A nostro *Ichn. ornatorio* haec species non nisi linea flava sub scutello, praetereaque, ex icone, abdomine latiore, differt.

124. I. FERRUGINATORIUS. Pont.

Niger; scutello albo; abdomine ferrugineo, petiolo et segmentis duobus ultimis nigris, apice albo.

Antennae thorax pedes nigri.

Ichn. ferruginatorius Pontopp. p. 457, n. 8.
„ Müll. Prodr., n. 1791.

Nota:

An mas nostri *Ichn. deceptoris?*

SECTIO IV.

Antennis haud albo-annulatis, scutello thoraci concolore.

1. ABDOMINE TOTO NIGRO.

Ichn. lingulator Vill., n. 179, colore fusco (forsan subferrugineo?) ad *sectionem 2* adpropinquat. *Ichn. strobilellae* L. Faun. Suec. ed. primae, n. 140, abdomine ferrugineo, apice nigro, *sectioni* 3 respondet. *Ichn.* Frischii IV, pag. 5 femina, n. 158, (mas enim abdomine est toto nigro) cingulo abdominis ferrugineo, ad *sectionem* 3 aut 4 referri posset. *Ichn. fumosus* Fourcr., n. 153, segmenti secundi basi subfusca (subferruginea?) et *Ichn. vigilans* Chr., n. 155, abdominis lateribus flavis, ad *sectionem* 4 adpropinquare videntur. E *sectionis I* divisione 1 *Anomalon variegatum*, e *sectionis II* divisione 1 *Ichn. adulterator*, ex ejusdem sectionis divisione 5 *Ichn. haematostoma*, e *sectionis III* divisione 1 *Ophion fuscator*, huic sectioni quodammodo respondent, ad quae conferre velis notas, illis divisionibus adjunctas. — E sectionis IV *divisione 2 Ichn. urticae* Fourcr., n. 181, abdomine ferrugineo-fusco, *Ichn. picatus* Gmel, n. 191,

abdomine piceo, *Ichn. fuliginosus* Gmel., n. 199, abdomine ferrugineo-fusco, et *Ichn. investigator* Rossi, n. 211, abdomine fusco, ad hanc divisionem propius accedunt; e *divisione* 3 *Ichn. venator* Schrank, n. 212, abdomine nigro, segmento 2 (subtus) fulvo; e *divisione* 4, *Ichn. lutescens* Gmel., n. 272, abdomine nigro, segmento 1 solo margine postico luteo, et *Ichn. cylindricus* Gmel., n. 273, abdomine nigro, margine extremo ferrugineo; e *divisione* 5 *Ichn. leucogastrius* Schrank, n. 285, abdomine nigro, segmentis ultimis tenuissime albo-marginatis.

125. I. ATRATOR. F.

Niger, pedibus posticis ante apicem albis.

Medius. *Alae* albae immaculatae (areola parva, Jurine.). *Abdomen* subcylindricum.

Ichn. atrator Fabr. Mant. p. 266, n. 82. — Piez. p. 67, n. 73; *habitat* in Europae hortis; an potius ad Megale (?) genus amandandus?
„ Gmel. ed. Linn. p. 2692, n. 146.
„ Olivier p. 187, n. 120.
„ Walckenaer p. 60, n. 56.

Nota:

Olivier ad hanc speciem adhibet *Ichn. tarsoleucum* Schrankii et Villersii, qui autem colore

pedum differt, potiusque ad nostrum *Cryptum tarsoleucum* quadrat. — Ab hac specie autem discedunt *Ichn. atrator* Forsteri (v. horum supplementorum, n. 37 b.) et *Ichn. atrator* Thunb. Ichn., n. 135.

126. I. PUNCTATUS. Fourcr.

Niger, capite thoraceque flavomaculatis. m.

Longitudo 7 linearum. *Caput* orbitis oculorum flavis, internis latioribus, seu facie flava, medio nigra. *Antennae* dimidio corpore longiores. *Thorax* linea ante alas, puncto infra alas, altero utrinque superne juxta alas posticas, uno ad basin singulorum femorum (ante coxas?), flavis.

Ichn. Geoffroi p. 335, n. 31; circa *Parisios.*
Ichn. punctatus Fourcr. p. 403, n. 31.
„ Oliv. p. 209, n. 14.
Ichn. punctulatus Vill. p. 190, n. 173 (haud *I. punctulatus* Fourcr. p. 407, n. 43.)

Nota:

Ichn. punctulatus (coromandelianus) Fabr. et Gmel. (Pimpla F. Piez.) satis differt.

127. I. TENTATOR. Vill.

Niger, antennis corpore longioribus.

Alae nitentes, stigmate fusco. *Pedes* obscuri.

2.
ufo flavove. 3.
ulato aut punctato. 4.
5.

2.
ufo flavove. 3.
ulato aut punctato. 4.
5.

2.
ufo flavove. 3.
ulato aut punctato. 4.
5.

.
ufo flavove. 3.
ulato aut punctato. 4.
5.

- Ichneumones
  - volatiles
    - antennis nigris aut variegatis
      - albo-annulatis
        - scutello pallido I.
          - abdomine unicolore
            - nigro. 1.
            - rufo aut flavo. 2.
          - abdomine bicolore
            - basi aut medio rufo flavove. 3.
            - fasciato aut cingulato aut punctato. 4.
            - apice solo albo. 5.
          - abdomine tricolore. 6.
        - scutello thoraci concolore II.
          - abdomine unicolore
            - nigro. 1.
            - rufo aut flavo. 2.
          - abdomine bicolore
            - basi aut medio rufo flavove. 3.
            - fasciato aut cingulato aut punctato. 4.
            - apice solo albo. 5.
          - abdomine tricolore. 6.
      - haud albo-annulatis
        - scutello pallido III.
          - abdomine unicolore
            - nigro. 1.
            - rufo aut flavo. 2.
          - abdomine bicolore
            - basi aut medio rufo flavove. 3.
            - fasciato aut cingulato aut punctato. 4.
            - apice solo albo. 5.
          - abdomine tricolore. 6.
        - scutello thoraci concolore IV.
          - abdomine unicolore
            - nigro. 1.
            - rufo aut flavo. 2.
          - abdomine bicolore
            - basi aut medio rufo flavove. 3.
            - fasciato aut cingulato aut punctato. 4.
            - apice solo albo. 5.
          - abdomine tricolore. 6.
    - antennis luteis V.
      - abdomine unicolore
        - nigro. 1.
        - rufo aut flavo. 2.
      - abdomine bicolore
        - segmentis quibusdam discoloribus. 3.
        - fasciato aut punctato. 4.
        - apice solo pallido. 5.
      - abdomine tricolore. 6.
  - pedestres VI.

(Ad pag. 871.)

Ichn. tentator Villers p. 196, n. 200; *habitat* in Bressia.
„ Oliv. p. 218, n. 67; prope Lugdunum.

Nota:

Nec cum *Ichn. tentatore* Thunb. nec cum *Ichn. tentatore* Oliv. p. 195, n. 153, et Rossii, n. 783, Bracone, confundi debet.

128. I. LONGICORNIS. Vill.

Niger; antennis setaceis, corpore longioribus; alis amplis coloratis. m. f. (mas totus niger).

Longitudo 1½ linearum. *Abdomen* oblongo-ovatum, capitis thoracisque longitudine et latitudine.

Ichn. longicornis Vill. p. 215, n. 265, tab. 8 fig. 8; habitat in Europa, in larvarum pupis.
„ Oliv. p. 219, n. 78.

Nota:

Suspicor, hanc speciem Ichneumonidibus genuinis alienam esse.

128^b. I. ANNULATOR VAR. Mus. Fabr.

Niger, femoribus posterioribus ferrugineis.

Longitudo 3¾, latitudo 6 linearum. *Caput* magnum latum nitidum, palpis fuscis. *Antennae*

curvatae, ad apicem parum crassiores, articulis 3 et 4 longioribus. *Alae* hyalinae, parum pallide fusciores, stigmate fusco incisura albida, nervis omnibus fuscis. *Pedes* nitidi, nigri; femoribus anticis apice, posterioribus totis ferrugineis; tibiis et tarsis anterioribus dilute fuscis, posticis nigris. *Abdomen* ovatum nitidum nigrum, petiolo longiore. *Aculeus* subexsertus.

Ichn. Trentep. in Isidis 1826 p. 239 var. a; in museo Fabriciano hoc individuum cum *Ichn. annulatore* conjunctum erat, a quo autem magnitudine, alis obscurioribus, petiolo longiore, pedum colore, differt.

129. I. INVESTIGATOR. Rossi.

Niger, thorace obsolete maculato, tibiis anticis pallide rufis.

Statura fere et magnitudo *Ichn. sagittatoris*, eique affinis. *Longitudo* 6 linearum. *Antennae* tenues, corpore breviores. *Thorax* maculis quatuor oblongis ferrugineis, anticis vix manifestis, post mortem fere omnino evanescentibus; interdum thorace immaculato. *Alae* albae breves erectae, stigmate nigro. *Abdomen* tenue longum subfalcatum obtusum, ano subhiante, in quo latet *aculeus* absconditus.

Ichn. investigator Rossi Mant. II App., n. 84; *habitat* in quercu aliisque plantis, festinanter ramulos et folia perscrutans.

130. I. CORRUSCATOR. F.

Ater, alis fuscohyalinis, clypeo (facie) flavo, tibiis basi albis.

Descriptio Trentepohliana, ex duobus speciminibus musei Fabriciani, haec est: *Longitudo* 6¼, latitudo 10 linearum. *Caput* atrum, oculis pallidioribus; orbitis internis et externis subtilissimis, clypeo et labio superiore (facie et clypeo), palpisque albidis. *Antennae* porrectae nigrae, articulo 1 subtus albido. *Thorax* puncto ante alas et lineola infra alas albidis. *Alae* fusco-hyalinae, stigmate ferrugineo, nervis omnibus nigris. *Pedes* nigri, femoribus anterioribus antice dilute ferrugineis; tibiis basi albidis, anterioribus apice tarsisque fuscis.

Ichn. corruscator Fabr. Syst. p. 336, n. 49. — Piez. p. 66, n. 66; *habitat* in Europae hortis.
„ Walckenaer p. 59, n. 51.
„ Thunb. Ichn., n. 432.
„ Trentep. Revis. p. 10, n. 5 — in Isidis 1826 p. 66, n. 5.

Nota:

Conferre velis nostrum *Ichn. pallifrontem* et notam ad *Ichn. corruscatorem.*

131. I. CORRUSCATOR. Schrank.

Niger, nitidus; alis fumatis, apice pallidioribus. f.

Parvus. *Aculeus* corpore longior.

Ichn. corruscator Schrank Boica, n. 2065, lectus mense Iulii circa Ingolstadt.

Nota:

Bracon esse videtur; differt saltem a specie praecedente et ab *Ichn. corruscatore* reliquorum auctorum, de quo conferas nostrum Ichn. corruscatorem.

132. I. DIPSACANAE. Schrank.

Niger, metathorace bispino, alis fuliginosis, tibiis anticis fulvis.

Longitudo paulo ultra 2 lineas. *Antennae* filiformes. *Abdomen* apice rotundatum.

Ichn. dipsacanae Schrank Boica, n. 2130; lectus mense Iunii; larva degit in larvis *Tortricis dipsacanae.*

Nota:

Hic quoque *Bracon* esse videtur.

133. I. BIFASCIATUS. Fourc.

Niger, alis fascia duplici nigra.

Longitudo 3¾ linearum. *Antennae* corpore breviores. *Alae* fasciis duabus nigris latis transversis.

Ichn. Geoffr. p. 337, n. 37.
Ichn. bifasciatus Fourcr. p. 405, n. 37.
„ Villers p. 192, n. 184.
„ Olivier p. 210, n. 18.

Nota:

Haec species sine dubio affinis est *Ichn. cincto* Linn. et *fuscato* Fabr. nec non nostro *Hemiteli bicolorino* et speciebus cognatis.

133b. I. VAGATOR. Scop.

Niger, abdomine subtus fulvo, alis fuscescentibus. f.

Longitudo 1½ linearum. *Antennae* longitudine corporis. *Alae* hyalino-fuscescentes, apice pallidiores. *Abdomen* ovatum fuscum, ventre fulvo. *Aculeus* longitudine 1 lineae.

Ichn. vagator Scop. Carn. n. 759; inquietissimum animal, supra arborum folia continuo discurrit.

Ichn. vagator Vill. p. 186, n. 160; prope *Lugdunum* haud rarus.
„ Christ p. 368.
„ Oliv. p. 214, n. 39.

134. I. FLAVIFRONS. Schrank.

Niger, antennis subtus pallidis, pedibus rufis. m. f.

Longitudo 6 linearum. *Caput* facie et ore flavis (interdum nigris; Schrank in Fuesl. Mag.). *Antennae* corpore paulo breviores, subtus ferrugineae. *Alae* stigmate nigro, puncto albo. *Pedes* rufi aut fulvi. *Abdomen* fere sessile. *Aculeus* longitudine 1 ⅕ linearum, vaginis crassis tomentosis. — Femina nihil a mare diversa, nisi quod aculeum habeat et abdomine sit paulo latiori.

Ichn. flavifrons Schr. Austr. n. 731; et in Fuessly Mag. I, p. 294, n. 731; *habitat* frequens in larvis papilionum.
„ Vill. pag. 182, n. 144; *habitat* in Gallia australi.
„ Gmel. ed. Linn. p. 2697, n. 168.

Nota:

Schrank ad hanc speciem adhibuit Geoffr. Ichn. n. 10, p. 326, qui autem multo minor est. De hoc Ichn. Geoffroii conferatur species insequens.

Ob abdomen fere sessile et aculeum, 1 ⅕ lineas longum, vaginis crassis tomentosis, haec species

Schrankii, saltem femina, Pimplis veris adnumeranda est. De *Ichn. flavifronte* Schrank Boica n. 2074, plane autem incertus sum. Auctor l. c. solum marem ex Enum. Ins. Austr. recepit et, licet mas, excepto aculeo, cum femina omnino congruens describatur, itaque abdomen fere sessile habeat, licetque Schaeff. Icon. tab. 105, fig. 5 (quae *Pimplam instigatorem* exhibet) allegetur, attamen dicit, se esse propensum, hunc marem pro mare *Ichn. ruficinguli*, (qui noster *Ichn. castigator* esse videtur), ambo autem pro varietatibus *Ichneum. molitorii* habere, qui autem, abdomine petiolato, petiolo angusto, satis a flavifronte Schrankii discrepat. Forsan hic Ichn. flavifrons Faunae Boicae cum *Ichn. fabricatore* eadem est species. Patet, Ichn. flavifrontem Enum. Ins. Austriae ab Ichneumone ejusdem nominis Faunae Boicae, non solum specie, sed quoque genere, discrepare.

135. I. FRONTALIS. Fourc.

Niger, facie flava, pedibus anterioribus rufis.

Longitudo 3 linearum. *Antennae* longitudine dimidii corporis, subtus paulo pallidiores.

Ichn. Geoffr. p. 326, n. 10; *habitat* in Gallia.
Ichn. frontalis Fourcr. p. 396, n. 10.
Ichn. tricolor Razoumowsky p. 216, §. 251.

Nota:

Schrank, in Enum. Ins. Austriae, nec non, illius auctoritate nixi, Villers et Gmelin, hunc Geoffroii Ichneumonem ad *Ichneum. flavifrontem* (antecedentem) adhibuerunt, licet hic illo duplo major sit. — Olivier frontalem Fourcroyi et flavifrontem Schrankii sub nomine *Ichn. generatoris*, p. 185, n. 110, conjunxit, et descriptiones amborum in unam coëgit; Walckenaer etiam hunc Ichn. generatorem, p. 59, n. 53, recepit. — Conferatur noster *Ichn. fabricator*.

136. I. VENATOR. L.

Ater, abdominis basi subtus incarnata, pedibus rufis, aculeo retractili.

Ichn. venator Linn. Fauna n. 1612. — Syst. nat. ed. XII, p. 935, n. 36; *habitat* in pratis.
„ Gmel. ed. Linn. p. 2692, n. 36.
„ Christ p. 372.

Nota:

Conferatur species insequens.

137. I. VENATOR. Schrank Aust.

Ater, abdominis basi subtus flava, tibiis et tarsis flavis. f.

Longitudo 5 linearum. *Caput* palpis flavis. *Pedes* tarsis tibiisque flavis, harum posticis apice

flavis. *Abdomen* petiolatum; segmento secundo subtus flavo. *Aculeus* longitudine ⅓ lineae (niger, terebra rubra Vill.).

Ichn. venator Schrank Austr. n. 724.
„ Villers p. 168, n. 102; *habitat* in Bressiae nemoribus.
„ Rossi n. 767; habitat ruri (deleatur diagnosis Fabr.).
„ Oliv. p. 188, n. 125 (ubi autem Ichn. venator Linn. et Fabr. nec non Geoffr. n. 84, seu Ichn. inversus Fourcr. excludendi sunt).

Nota:

Conferantur *Trogus lapidator* et *Banchus falcator*, nec non species antecedens et n. 212.

137[b.] I. CONCILIATOR. Rossi.

Abdomine cylindrico; ater, thorace fulvo, pedibus palpisque setaceis pallidis. m.

Longitudo 3½ linearum. *Corpus* valde tenue et oblongum. *Caput* palpis albis setaceis praelongis. *Antennae* corpore longiores. *Thorax* fulvus. *Alae* albae hyalinae, stigmate flavo. *Pedes* toti pallidi flavi, longiusculi, femoribus clavatis tibiisque posticis ad apicem nigris. *Abdomen* cylindricum, apice parum incrassato.

Ichn. conciliator Rossi Fauna p. 71, n. 775; captus in floribus; accedere videtur ad *Ichn. extensorem.*

Nota:

De *Ichn. extensore* auctorum conferre velis species duas insequentes et nostram *Pimplam roboratorem.*

138b. I. EXTENSOR. Latr.

Parvus, niger, abdomine clavato; pedibus rufis, femoribus subcrassis; aculeo longitudine corporis.

Ichn. extensor Latr. Crust. XIII, p. 180, n. 7.

Nota:

Auctor interrogative allegat Ichn. Geoffr. n. 86, seu *Ichn. extensorem* Fourcr. qui mihi ad *Cryptum* (*Spathium* N. ab E.) *clavatum* Panzeri Faunae 102 tab. 16 adhibendus esse videtur, quem saepe domi e foraminibus lignorum, in quibus larvae *Anobii pertinacis* habitabant, provenire vidi, cujusque larvae sine dubio in larvis Anobii degerant. Ille Ichneumon a Geoffroio his verbis describitur: *Statura* elongata subfiliformis. *Longitudo* 2 linearum. *Color* brunneus subdilutus. *Caput* palpis albis, thoracis longitudine. *Antennae* longitudine corporis. *Alae* incumbentes, stigmate magno. *Pedes* femoribus fere forma abdominis. *Abdomen*

apice crasso clavato, petiolo pertenui. *Aculeus* longitudine corporis.

Ichn. Geoff. p. 359, n. 86; domos intrat.
Ichn. extensor Fourcr. p. 423, n. 87.
„ Walckenaer p. 60, n. 59.

Conferantur species insequens, nec non nostra *Pimpla roborator*.

139. I. EXTENSOR. Schrank.

Niger, palpis pedibusque ferrugineis.

Longitudo 3 linearum. *Caput* palpis longis ferrugineis. *Pedes* ferruginei, coxis clavatis, femoribus filiformibus, tibiis anticis tarsisque anticis nigris. *Aculeus* corpore paulo longior.

Ichneum. extensor Schrank Boica n. 2068; domos intrat.

Nota:

Conferas species duas antecedentes et nostram *Pimplam roboratorem*.

140. STROBILELLAE. L.

Niger (abdomine ferrugineo, apice nigro, L. Faun.), pedibus ferrugineis, posticis nigro-annulatis. f.

Descriptio Linneana, in Faunae Suecicae ed. prima (1746) pag. 294, n. 971, haec est: Duplo

major praecedenti n. 970 (quem Linn. in Faunae editione altera ad *Ichn. incubitorem* adhibuit). Caput, antennae thorax nigra. *Alae* glaucae. *Pedes* ferruginei, femoribus posticis nigris. *Abdomen* obverse ovatum, segmento ultimo nigro. *Aculeus* fere longitudine abdominis.

In Faunae suecicae editione altera (1761) p. 404, n. 1616, diagnosis hujus speciei haec est: Ichn. niger; *pedibus* lutescentibus, tibiis posticis digitoque nigris, albo-annulatis; *aculeo* corpore longiore.

Ichn. Linn. Fauna (1746) p. 294, n. 971; *habitat* in pinetis.

Ichn. strobilellae Linn. Fauna (1761) pag. 404, n. 1616; habitat in *Phalaenae strobilellae* et *turionellae* larva — Syst. nat. ed. XII, p. 935, n. 41. ?

„ Fabr. Species p. 433, n. 77. — Ent. Syst. p. 169, n. 150. ?

„ Villers p. 170, n. 106.

„ Gmel. ed Linn. p. 2693, n. 41. ?

„ Christ p. 373. ?

„ Oliv. p. 190, n. 131.

„ Cederhielm p. 161, n. 499.

„ Walckenaer p. 61, n. 61; aculeo corpore duplo longiore. ?

„ Scharfenb. pag. 958, u. 8; aculeo corpore duplo longiore; *habitat* etiam in larva *Bomb. Monachae.* ?

Pimpla strobilellae Fabr. Piez. p. 115, n. 13. ?

Nota:

Linneus sine omni dubio sub hac specie duas species distinctas confudit, nam diagnosis, in Faunae editione altera exhibita, longe discedit a descriptione, illi diagnosi subjuncta; haec descriptio autem e Faunae editione prima desumta est. Una species (Faunae ed. prima) est *nigra; abdomine ferrugineo, apice nigro; pedibus ferrugineis, femoribus posticis nigris; aculeo fere longitudine abdominis.* Ad hanc, quae forsan vera *Pimpla* est, referri potest *Ichn. strobilellae* Villersii et Olivieri. Altera species (Faunae ed. 2) est *nigra; pedibus lutescentibus, posticorum tibiis tarsisque nigris alboannulatis; aculeo corpore longiore.* Huic, quae forsan *Ephialtes* est, respondent descriptiones reliquorum auctorum, a me interrogative adhibitorum. Ad primam illam forsan referri potest Ichn. quem Linneus in Actis Suec. 1736, pag. 125, n. 5 descripsit, licet apicis nigri abdominis nulla mentio facta sit.

141. I. RESINELLAE. L.

Abdomine sessili; niger, antennis basi luteis, pedibus flavis. m.

Corpus filiforme minutum. *Longitudo* 2—2½ linearum; (Scharfenb.). *Antennae* corpore longiores (L. Syst. Vill. Oliv.), subtus luteae (Thunb.). *Abdomen* subcylindricum, seu cylindricum incurvum, sessile.

Ichn. resinellae Linn. Faun. n. 1618. — Syst. nat. ed. XII, p. 936, n. 43; habitat in larvis Phalaenae resinellae.
„ Fabr. Syst. Ent. p. 338, n. 62. — Ent. Syst. p. 171, n. 157.
„ Müller Prodr. n. 1816.
„ Villers p. 170, n. 108.
„ Gmel. ed. Linn. p. 2694, n. 43.
„ Christ p. 373.
„ Oliv. p. 190, n. 135.
„ Cederh. p. 162, n. 500.
„ Walckenaer p. 61, n. 62.
„ Scharfenb. p. 959, n. 10.
Ichn. resinator Thunb. Ichn. n. 480.
Pimpla resinellae Fabr. Piez. p. 116, n. 18.

Nota:

Haec species sine dubio mas est cujusdam *Ephialtae* aut *Pimplae.* — Huc autem haud referri potest *Ichn. Resinellae* Schrankii, sed ad *Pimplam instigatorem.*

142. I. GROSSIPES. Oliv.

Niger, subopacus; femoribus posticis crassissimis fulvis, puncto albido.

Longitudo 3½ linearum. *Antennae* fere longitudine dimidii corporis. *Alae* nigricantes. *Pedes* postici coxis nigris, femorum longitudine et latitudine, femoribus ipsis valde incrassatis ovatis rufis,

subtus puncto flavo-albido apicali, tibiis nigris tenuibus arcuatis.

Ichn. Geoffr. p. 329, n. 18; habitat *Parisiis*.
Ichn. crassipes Fourcr. p. 399, n. 18.
„ Vill. p. 188, n. 168; forsan Sphex (?).
Ichn. grossipes Oliv. p. 207, n. 8.

Nota:

Haec species forsan ad *Exochos* referenda est. — Sed *Ichneum. crassipes* Rossi, Olivieri, Walckenaeri, nostrae *Pimplae flavicanti* respondet; *Ichn. crassipes* Gmelini autem est noster *Ichn. crassipes.*

143. I. EXSICCATOR. Rossi.

Thorace subbispino; ater, pedibus rufis, tibiis posticis nigris.

Affinis *Ichneum. compunctori* (?). *Longitudo* 5 linearum. *Caput* palpis longis setaceis subpallidis. *Antennae* dimidio corpore breviores. *Thorax* postice denticulis duobus instructus. *Abdomen* subfalcatum (?). *Aculeus* longitudine corporis.

Ichn. exsiccator Rossi n. 765; *habitat* ruri.
„ Oliv. p. 214, n. 43.

144. I. CAVATOR. Vill.

Niger, petiolo cavato, pedibus fulvis, coxis posticis crassis.

Magnus. *Pedes* coxis posticis nigris longissimis crassis. *Abdomen* latum, petiolo foveolato. *Aculeus* thorace brevior.

Ichn. cavator Vill. pag. 196, n. 201; *habitat* in nemoribus prope Lugdunum.
„ Oliv. p. 218, n. 68, (a sequente differt).

145. I. CAVATOR. Müll.

Niger, pedibus fulvis, patellis nigris extrorsum puncto albo excavatis.

Ichn. cavator Müll. Prodr. n. 1823 (a specie antecedente diversus).

146. I. IMITATOR. Vill.

Niger, pedibus rufis.

Similis *Ichn. manifestatori;* etiam pedes intermedii a primis remotiores. *Pedes* postici elongatissimi. *Aculeus* brevissimus.

Ichn. imitator Vill. pag. 197, n. 202; in *Bressiae* nemoribus.
„ Oliv. pag. 218, n. 69; in nemoribus prope Lugdunum.

Nota:

Ichneum. manifestator Villersii haud noster Ephialtes est, sed nostro *Mesosteno gladiatori* respondet.

147. I. ABROGATOR. Schrank.

Abdomine ovato; niger, pedibus ferrugineis. f.

Simillimus *Ichn. praerogatori*, sed abdomine ovato differt. *Longitudo* 2½ linearum. *Antennae* corpore paulo longiores. *Aculeus* vix lente visibilis.

Ichn. abrogator Schrank Austr. n. 740.
„ Gmel. ed. Linn. p. 2697, n. 171.
„ Vill. p. 183, n. 146; tibiis tarsisque posticis nigris.
„ Oliv. p. 222, n. 93.

Nota:

Speciem hanc Schrankianam, nisi nimis parva descripta et cum *Ichn. praerogatori* (nostro *Tryphone pr.*) comparata esset, pro *Ichn. castigatore* habere possem.

148. I. HAEMATOPUS. Schrank.

Niger, pedibus rufis, tarsis posticis albidis. m. f.

Abdomen subcompressum, sensim dilatatum. *Aculeus* perbrevis.

Ichn. haematopus Schrank iter bavar. p. 260. — Boica n. 2057; *habitat* circa Possenhofen et Ingolstadt.

„ Gmel. ed. Linn. p. 2677, n. 84, (nec p. 2705, n. 330, qui *Alysia manducator* esse videtur).

Nota:

Haec species, quae in Systemate Gmeliniano in sectionem Ichneumonum, scutello et antennarum annulo albis, deerravit, *Banchus* esse videtur. Nisi Schrank sexus ambo ejus vidisset, marem pro *Crypto parvulo* aut pro *Exetaste clavatore* haberem.

149. I. XANTHOGASTRIUS. Schrank.

Niger, ventre basi flavo, pedibus rufis, coxis posterioribus canaliculatis. f.

Simillimus *Ichn. ventrifascio* (nostrae *Lissonotae hortorum*), sed minor. *Longitudo* 2½ linearum. *Antennae* subtus fuscae. *Pedes* rufi, coxis posterioribus externe canaliculo longitudinali obscuriore. *Aculeus* corpore paulo longior.

Ichn. xanthogastrius Schrank Boica, n. 2099.

150. I. TRICHOPUS. Schrank.

Niger; pedibus fulvis, posticis tibiis albis apice tarsisque nigris. m. f. (*Femina* thorace maculato.)

Caput puncto faciali albo; clypeo palpis et mandibularum apice flavis. *Thorax* maris immaculatus, feminae lineola flava ante alas. *Pedes* flavo-albidi, coxis haud exceptis; postici tibiis albis, apice et tarsis nigricantibus. *Aculeus* brevissimus.

Varietas feminae: *capite* nigro, orbitis oculorum internis albis; *ventre* segmento 1 toto, 2 basi, sequentibus marginibus, lacteis.

Ichn. trichopus Schrank Boica, n. 2100; *habitat* circa Ingolstadt, mense Maji.

Nota:

Conferatur noster *Tryphon flavocinctus.*

151. I. ULMANAE. Schrank.

Niger, antennis subtus ferrugineis; pedibus fulvis, tarsis posticis nigris. m.

Longitudo 5 linearum. *Caput* palpis cereoflavis. *Pedes* fulvi, tibiis tarsisque anterioribus, nec non tibiarum posticarum basi, flavis, tarsis posticis nigris. *Abdomen* cylindricum, ventre concavo, medio carinato.

Ichn. ulmanae Schrank Boica, n. 2127; lectus mense Iulii; larva degit in larvis *Tortricis ulmanae.*

Nota:

Mas esse videtur cujusdam Ephialtae aut Pimplae.

152. I. CARPINELLAE. Schrank.

Niger; pedibus anterioribus flavis, posticis fulvis, tibiis tarsisque albo-nigroque annulatis. m.

Longitudo 2¼ linearum. *Caput* palpis flavis. *Alae* hyalinae, stigmate fulvo, nervis tenuibus nigris. *Abdomen* lanceolatum, petiolo brevi.

Ichn. carpinellae Schrank Boica, n. 2129; larva degit in larvis *Tineae carpinellae.*

Nota:

Conferatur *Campoplex tibialis.*

153. I. FUMOSUS. Fourc.

Niger laevis, thorace antice pedibusque fuscis (ferrugineis?). f.

Longitudo 2 linearum. *Antennae* nigrae, longitudine dimidii corporis. *Abdomen* ovatum breve nigrum, segmento secundo basi subfusco. *Aculeus* longitudine tertiae partis abdominis.

Ichn. Geoffroi pag. 353, n. 72; erupuit e nido araneae, cujus ova comederat; affinis est Ichneumonibus quorum feminae apterae sunt (*Pezomachis*).

Ichn. fumosus Fourcr. p. 418, n. 73.

Nota:

Haec species *Hemiteli bicolorino* affinis esse videtur. — Conferatur *Ichn. aranearum* Fourcr. (in hujus sectionis divisione quarta).

154. I. IMMINUITOR. Chr.

Niger, pedibus totis fulvis. m. f.

Longitudo 7 linearum. *Antennae* longae setaceae. *Alae* hyalinae, radicem versus flavescentes, stigmate nigro. *Pedes* toti rufo-fulvi. *Abdomen* fusiforme, capitis thoracisque longitudine et latitudine, nigrum, ventre flavo, petiolo brevissimo tenui. *Aculeus* longitudine 1½ linearum. — *Mas* feminae similis.

Ichn. imminuitor Christ pag. 369, tab. 39, fig. 5; larva mutationem subit in pupis *Bomb. neustriae.*

155. I. VIGILANS. Chr.

Niger, pedibus fulvis. m. f. (*fem.* vitta laterali abdominis flava).

Similis praecedenti (an ejus varietas?). *Longitudo* 8 linearum. *Alae* a radice ad medium usque

flavo-fumatae, stigmate nigro. *Pedes* toti fulvo-rufi. *Abdomen* maris gracilius, totum nigrum, feminae utrinque vitta laterali pallide flava.

Ichn. vigilans Christ p. 370, tab. 39, fig. 6 fem., fig. 7 mas; ova ponit in pupas recentes et molles papilionum.

156. I. RIXATOR. Schell.

Abdomine longo cylindrico; niger, capite thoraceque maculatis, pedibus rufis.

Longitudo 15 linearum. *Caput* orbitiso culorum et palpis flavis. *Antennae* porrectae, dimidio corpore paulo longiores. *Thorax* gibbus, lineis duabus longitudinalibus dorsalibus, maculisque tribus infra alas, flavis. *Alae* fumatohyalinae, stigmate fusco, areola triangulari. *Pedes* mediocres, toti rufi. *Abdomen* sessile gracile subcylindricum, capite thoraceque fere quadruplo longius, thorace angustius.

Ichn. rixator Schellenb. pag. 23, tab. 9; captus mense Iunii prope *Winterthur* in sylva abiegna.

157. I. MODERATOR. Ot. Fabr.

Niger, pedibus rufis. m. f. (*mas* facie flavo-lineata; *fem.* aculeo longitudine abdominis).

Longitudo 6 linearum. *Caput* palpis longiusculis setaceis; mari lineis duabus frontalibus (orbi-

tis internis?) maxillisque flavicantibus. *Antennae* capite thoraceque longiores, erectae, setaceae, apice curvatae, fuscae, articulo primo nigro. *Thorax* sulcis duobus lateralibus, postice in angulum fere coeuntibus (suturis lateralibus). *Alae* erectiusculae, hyalinae, nervis ferrugineis, stigmate nigro. *Pedes* longi rufi, pallide-ferruginei, coxis glabris nigerrimis. *Abdomen* petiolatum subfalcatum, fere cylindricum, apice tamen acuminato. *Aculeus* vix abdomine longior, niger, terebra obscuro-ferruginea.

Ichn. moderator Fabr. Fn. Groenl. p. 198, n. 154; *habitat* passim in sinubus, imprimis in empetro nigro mense Iunio obvius, non tamen numerosus. Alas suas erigens continuo motitat abdomenque incurvat. — Descriptio *moderatoris* auctorum non quidem in omnibus quadrat, nec tamen alia magis. Primo illum pro *Ichn. manifestatore* habui (confer. Müll. Prodr. n. 1809), sed hoc deinde viso per comparationem aliter convictus sum. An igitur sit Ichneumon groenlandicus hactenus ignotus determinabit descriptio modo exhibita.

Nota:

Haec species vix ad *Ichn. moderatorem* auctorum (de quo conferatur noster *Porizon moderator*) referri potest, sed nostrae *Lissonotae sulphuriferae* responderet, nisi abdomen petiolatum esset.

158. I. *Frischii* IV, p. 5.

Niger, pedibus luteis, (*femina* cingulo abdominis ferrugineo).

Longitudo 2 linearum. *Antennae* porrectae. *Abdomen* maris petiolo longiore quam femina.

Ichn. Frisch IV, pag. 5, tab. III; hi Ichneumones nati sunt e larvis viridibus *Tineae* cujusdam (ferrugineae, apicibus alarum fusco-nigris, corpore argenteo, alis inferis ciliato-fimbriatis) in Brassica degentibus.

Nota:

Ex icone alarum feminae patet, hanc esse e genere *Hemitelium*; de mare incertus sum. — Conferantur *Hemiteles tristator*, *Mesoleptus evanialis*, *Stilpnus blandus*.

159. I. SALTATOR. Müll.

Thorace pallide-flavo, abdomine nigro; pedibus pallidis.

Ichn. saltator Müll. Prodr. n. 1827.

Nota:

De *Ichn. saltatore* auctorum conferre velis nostrum *Porizonem saltatorem*.

160. I. ANNULATOR. Müll.

Niger, pedibus flavis, femoribus tibiisque posticis annulo nigro.

Ichn. annulator Müll. Prodr. n. 1837.

Nota:

Conferantur *Orthocentrus merula* et *Campoplex varipes.* — De Ichn. annulatore auctorum conferas nostrum *Ichn. annulatorem.*

161. I. BELLATOR. Müll.

Niger; abdomine petiolato cylindrico, aculeo recurvato; pedibus ferrugineis.

Ichn. bellator Müll. Prodr. n. 1840.

Nota:

Conferatur noster *Porizon claviventris.* — Cave ne cum hoc Ichneumone Mülleri confundas *Ichneum. bellatorem*, seu nostram *Lissonotam bellatorem.*

162. I. VARIUS. Müll.

Abdomine falcato, subtus flavo; antennis nigris, thorace variegato, pedibus rubellis.

Ichn. varius Müll. Prodr. n. 1852 (de Ichn. vario auctorum conferatur nostra *Pimpla flavicans*).

163. I. VARIUS. Gmel., n. 275.

Niger, capite thoraceque ferrugineo-variis; alis ferrugineis, apice hyalinis; pedibus rufis, tibiis tarsisque posterioribus (posticis Leske) ferrugineis.

Ichn. Leske p. 61, n. 208.
Ichn. varius Gmel. ed. Linn. p. 2699, n. 275 (haud Gmel. p. 2700, n. 282. — De Ichn. vario auctorum conferas *Pimplam flavicantem*).

164. I. VARIUS. Gmel., n. 282.

Niger, facie maxillis et antennis subtus basi albis, pedibus fulvis, posticis nigris, geniculis rufis.

Ichn. Leske p. 62, n. 217.
Ichn. varius Gmel. ed. Linn. p. 2700, n. 282. (Conferatur species antecedens et nostra *Pimpla flavicans*).

165. I. DEUSTUS. Gmel.

Niger, facie ore et lineola ante alas flavis; pedibus rufis, tibiis et tarsis albis, apicibus nigris.

Ichn. Leske p. 62, n. 224.
Ichn. deustus Gmel. ed. Linn. p. 2701, n. 288.

166. I. NIGRICANS. Gmel.

Niger, pedibus rufis, tibiis posticis (posterioribus Gmel.) albis, apice plantisque nigris.

Ichn. Leske p. 63, n. 243.
Ichn. nigricans Gmel. ed. Linn. p. 2702, n. 300.

Nota:

Conferatur *Campoplex majalis.*

167. I. MOERENS. Gmel.

Niger; pedibus anterioribus rufis, femoribus basi nigris, posticis nigris, tibiis fusco-rufis, metatarsis albis.

Ichn. Leske p. 64, n. 251.
Ichn. moerens Gmel. ed. Linn. p. 2703, n. 307.

168. I. LEUCOPALPUS. Preys.

Ater, antennis piceis, palpis albis, pedibus rufis.

Longitudo 2⅔ linearum. *Caput* thorace latius; palpis albis triarticulatis (?) filiformibus tenuibus, anticis posticis duplo longioribus. *Antennae* filiformes, longitudine corporis, piceae, basin versus pallidiores. *Thorax* gibbulus. *Alae* hyalinae, nervis et stigmate fuscis, radice albida. *Abdomen* cylindricum falcatum (curvatum?) subpetiolatum, incisuris profundis. *Aculeus* brevis.

Ichn. leucopalpus Preysler in Maier Aufs. III p. 173, n. 8; rarus ad muros et saepes in hortis, larvas investigans.

169. I. OCHROCERCUS. Gmel.

Niger, femoribus flavis; tibiis albis, posticis et plantis flavo-annulatis (nigro-annulatis?).

Ichn. Leske p. 66, n. 275.
Ichn. ochrocercus Gmel. ed. Linn. p. 2705, n. 327.

Nota:

Haec species, si plantae posticae nigro-annulatae essent, uti suspicor, pro varietate *Pimplae graminellae* haberi posset.

170. I. MELANOLEUCUS. Gm.

Niger, orbitis oculorum internis et labio (clypeo?) albis; pedibus rufis, geniculis albis.

Ichn. Leske p. 66, n. 283.
Ichn. melanoleucus Gmel. ed. Linn. p. 2706, n. 335.

171. I. STRAMINEUS. Gm.

Minutus niger, facie oreque flavis; pedibus anterioribus fulvis, femorum basi pallide flava, posticis rufis.

Ichn. Leske p. 70, n. 345.
Ichn. stramineus Gmel. ed. L. pag. 2720, n. 390.

172. I. *Leske n.* 359.

Minutus niger, pedibus testaceis, aculeo abdomine longiore.

Ichn. Leske p. 71, n. 359.
Ichn. simplex var. Gmel. ed. L. p. 2721, n. 399 (*Ichn. simplex* genuinus differt antennis quoque testaceis; confer nostram Sectionem quintam).

173. I. HETEROGONUS. Gm.

Minutus niger; pedibus anterioribus testaceis, posticis fuscis, geniculis albis.

Ichn. Leske p. 70, n. 356.
Ichn. heterogonus Gmel. ed. L. p. 2721, n. 401.

174. I. SULPHUREUS. Gm.

Minutus niger; pedibus anterioribus luteis, posticis rufescentibus, ventre flavescente.

Ichn. Leske p. 71, n. 369.
Ichn. sulphureus Gmel. ed. L. p. 2722, n. 411.

175. PIMPLA DENTATOR. F.

Atra, femoribus rufis, posticis unidentatis. m. f.

Minor Pimpla manifestatore. *Caput* cum antennis atrum, palpis elongatis flavescentibus.

Thorax trilobus, lobo antico maris prominente. *Pedes* rufi; femoribus posticis acute dentatis, mari inermibus. *Aculeus* elongatus.

Pimpla dentator Fabr. Piez. p. 114, n. 7; habitat in *Moravia*.

176. BANCHUS ELATOR. F.

Ater, pedibus rufis, stigmate flavo.

Parvus. *Caput* labio (clypeo?) cinereo-pubescente. *Thorax* et *abdomen* atra nitida. *Alae* hyalinae, stigmate flavo, radio nigro. *Pedes* rufi, tibiis posticis basi flavescentibus.

Banchus elator Fabr. Piez. p. 128, n. 7; habitat in *Austria*.

177. OPHION NUNCIATOR. F.

Abdomine subcompresso; niger; pedibus rufis, tibiis posticis nigris. f.

Ichneumone castigatore minor. *Caput* palpis solis rufescentibus. *Alae* hyalinae, stigmate nigro. *Pedes* rufi, tibiis posticis totis nigris. *Abdomen* subcompressum. *Aculeus* longitudine abdominis.

Ichn. nunciator Fabr. Ent. Syst. p. 166, n. 137; habitat in *Germania*.

Ichn. nunciator Jurine p. 107; areola alarum parva.
Ophion nunciator Fabr. Piez. p. 134, n. 21.
„ Latreille Crust. XIII, p. 179.

178. ICHN. *Leske n.* 366.

Minutus niger; antennarum basi pedibusque rufescentibus; aculeo abdomine longiore.

Ichn. Leske p. 71, n 366.
Ichn. rufulus Gmel. ed. L. p. 2717, n. 362 var. η (conferatur noster *Cryptus rufulus*).

179. I. LINGULATOR. Vill.

Fuscus, pedibus variegatis, alis maculatis.

Longitudo fere 3 linearum. *Antennae* curvatae, corpore longiores, nigricantes. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, lingulaeforme, crassum, infra planum. *Aculeus* longitudine corporis, niger, vaginis rubellis (?)

Ichn. lingulator Vill. p. 194, n. 193, tab. 8, fig. 5; *habitat* in Gallia, prope Nemausum.
„ Oliv. p. 217, n. 60.

---

2. ABDOMINE RUFO AUT FLAVO.

De affinitatibus hujus divisionis cum divisione 2 *sectionis III*, et cum *divisione* 1 hujus sectionis IV, has conferre velis. — Ad *divisionem* 3 adpropinquant: *Ichn. posticus* Fourcr., n. 180, abdomine ferrugineo, segmentis primis pertenuibus nigris; *Ichn. turca* Schrank, n. 182, abdomine fulvo, petiolo nigro; *Ichn. raptor* Müll., n. 186, abdomine lutescente marginibus nigris; *Ichn. carinator* F., n. 205, abdominis petiolo nigro, basi segmentorum 2 et 3 nigromaculata; ex ista divisione 3 autem *I. praeustus* Gmel., n. 247, abdomine rufescente, petioli apice et segmento primo antice nigris, huic divisioni 2 respondet. — Ad *divisionem* 4 propius accedit *Anomalon aphidum* Panz., n. 195, abdomine luteo, segmentis 2—7 nigromarginatis. — Ad *divisionem* 6 spectat *Cryptus lucidator* F., n. 194, abdomine subferrugineo, segmento 1 nigro, ultimis obscurioribus ano albo. — Ad *sectionis V* divisionem 2 adpropinquant: *Ichn. rufi* Retz, n. 192, femina, antennis rufescentibus (mas antennis fuscis differre fertur); *Ichn. longipalpis* Gmel., n. 188, abdomine et antennis fuscoferrugineis; *Ichn. urticae* Fourcr., n. 181, abdomine et antennis ferrugineo-fuscis; nisi forsan hae duae species divisioni 1 sectionis *V* melius respondeant. Ad divisionem 3 sectionis V spectare videtur *Ichn. turca* Schrank, n. 182, propter antennas sordide luteas.

180. I. POSTICUS. Fourcr.

Niger, pedibus abdomineque ferrugineis, petiolo nigro.

Longitudo $2^2/_3$ linearum. *Antennae* longitudine dimidii corporis. *Abdomen* segmentis primis pertenuibus nigris. *Aculeus* longitudine dimidii abdominis.

Ichn. Geoffr. p. 355, n. 76, habitat *Parisiis.*
Ichn. posticus Fourcr. p. 419, n. 77.
Ichn. profusor Oliv. p. 210, n. 23.

181. I. URTICAE. Fourcr.

Niger, antennis pedibus et abdomine ferrugineo-fuscis. f.

Longitudo 3 linearum. *Antennae* corpore dimidio longiores. *Alae* subfumato-hyalinae. *Aculeus* corpore paulo longior.

Ichn. Geoffr. p. 357, n. 81.
Ichn. Urticae Fourcr., p. 421, n. 82.
„ Oliv. p. 211, n. 27; habitat *Parisiis.*

182. I. TURCA. Schrank.

Niger, lunulis duabus faciei tibiisque flavis, femoribus abdomineque fulvis. m.

Major quam Ichn. harpurus. *Longitudo* ultra $3^1/_2$ lineas. *Caput* lunulis duabus faciei, mandi-

bulisque flavis. *Antennae* sordide luteae. *Abdomen* segmento primo petiolari nigro, 2 superne macula nigra; ultimis obscurioribus sordidis; ventre a petiolo ultra medium cereo-flavo.

Ichn. turca Schrank Boica, n. 2111; mense Iulii, circa *Ingolstadt.*

183. I. FUSCICORNIS. Schrank.

Ferrugineus, antennis fuscis, oculis ocellisque nigris. f.

Longitudo 3½ linearum. *Corpus* subsericeum. *Pedes* unguibus nigris. *Abdomen* sessile lanceolatum. *Aculeus* longitudine ⅓ lineae.

Ichn. fuscicornis Schrank Boica, n. 2123 (conferatur nota ad nostrum *Mesoleptum fuscicornem*).

184. I. OBSCURATOR. Panz.

Ater; abdomine clavato pedibusque rufis.

Descriptio ex icone Schaefferiana haec est: *Longitudo* 5 linearum. *Antennae* porrectae, longitudine 3 linearum. *Thorax* puncto albo ad radicem alarum (alteroque scutellari. ?) *Pedes* rufo-ferruginei, coxis et trochanteribus nigris. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine,

ovatum, petiolatum aut subpetiolatum, rufum, petiolo obscuriore.

Ichn. obscurator Panz. ad Schaeff. Ic. tab. 41, fig. 10 et 11 (haud *Ichn. obscurator* Gm., de quo conferas horum Suppl. Ichn. 37 [b.]).

185. I. EXARATOR. L.

Piceus immaculatus, abdomine femoribusque clavatis.

Corpus parvum angustum. *Caput* palpis setaceis. *Alae* macula (stigmate?) nigra albaque. *Pedes* longiusculi. *Aculeus* corpore longior.

Ichn. exarator Linn. Fauna, n. 1614. — Syst. nat. ed. XII, p. 935, n 39; *habitat* in pratis.
„ Gmel. ed. Linn. p. 2693, n. 39.
„ Vill. p. 169, n. 104; *habitat* in Gallia (Ichn. Geoffroi, n. 19 huc haud spectat, sed ad nostrum *Pachymerum arcuatum*).
„ Christ p. 372.
„ Bechst. p. 957, n. 6; habitat in Germania, investigans larvas *Bombycis Monachae.*
„ Thunb. Ichn., n. 486.

Nota:

Quaeritur, num haec species sit affinis *Crypto clavato* Panzeri (*Spathio* N. ab Esenb.), de quo conferre velis quae ad *Ichn. extensorem* Latr.

(horum suppl., n. 138) monui. Species Bechsteiniana forsan ab Ichn. exaratore reliquorum auctorum differt.

186. I. RAPTOR. Müll.

Lutescens, antennis fuscis; thorace abdominisque petiolati marginibus nigris.

Ichn. raptor Müll. Prodr., n. 1836.

187. I. CULTRATUS. Gmel.

Scutello elevato, niger, orbitis supernis et posticis ore pedibusque flavis; abdomine cultrato ferrugineo, petioli apice et segmentorum 2 et 3 dorso flavis.

Ichn. Leske p. 61, n. 204.
Ichn. cultratus Gmel. ed. Linn. p. 2699, n. 272.

Nota:

Alterum *Ichn. cultratum* Gmelin l. c. p. 2708, n. 350, exhibuit, qui noster *Banchus pictus* est. Sed hic quoque nostris Banchis, imprimis *falcatori*, affinis esse videtur, colore abdominis discedens.

188. I. LONGIPALPIS. Gm.

Niger, facie antennis et abdomine fusco-ferrugineis, palpis longissimis; pedibus flavis, tibiis posticis apice fuscis; aculeo abdomine compresso dimidio longiore.

Ichn. Leske p. 64, n. 256.
Ichn. longipalpis Gmel. ed. Linn. p. 2703, n. 312.

189. I. CHRYSOPUS. Gm.

Niger, antennarum basi oreque rufescentibus; pedibus flavescentibus, femoribus posticis rufo-fuscis, abdomine fusco-lutescente, petiolo nigro.

Ichn. Leske p. 66, n. 286.
Ichn. chrysopus Gmel. ed. Linn. p. 2706, n. 337; (haud confundi debet cum Ichn. chr. Gm. p. 2702, n. 296, qui est noster *Tryphon chrysopus*).

190. I. TRIANGULUM. Gm.

Minutus niger, alis fumatis, pedibus lividis; abdomine luteo, basi macula trigona nigra; aculeo mediocri.

Ichn. Leske p. 69, n. 333.
Ichn. triangulum Gmel. ed Linn. p. 2719, n. 379 (an generis *Braconum?*).

191. I. PICATUS. Gm.

Minutus piceus glaber, pedibus testaceis; abdomine subovato, utrinque acuminato.

Ichn. Leske p. 71, n. 357.
Ichn. picatus Gmel. ed. Linn. p. 2721, n. 402.

192. I. RUFUS. Retz.

Rufus, corpore fusiformi.

Longitudo 3 linearum. *Caput* oculis nigris. *Antennae* longitudine corporis, mari fuscae, feminae rufescentes. *Alae* nervis nigris. *Abdomen* petiolatum fusiforme, reliquo corpore paulo obscurius. *Aculeus* niger, longitudine abdominis.

Ichn. Degeer p. 596, tab. 44, fig. 11—13. Larva degit in larvis *Zigaenae filipendulae;* ad mutationem subeundam folliculum sibi conficit ovatum flavescentem, filo tenui, circiter 2 lineas longo suspensum).
Ichn. rufus Retz p. 68, n. 270.
„ Vill. p. 218, n. 277.

Nota:

Latreille, in Nouv. Dict. hanc speciem in familiam *Mystacinorum* (Braconum et Pimplarum) collocavit. — Conferatur sp. insequens.

193. I. PENDULATOR. Latr.

Dilute rufus, antennis nigricantibus; abdomine elliptico petiolato, segmento primo nigro striato.

Ichn. pendulator Latr. Crust. XIII p. 181, n. 8; folliculus nymphae filo longo ad folium suspensus est.

Nota:

Auctor ad hunc Ichneumonem adhibet speciem antecedentem Degeeri, quam conferre velis.

194. CRYPTUS LUCIDATOR. F.

Flavus; thoracis dorso et segmento primo nigris.

Parvus. *Caput* flavum, ore et antennis nigris. *Thorax* niger immaculatus. *Pedes* flavi, plantis albis. *Abdomen* subferrugineum; segmento 1 nigro, ultimis obscurioribus ano albo.

Ichn. lucidator Fabr. Ent. p. 170, n. 152; habitat in *Selandia*.
Cryptus lucidator Fabr. Piez. p. 88, n. 75.

195. ANOMALON APHIDUM. Pz.

Luteum; occipite, metathorace, segmentorumque posticorum margine, nigris.

Longitudo perpaulo ultra 1 lineam. *Caput* luteum, ore pallidiore, occipite nigro, oculis magnis exsertis fuscis. *Antennae* filiformes, dimidii corporis longitudine, porrectae, nigrae. *Thorax* gibbus luteus nitidus, metathorace et scutello nigris. *Alae* hyalinae irideae; stigmate magno fusco; areola nulla. *Pedes* toti lutei. *Abdomen* compressum falcatum petiolatum nitidum, capite thoraceque paulo longius, luteum, segmentis posticis (4—7) margine nigris; segmento 1 apicem versus sensim paulo dilatato, latitudine quadruplo longiore.

Anomalon aphidum Panz. Fauna fasc. 95, tab. 13; *habitat* in pupis Aphidis Pini sylvestris (?), cui maxime infesta.
„ Jurine p. 116.

196. I. NOMINATOR. F. Pz.

Luteus, nigro-maculatus; alis fuscis, lunula alba.

Descriptio iconis Panzerianae haec est: *Longitudo* fere 3 linearum. *Caput* orbiculatum, luteum; macula verticis oculisque nigris. *Antennae* fere longitudine corporis, nigrae. *Thorax*

(luteus, macula marginis antici, duabus oblongis ante alas, sub scutelloque, nigris Fabr.) niger; prothoracis vitta dorsali, antice furcata, lateribusque ante alas, luteis. *Scutellum* nigrum. *Alae* fuscohyalinae irideae, stigmate et radio nigris, macula alba sub stigmate; areola parva. *Pedes* (lutei, tibiis posticis nigris Fabr.) lutei; medii coxis et tarsis, postici coxis tarsis et tibiis, nigris. *Abdomen* (luteum, segmentis 1 et 2 macula dorsali, ultimis maculis duabus, nigris, Fabr) subsessile fusiforme, capite thoraceque angustius et longius, luteum; segmento primo basin versus sensim angustato, latitudine perparum longiore, macula dorsali nigra. *Aculeus* niger, corpore paulo longior.

Ichn. nominator Panz. Fauna, fasc. 79, tab. 10; lectus quotannis in *corylo;* aphidophilus.

Nota:

Fabricius, in Systemate Piezatorum, pag. 104, Panzer quoque, in Revisione p. 76, Jurine p. 118, aliique auctores, *nominatorem* ad genus *Braconum* redegerunt. Individuum nostri musei verus est Bracon Jurineanus, differt autem ab icone Panzeriana non solum cellulis alarum, sed etiam magnitudine 4 linearum, scutello rufo, segmentis 1 et 2 macula una, segmentis 4—6 maculis duabus, in fasciam subconfluentibus, nigris. His notis autem melius Braconi nominatori Fabricii respondet.

Nihilominus credere mallem, iconem Panzerianam ad Braconem nominatorem Fabr. adhibendam esse, alas autem, incuria delineatoris, vitiose exhibitas esse.

197. CRYPTUS ARMATOR. Fabr.

Ater, pedibus abdomineque rufis, segmento primo nigro. f.

Statura omnino *Crypti titillatoris*, at paulo minor. *Caput* et *thorax* atra immaculata. *Abdomen* petiolatum. *Aculeus* exsertus brevis niger.

Cryptus armator Fabr. Piez. p. 86, n. 69 (conferantur synonyma ad nostrum *Hoplismenum perniciosum*); habitat in *Moravia*.

198. CRYPTUS RECREATOR. Fabr.

Ater, pedibus anterioribus ferrugineis; abdomine rufo, petiolo atro. f.

Major. *Caput antennae thorax* atra immaculata. *Pedes* antici quatuor ferruginei, postici nigri. *Abdomen* ovatum ferrugineum, petiolo toto atro. *Aculeus* fere longitudine abdominis, ater.

Cryptus recreator Fabr. Piez. p. 85, n. 63; habitat in *Austria*.

199. I. FULIGINOSUS. Gmel.

Minutus niger; abdomine ferrugineo-fusco, aculeo longitudine abdominis.

Ichn. fuliginosus Gmel. ed. Linn. p. 2720, n. 395.

200. I. FLAVESCENS. Gm.

Minutus niger; ore et pedibus flavescentibus, femoribus posticis fusco-luteis; segmento 1 apice flavescente, sequentibus luteis; aculeo brevi.

Ichn. Leske p. 70, n. 341.
Ichn. flavescens Gmel. ed. Linn. p. 2720, n. 386.

201. I. CHRYSOGASTER. Gm.

Niger; antennis alis et pedibus fuscescentibus, abdomine flavo subsessili; aculeo abdomine longiore.

Ichn. Leske p. 65, n. 270.
Ichn. chrysogaster Gm. ed. Linn. p. 2705, n. 323, (an generis *Braconum?* — Alius est *Ichneum. chrysogaster* Gmel. p. 2709, n. 359, de quo conferatur noster *Tryphon praerogator*).

202. I. QUADRIMACULATUS. Gm.

Niger; ore, maculis quatuor faciei, basique antennarum, albis; pedibus anterioribus pallide flavis, posticis ſemoribus tibiis tarsisque fuſcescentibus, plantis albis; abdomine ferrugineo, petiolo nigro.

Ichn. Leske p. 63, n. 248.
Ichn. quadrimaculatus Gmel. ed. Linn. p. 2702, n. 304.

203. I. MELANURUS. Gm.

Niger; abdomine ferrugineo, petiolo caudaque brevi (aculeo) nigris.

Ichn. Leske p. 61, n. 206.
Ichn. melanurus Gmel. ed. Linn. p. 2699, n. 274.

204. I. INCRASSATOR. Müll.

Niger; abdomine supra ferrugineo, infra pedibusque luteis, ſemoribus posticis nigris.

Ichn. incrassator Müll. Prodr. n. 1826.

205. I. CARINATOR. Fabr.

Niger, capite thoraceque maculatis, pedibus anterioribus abdomineque ferrugineis, petiolo nigro.

Descriptio Trentepohliana haec est: Admodum ſimilis *Ichn. restauratori,* sed minor. *Longitudo*

5½, latitudo 8 linearum. *Caput* orbitis frontalibus et posticis tenuissimis albis; facie alba, medio nigra; labio superiore (clypeo) atro, utrinque albido, puncto minuto nigro; mandibulis medio albidis, palpis fuscescentibus. *Antennae* porrectae nigrae, articulo 1 subtus albido. *Thorax* ater lineola ante alas, alia infra alas, duabusque aliis ante scutellum atrum, albis. *Alae* hyalinae limpidae; stigmate nigro, incisura parva albida; nervis omnibus nigris. *Pedes* anteriores dilutissime ferruginei, latere posteriore nigricantes, trochanteribus et coxis nigris, his subtus puncto albido; postici toti nigri. *Abdomen* obscure ferrugineum; petiolo nigro (brevi, lineis duabus elevatis carinato Fabr.), haud distinctius bicarinato quam in plurimis cospeciebus; segmentis 2 et 3 basi maculis triangularibus, in medio obsoletis, nigris, reliquis obscurius quoque ferrugineis; ventre nitido ferrugineo.

Ichn. carinator Fabr. Ent. Suppl. p. 225, n. 127.
— Piez. p. 67, n. 70; habitat in *Italia.*
„ Trentep. in Isidis 1826, p. 238.

Nota:

Haec species, inter nostras, *Ichn. leucolomio, microsticto, rufino* et *sereno* affinis esse videtur; nulla earum vero ad illam satis quadrat.

206. I. TORNATOR. Panz.

Ater; abdomine pedibusque ferrugineis; segmento 1 femoribusque posticis nigris.

Longitudo 8 linearum. *Antennae* porrectae, 6 lineas longae. *Alae* stigmate fusco. *Pedes* ferruginei; coxis et trochanteribus omnibus, femoribus posticis, basique femorum mediorum, nigris. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, ovatum petiolatum ferrugineum, segmento 1 nigro. *Aculeus* 2 lineas longus.

Ichn. tornator Panz. ad Schaeff. Ic. tab. 61, fig. 5; habitat ruri.

Nota:

Icon, statura et proportione partium, optime convenit cum nostro *Mesosteno ligatore*, sed colore discrepat. — Cave ne hanc speciem confundas cum *Crypto tornatore* Fabr. seu *Ichn. tornatore* Thunb. qui americanus est.

207. I. TITILLATOR. Panz.

Niger, pedibus anterioribus abdomineque rufis, segmento primo nigro.

Longitudo 8 linearum. *Antennae* porrectae, 6 lineas longae. *Pedes* postici nigri (tarsis, teste Panzero ad Schaeff. tab. 6, fig. 11, in pictura originali albis). *Abdomen* capite thoraceque paulo lon-

gius pauloque angustius, subpetiolatum, rufum, segmento primo nigro.

Ichn. titillator Panz. ad Schaeff. Ic. tab. 6, fig. 11, et tab. 107, fig. 4.

Nota:

Icones *Tryphonibus* respondere videntur. — Conferatur nota ad nostrum *Cryptum titillatorem.*

208. I. DEVASTATOR. Schrank.

Niger; pedibus et abdomine ferrugineis, petiolo et femoribus posterioribus nigris; alis fuscescentibus.

Longitudo 3⅓ linearum. *Antennae* attenuatae, longitudine dimidii corporis. *Pedes* ferruginei; femoribus posterioribus nigris, juncturis (geniculis?) tamen ferrugineis. *Abdomen* petiolatum. *Aculeus* vix lente conspicuus.

Ichn. devastator Schrank Austr. n. 741.
„ Gmel. ed. Linn. p. 2697, n. 172.
„ Oliv. p. 222, n. 94.

Nota:

Schrank in Fauna Boica hanc speciem cum varietate D. *Ichn. ceparum* conjunxit, de quo vide divisionem sequentem horum supplementorum. — Conferatur noster *Mesoleptus laetus.*

209. I. TERREFACTOR. Vill.

Testaceus, capite thoraceque nigro-maculatis; antennis tarsis et tibiis posticis nigris.

Longitudo 6 linearum. *Caput* globosum testaceum, in medio (vertice?) macula nigra angulata; oculis nigris. *Antennae* corpore breviores, porrectae nigrae. *Thorax* subcylindricus testaceus; lineis seu maculis longitudinalibus, quarum latitudo inaequalis, maculaque supra petiolum, nigris. *Pedes* testacei, tarsis omnibus tibiisque posticis nigris. *Abdomen* subsessile, capite thoraceque longius. *Aculeus* corpore duplo longior, niger, terebra testacea.

Ichn. terrefactor Vill. p. 195, n. 194, tab. 8, fig. 6; prope *Nemausum*.
„ Oliv. p. 217, n. 61.

Nota:

Olivier quidem dicit, descriptionem et iconem hujus insecti *Ichn. desertori* (Braconi) respondere; cum autem Villers nullam alarum fecerit mentionem, de identitate ambarum specierum haud dijudicare possum, licet mihi quoque *terrefactor* ad *Bracones* referendus esse videatur.

210. I. CUNCTATOR. Fabr.

Niger, capite thoraceque maculatis; pedibus rufis, posticorum tibiis nigris tarsis flavis; abdomine rufo; petiolo nigro.

Statura Ichneum. *pugillatoris*, (Campoplegis pugillatoris nostri). *Caput* facie et ore flavis. *Antennae* articulo 1 subtus flavo. *Thorax* lineola ante alas, punctoque infra alas, flavis. *Abdomen* extrorsum incrassatum. *Aculeus* vix exsertus.

Ichn. cunctator Fabr. Ent. p. 176, n. 179; habitat *Kiliae*.
„ Thunb. Ichn. n. 257.
Bassus cunctator Fabr. Piez. p. 100, n. 27.

Nota:

Alia species est *Ichn. cunctator* auctorum, de quo conferatur nostra *Pimpla varicornis*.

211. I. INSTIGATOR. Rossi.

Niger, pedibus ferrugineis, abdomine sessili fusco. f.

Facie accedit ad *Ichn. rugosum* Degeeri III, p. 597, n. 3, tab. 30, fig. 18, (*Ephialten*, capite thoraceque rufis, ex India). Variat latitudine, at longitudo fere semper eadem. *Longitudo* 5 linearum. *Caput* parvum porrectum, thoraci quasi connatum. *Antennae* breves, apice flavescente. *Alae*

hyalinae, stigmate nigro puncto albo. *Abdomen* fuscum sessile, petiolo brevissimo, subtus fornicatum, supra punctulatum; segmentis subaequalibus, septem admodum distinctis elevatis. *Aculeus* longitudine corporis.

Ichn. instigator Rossi Faun. n. 774; *habitat* in floribus.

Nota:

An *Ichn. instigator* Oliv. p. 181, n. 86? antennis totis nigris, corpore paulo brevioribus; alis subfumato-hyalinis, stigmate nigro puncto albo, radice flavescente. Olivier ad suam speciem laudat *Ichn. compunctatorem* Schrankii Austr. n. 721 et Villersii p. 180, n. 138; sed Ichn. Schrankii, longitudine corporis 6½, terebrae 2 linearum, satis differt. Villers l. c. diagnosin Schrankianam recepit, in descriptione autem addidit aculeum longitudine corporis; inde hic Villersii Ichneumon valde dubius est. Ichneum. Schrankii est nostra *Pimpla instigator;* at Ichneum. Olivieri nostro *Ephialtae tuberculato* respondere videtur. — Conferantur synonyma Pimplae instigatoris nostrae.

---

3. ABDOMINE BASI AUT MEDIO RUFO FLAVOVE, rarius apice solo rufo aut flavo.

De affinitate hujus divisionis ad *divisiones* 1 et 2 hae conferantur. — Ad *sectionis IV* divisio-

nem 4 spectant: *Ichn. circulator* Panz. n. 282, segmentis 2—5 rufis, 2 et 3 nigromarginatis; et *Ichneum. fuscatus* Fabr. n. 283, segmento 2 rufofusco. — Ad *sectionis V* divisionem 3: *Ichn. macropus* Schrank, n. 222, antennis fere totis cereoflavis; *Ichn. mystacatus* Schrank, n. 223, antennis rufo-fuscis; *Ichn. carbonarius* Gmel. n. 251, antennis fusco-rufescentibus; *Ichn. pallens* Gmel. n. 253, antennis fusco-luteis.

212. I. VENATOR. Schrank.

Abdomine falcato; niger, pedibus flavis, posticorum femoribus et apice tibiarum nigris; segmento secundo fulvo.

Paulo minor quam *Ichn. ramidulus*. *Abdomen* valde compressum, falcatum, apice truncatum; segmento primo a petiolo subtus fulvo. *Aculeus* perbrevis.

Ichn. venator Schrank Boica n. 2059; circa *Ingolstadt.*

Nota:

E descriptione adparet, hanc speciem, cum Ichn. ramidulo collatam, Ophionibus Fabr. adnumerandam nec eandem esse, quam auctor, sub eodem nomine, in Enumeratione Ins. Austr. n. 724 (conferas horum suppl. n. 137) descripsit, quae etiam in Fauna Boica haud allegatur. — Conferatur noster *Campoplex pugillator.*

213. I. PUGILLATOR. L.

Abdomine falcato; niger, facie flava aut albida, pedibus tenuibus ferrugineis, segmentis 2—4 rufis.

Convenit facie (habitu) cum *Ichn. inculcatore* etc.; est tamen paulo minor. *Pedes* maxima parte nigri.

Ichn. pugillator Linn. Syst. ed. XII, p. 936, n. 50.
„ Fabr. Syst. Ent. p. 339, n. 70. — Ent. Syst. II, pag. 174, n. 171; varietas macula frontis flava.
„ Villers p. 172, n. 115.
„ Christ p. 374.
„ Scharfenb. p. 962, n. 17; varietas macula frontali flava.
„ Thunb. Ichn. n. 270.

Nota:

Conferatur noster *Campoplex pugillator*.

214. I. OBSCURUS. Fourc.

Fuscus, capite nigro; abdomine rufo, basi et apice nigro.

Longitudo 2 linearum (2½ lin. Rossi). *Antennae* fuscae, longitudine corporis. *Thorax* fuscus, apice subniger. *Alae* hyalinae, stigmate fusco. *Pedes* fusci. *Abdomen* rufum, segmentis ultimis et primo nigris.

Ichn. Geoffroi pag. 333, n. 26; folliculus larvae albus sericeus, annulis duobus brunneis.
Ichn. obscurus Fourcr. p. 401, n. 26.
„ Villers p. 189, n. 169.
„ Oliv. p. 208, n. 10.
„ Rossi n. 794; exclusum habui saepius e folliculo albo sericeo nigro-maculato, magnitudine Dolichi minoris unguiculati. Folliculus introspectus exhibuit membranam lucidam atram gummosam, obductam filo tenui sericeo albo. Folliculi inveniuntur frequenter inhaerentes foliis plantarum.

Nota:

Cave ne hunc confundas cum *Ichn. obscuro* Gmel. seu nostro *Crypto obscuro.*

215. I. ANTICUS. Fourc.

Niger, pedibus et basi abdominis ferrugineis.

Longitudo $\frac{3}{4}$ lineae. *Antennae* longitudine corporis. *Abdomen* petiolo valde tenui. *Aculeus* fere longitudine corporis.

Ichn. Geoffr. p. 355, n. 77.
Ichn. anticus Fourcr. p. 420, n. 78.
Ichn. generosus Oliv. p. 211, n. 24.

216. I. LABIALIS. Fourcr.

Niger, facie flava, pedibus ferrugineis; abdomine rufo, apice nigro.

Longitudo 5 linearum. *Antennae* fuscae, longitudine corporis. *Alae* hyalinae, stigmate nigro. *Abdomen* rufum, segmento ultimo nigro. *Aculeus* subabsconditus.

Ichn. Geoffr. p. 356, n. 78.
Ichn. labialis Fourcr. p. 420, n. 79.
„ Oliv. p. 211, n. 25.

Nota:

Conferatur *Anomalon tenuicorne.*

217. I. TAENIOLA. Fourc.

Niger, facie flava, pedibus ferrugineis; abdomine longe-petiolato, rufo, apice nigro.

Longitudo 5 linearum. *Antennae* tenues, fere longitudine corporis. *Alae* corpore breviores, fumato-hyalinae, stigmate vix distincto. *Pedes* ferruginei; coxis anterioribus flavis, posticis nigris. *Abdomen* petiolo tenui filiformi, longitudine duplici abdominis. *Aculeus* brevissimus.

Ichn. Geoffr. p. 356, n. 79.
Ichn. taeniola Fourcr. p. 420, n. 80.
„ Oliv. p. 211, n. 26.

218. I. PUPARUM. Fourcr.

Ater, pedibus anticis pallidis, femoribus posticis abdominisque medio ferrugineis.

Longitudo 2¾ linearum. *Antennae* fere longitudine corporis. *Alae* hyalinae. *Pedes* anteriores pallideflavi; postici nigri, femoribus rufis. *Abdomen* nigrum, segmentis 2 et 3 subferrugineis.

Ichn. Geoffr. p. 358, n. 83; larva degit in pupis papilionum.
Ichn. puparum Fourcr. p. 422, n. 84.
„ Oliv. p. 212, n. 29.

Nota:

Haec species haud confundi debet cum *Ichn. puparum* auctorum, qui generis *Diplolepidum* Fabr. aut *Cynipum* Geoffr. est: conferatur autem cum nostro *Crypto pellucidatore.*

219. I. TIPULAE. Scop.

Niger, pedibus flavescentibus, abdominis apice rufo. f.

Minutus. *Antennae* corpore paulo breviores. *Abdomen* ovatum subsessile nitidum. *Aculeus* longitudine abdominis.

Ichn. Tipulae Scop. Carn. n. 761; natus e pupa *Tipulae boleti.*
„ Christ p. 368.
„ Oliv. p. 214, n. 41.

220. I. PICTOR. Vill.

Abdomine falcato; testaceus, capite antennis thorace abdominisque apice nigris.

Primo intuitu *Ichn. latro* (nostrum *Anomalon latro*) videtur esse, sed *abdomen* fere testaceum, nec ad latera nigromaculatum, est. *Alae* irideae. *Aculeus* brevis.

Ichn. pictor Vill. pag. 197, n. 203; habitat in *Bressia*.
„ Oliv. p. 218, n. 70; habitat prope *Lugdunum*.

Nota:
Ichn. pictor Thunb. n. 152 est alia species.

221. I. CRUCIATOR. Vill.

Niger, abdominis medio pedibusque fulvis. m. f.

Minor. *Antennae* corpore breviores. *Abdomen* nigrum, segmento ultimo (primo Oliv.) medio fulvo. *Aculeus* fere longitudine corporis, vaginis (?) rufis. — Mas feminae similis.

Ichn. cruciator Vill. p. 197, n. 205; habitat passim in *Gallia*.
„ Oliv. p. 218, n. 72.

222. I. MACROPUS. Schrank.

Niger; apice antennarum, abdominis medio, pedibusque, ferrugineis, horum posticis nigro-maculatis. f.

Longitudo 6 linearum. *Antennae* subtus totae, supra a medio ad apicem usque, sordide cereo-flavae. *Pedes* anteriores rufo-ferruginei; postici longiores crassiores rufoferruginei, femorum apice, tibiarum latere externo, tarsisque, nigris, his tamen annulo ferrugineo ante apicem. *Abdomen* oblongo-ovatum, subsessile, rufum, basi apiceque nigrum. *Aculeus* brevissimus.

Ichn. macropus Schrank Beitr. pag. 90, §. 55. — Austr. n. 733.
„ Gmel. ed. Linn. p. 2697, n. 169.
„ Vill. p. 182, n. 145.
„ Oliv. p. 222, n. 92.

223. I. MYSTACATUS. Schrank.

Rufo-fuscus; oculis, thoracis litura, abdominis apice, tibiarumque medio, nigris. f.

Longitudo 1¾ linearum. *Caput* palpis praelongis albis. *Antennae* rufo-fuscae, corpore vix paulo breviores. *Alae* subfuliginosae, stigmate nigro. *Pedes* basi tibiarum alba, femoribus subclavatis. *Abdomen* petiolatum. *Aculeus* fere longitudine corporis.

Ichn. mystacatus Schrank Austr. n. 746; habitat in fenestris primo vere; palpos, ad latus exsertos mystacum more, inter ambulandum motitat.
„ Gmel. ed. Linn. p. 2698, n. 175.
„ Vill. p. 183, n. 149.
„ Olivier p. 222, n. 97.

Nota:

An *Spathio clavato* cognatus, de quo conferantur horum Suppl. Ichn. n. 138 et 185.

224. I. TROCHANTERICUS. Fourc.

Niger; abdominis medio, pedibus anterioribus, femoribusque posticis, rufis.

Longitudo 5½ linearum. *Antennae* nigrae, longitudine duorum trientium corporis. *Caput* et *thorax* nigri immaculati. *Pedes* anteriores toti rufi; postici nigri, coxis subtus puncto parvo citrino, femoribus rufis. *Abdomen* nigrum, segmentis 2 et 3 rufis.

Ichn. Geoffr. p. 351, n. 66.
Ichn. trochantericus Fourcr. p. 416, n. 67.
Ichn. delusor Oliv. pag. 187, n. 118; frequens in tota *Gallia;* spargit odorem amoenum.
„ Walck. p. 60, n. 57.

Nota:

Conferatur nota ad *Cryptum curvum.*

225. I. MIXTUS. Gm.

Niger, facie et antennarum basi flavis; pedibus rufis, femorum basi flava; abdominis margine posteriori et segmentis 1—3 ferrugineis, 2 et 3 dorso nigris.

Abdomen segmento 1 ferrugineo; 2 et 3 ferrugineis, dorso nigris; 4 nigro, margine postico ferrugineo; apice nigris. Leske.

Ichn. Leske p. 66, n. 282.
Ichn. mixtus Gmel. ed. Linn. p. 2706, n. 334.

Nota:

Species diversa est *Ichn. mixtus* Pollich, seu noster *Campoplex mixtus.* — Conferatur autem ad mixtum Gmel. nostrum *Anomalon tenuicorne.*

226. I. CEPARUM. Schrank.

Niger; pedibus rufis, posticis nigris; abdomine rufo, basi apiceque nigro. m. f.

Praediligit allium porrum etc.

Varietates:

A. *Longitudo* 4 linearum. Niger, tenuissime sericans. *Os* fulvum. *Antennae* subtus brunneae. *Pedes* rufi, femoribus posticis nigris. *Abdomen* rufum; segmento 1 basi angusto nigro, apicem versus dilatato rufo; 2—5 rufis; 6—7 nigris. *Aculeus* brevissimus.

B. *Longitudo* 3 linearum. *Abdomen* segmento 2 fascia nigra, 3 et 4 rufis. Caetera ut in varietate A. Mas.

C. *Antennae* totae nigrae. *Os* labio (labro aut clypeo) nigro, palpis fulvis. Caetera ut in varietate A. Mas.

D. *Femora* media fusca. Caetera ut in varietate C. Femina.

Nota:

Auctor adhibet varietatem B ad Ichn. Geoffr. p. 357, n. 82, de quo conferas notam secundam ad nostrum *Ichn. latratorem*, varietatem D ad *Ichn. devastatorem* Schrank Austr. n. 741, de quo conferas horum suppl. n. 208. — Conferantur etiam ad hanc speciem *Phygadeuon ambiguus;* ad varietatem A *Tryphon rutilator* et *fulvilabris;* ad varietatem B *Phygadeuon procerus* et *Tryphon rutilator;* ad varietatem C *Phygadeuon erythrostictus.*

227. I. NECATOR. Scharf.

Niger, pedibus abdomineque flavicantibus, hoc apice nigro.

Longitudo 1¼ linearum. *Antennae* nigrae setaceae, corpore longiores. *Caput* et *thorax* nigri nitidi immaculati. *Alae* hyalinae irideae, stigmate nigro. *Pedes* aurantiaci, femoribus posticis

nigris. *Abdomen* flavum, segmentis ultimis nigris. *Aculeus* absconditus.

Ichn. necator Scharfenberg p. 960, n. 14; femina adglutinat ova cuti et pilis larvarum *Bombycis chrysorrhoeae, aurifluae* etc. Larvae exclusae albae, capite acuminato, perforant cutem penetrantque in corpus illarum. Initio Iunii, ad mutationem subeundam, e corpore exeunt, sibique folliculos parvos conficiunt, angustos albos, 1 ½ lineas longos, socialiter aggregatos, e quibus, decursu dierum 12—21, ichneumones prorumpunt.

Nota:

Haec species ab *Ichneum. necatore* Fabr., seu nostro *Hemitele necatore*, stigmate nigro differt. Auctor tamen ad eam laudat *necatorem* Fabr. et *Ichn.* Roeselii II, Vesp. tab. 4, fig. 3 et 4, qui a Linnaeo ad *Ichneum. glomeratum*, a Scopolio ad *Ichn. globatum*, ab aliis ad *Ichn. larvarum*, a Fabricio ad *necatorem* adhibetur. Ichn. globatus glomeratus et larvarum haud Ichneumones genuini sunt. De *Ichneumone necatore* Fabr. et Scharf. adhuc dubius sum: Uterque auctor descriptionem hujus speciei e loco allegato apud Roeselium excerpsisse videtur, uterque vero etiam aliquanto a descriptione Roeseliana discedit, stigma enim, quod a Fabricio (forsan errore calami) flavum

describitur, e descriptione et icone Roeselii nigrum est; pedes autem, secundum Roeselium toti flavi, apud Scharfenbergium femora postica nigra habent.

228. I. LARVINCOLA. Scharf.

Niger; pedibus anterioribus abdominisque medio ferrugineis.

Corpus angustum, longitudine 4 linearum. *Caput* ore flavo-albido. *Alae* hyalinae, nervis nigris, radice albo-flava. *Pedes* anteriores pallide-ferruginei; postici coxis nigris, femoribus ferrugineis geniculo albo, tibiis et tarsis sordide-fuscis. *Abdomen* petiolatum angustum.

Ichn. larvincola Scharfenb. p. 963, n. 17[b]; femina deponit ova singula in larvas singulas *Tenthredinis pinastri;* larva exclusa comedit interanea larvae Tenthredinis, in cujus folliculo griseo-flavescente haec Ichneumonis larva sibi quoque folliculum net pellucidum, e quo, post dies 18—19, Ichneumon prodit.

229. I. AMBUSTOR. Panz.

Ater, segmentis 1—3 rufis.

Descriptio iconis: *Longitudo* 6½ linearum. *Antennae* porrectae, longitudine 3¼ linearum.

Abdomen oblongoovatum subsessile, capite thoraceque paulo longius paululumque angustius; segmentis 1—3 rufis; sequentibus nigris (4 et 5 punctis 2 albis?).

Ichn. ambustor Panz. ad Schaeff. Ic. tab. 73, fig. 1; *habitat* in sylvaticis.

Nota:

De punctis albis segmentorum 4 et 5 Panzer tacet. — Conferantur *Cryptus obfuscator* et *Exetastes inquisitor.*

230. I. ACICULARIS. Fourc.

Linearis fuscus, capite abdominisque apice nigris, antennis longis.

Corpus tenue, longitudine 1 $\frac{1}{3}$ linearum. *Antennae* nigrae tenues, corpore longiores. *Alae* longitudine corporis. *Abdomen* fusiforme, petiolo tenuissimo.

Ichn. Geoffr. p. 360, n. 88.
Ichn. acicularis Fourcr. p. 424, n. 89.
„ Vill. p. 214, n. 263.
„ Oliv. p. 203, n. 195.
„ Walck. p. 66, n. 84.

231. I. CONSTRICTUS. Fourc.

Niger, segmentis 2 et 3 rufis, tarsis anterioribus albis.

Longitudo 4 linearum. *Antennae* longitudine corporis. *Abdomen* segmento 1 pertenui.

Ichn. Geoffr. p. 350, n. 64.
Ichn. constrictus Fourc. p. 415, n. 65.

232. I. AGILIS. Chr. p. 369.

Niger, abdominis medio rufo.

Longitudo 5 linearum. *Caput* nigrum, oculis nitentibus prominulis, ocellis rufescentibus. *Antennae* filiformes. *Abdomen* oblongum, capite thoraceque paulo longius, segmentis 2—4 rufis (in icone totum rufum). *Pedes* toti nigri.

Ichn. agilis Christ p. 369, tab. 39, fig. 4.

Nota:

Haec species forsan generis *Pompilorum* est, nec confundatur cum *Ichn. agili* Chr. p. 376 et reliquorum auctorum, seu nostro *Pezomacho agili* aptero. Conferre etiam velis notam ad nostrum *Ichn. fumigatorem*.

233. I. LONGISPINIS. Gm.

Niger; petioli apice, segmentorum 1 et 2 dorso, pedibusque, rufis; tarsis posterioribus (posticis Leske) fuscis; aculeo abdomine longiore.

Ichn. Leske p. 61, n. 211.
Ichn. longispinis Gmel. ed. Linn. p. 2699, n. 277.

Nota:

Forsan haec species affinis est nostrae *Lissonotae bellatori*.

234. I. BIPUNCTATUS. Gm.

Niger; facie flava, abdomine medio ferrugineo, pedibus fusco-flavoque pictis.

Caput facie flava, punctis duobus nigris. *Antennae* basi flavae. *Pedes* femoribus fuscis, basi apiceque flavis; tibiis tarsisque anterioribus flavescentibus, posticis ferrugineis.

Ichn. Leske p. 66, n. 250.
Ichn. bipunctatus Gmel. ed. Linn. p. 2703, n. 306.

Nota:

Conferatur noster *Ichn. castaneus*.

235. I. FLAVIVENTRIS. Gm.

Niger; abdominis medio flavo, segmento primo in medio fascia nigra; pedibus anterioribus flavis, femoribus postice nigris, posticis nigris, tibiis ferrugineis apice fusco.

Ichn. Leske p. 64, n. 254.
Ichn. flaviventris Gmel. ed. Linn. p. 2703, n. 310.

Nota:

An *Tryphon elegantulus?*

236. I. STRIATUS. Gm. p. 2703.

Niger; antennarum basi facieque albis, hac lineis duabus nigris; pedibus rufis, femoribus tibiisque posticis apice, plantisque, nigris; abdomine subsessili ferrugineo, basi apiceque nigro.

Ichn. Leske p. 64, n. 258.
Ichn. striatus Gmel. ed. Linn. p. 2703, n. 313.

Nota:

Alia species est *I. striatus* Gmel. p. 2721, n. 404; de quo vide horum suppl., n. 79.

237. I. DEAURATUS. Gm.

Niger, ore et antennarum basi flavis; abdomine petiolo apice ferrugineo, segmento 1 postice ferrugineo incisura nigra, 3 et 4 ferrugineis; pedibus rufis, femoribus basi flavis.

Ichn. Leske p. 65, n. 263.
Ichn. deauratus Gm. ed. L. p. 2704, n. 318.

Nota:

Conferantur *Mesoleptus tener* nec non *Campoplex longipes* et *argentatus.*

238. I. IMPRESSUS. Gm.

Niger, orbitis oculorum internis albis; abdomine rufescente, basi apiceque nigro, segmentis 1—3 linea transversa media impressis; pedibus rufis, tibiis versus basin albis, utrinque annulo ferrugineo inclusis, tarsis nigris.

Ichn. Leske p. 66, n. 265.
Ichn. impressus Gmel. ed. Linn. p. 2704, n. 320.

Nota:

Noster *Bassus laetatorius* huic speciei respondere videtur; *Ichn. impressus* Thunb., n. 228 autem alia est species.

239. I. VITTATUS. Gm.

Niger; ſascia faciei flava; abdomine ferrugineo, basi nigra; pedibus anterioribus flavis.

Caput ore et fascia faciei flavis. *Antennae* subtus flavae. *Pedes* anteriores flavescentes, femoribus postice nigris; tibiis basi flavis, posticis fuscis. *Abdomen* ferrugineum, basi nigrum; segmento primo (secundo?) in medio macula nigra.

Ichn. Leske p. 65, n. 271.
Ichn. vittatus Gmel. ed. Linn. p. 2705, n. 324.

240. I. MELANOPHTHALMUS. Gm.

Niger; capite ferrugineo oculis nigris, pedibus rufis; abdomine petiolato, apice ferrugineo.

Abdomen segmentis 1 et 2 totis ferrugineis, 3 antice 4 apice ferrugineis.

Ichn. Leske p. 65, n. 274.
Ichn. melanophthalmus Gmel. ed. Linn. p. 2705, n. 327.

Nota:

Ab *Ichn. melanophthalmo* reliquorum auctorum, de quo conferas sectionem sequentem, haec species differt. An generis *Braconum*?

241. I. LUTEOLUS. Gm. p. 2706.

Niger, facie oreque flavis; segmento primo postice secundoque flavis; pedibus rufescentibus, tibiis posticis albis apice fusco, tarsis fuscis.

Ichn. Leske p. 66, n. 281.
Ichn. luteolus Gmel. ed. Linn. p. 2706, n. 333; (haud Gmel. p. 2708, n. 351, qui ad nostrum *Mesoleptum Typhae* spectat).

242. I. DEPRESSUS. Gm.

Niger; antennis subtus basi ferrugineis; pedibus obsolete rufis; abdomine depresso, basi nigro, segmentis 1—3 flavis, reliquis nigris.

Ichn. Leske p. 66, n. 287.
Ichn. depressus Gmel. ed. Linn. p. 2706, n. 339 (*Ichn. depressus* Fabr. ad genus Diplolepidum redactus est).

243. I. ALBICANS. Gm.

Minutus, niger; facie et ore albidis; antennis subtus luteis, basi albidis; abdomine ferrugineo, fusco-nebuloso, basi nigro; pedibus rufescentibus, femorum anteriorum basi (coxis) albida.

Ichn. Leske p. 68, n. 320.
Ichn. albicans Gmel. ed. Linn. p. 2717, n. 366.

244. I. FUSCIPES. Gmel. p. 2718.

Minutus niger; antennis fuscis, subtus luteis; pedibus anterioribus luteis, femoribus mediis fuscis, pedibus posticis fuscis; abdomine petiolo longo nigro, segmentis 1 et 2 luteis; aculeo brevi.

Ichn. Leske p. 69, n. 322.
Ichn. fuscipes Gmel. ed. Linn. p. 2718, n. 368 (haud p. 2684, n. 242, qui ad nostrum *Ichn. fuscipedem*, nec *Ichn. fuscipes* Fourcr., qui ad nostrum *Ichn. fossorium* adhibitus est).

245. I. LEUCOPIS. Gm.

Minutus niger, facie et ore albis; segmentis 1 et 2 pedibusque rufescentibus.

Ichn. Leske p. 69, n. 324.
Ichn. leucopis Gmel. ed. Linn. p. 2718, n. 370.

246. I. PALLESCENS. Gm.

Minutus niger; facie ore et antennarum basi pallide flavis; pedibus, apice petioli, segmentisque 1—3, rufescentibus; segmento 1 macula dorsali nigra.

Ichn. Leske p. 69, n. 325.
Ichn. pallescens Gmel. ed. Linn. p. 718, n. 371 (an *Tryphonis flavomaculati* varietas?).

247. I. PRAEUSTUS. Gm.

Minutus niger; pedibus abdomineque rufescentibus, petioli apice et segmento primo antice nigris.

Ichn. Leske p. 69, n. 326.
Ichn. praeustus Gmel. ed. Linn. p. 2718, n. 372.

248. FUSCESCENS. Gm. p. 2718.

Minutus niger, antennis fuscis, pedibus luteo-fuscescentibus; abdomine luteo, apice fusco.

Ichn. Leske p. 69, n. 327.
Ichn. fuscescens Gmel. ed. Linn. p. 2718, n. 373 (p. 2703, n. 311 est noster *Cryptus cyanator*).

249. I. LEUCOTARSUS. Gm.

Minutus, niger; antennis subtus oreque luteis; pedibus rufo-flavescentibus, basi (coxis?) tarsisque albis, abdomine ferrugineo, basi nigro.

Ichn. Leske p. 69, n. 328.
Ichn. leucotarsus Gmel. ed. Linn. p. 2718, n. 374.

250. I. BRUNNEOLUS. Gm.

Minutus niger; antennis abdomineque rufescentibus, basi nigris; pedibus rufescentibus, femoribus posticis brunneis; aculeo mediocri.

Ichn. Leske p. 69, n. 329.
Ichn. brunneolus Gmel. ed. Linn. p. 2718, n. 375.

251. I. CARBONARIUS. Gm.

Minutus niger; antennis pedibusque fuscorufescentibus; abdomine ferrugineo, basi nigro; aculeo mediocri.

Ichn. Leske p. 69, n. 332.
Ichn. carbonarius Gmel. ed. Linn. p. 2719, n. 378 (*Ichn. carbonarius* Grav. est alia species, de qua conferatur *Ephialtes carbonarius.*)

252. I. LITURATUS. Gm.

Minutus niger; maxillis (mandibulis?) pedibusque flavescentibus, femoribus posticis rufonigris; segmento 1 postice, 2, 3 et 4 (totis) luteis, 2 antice macula nigra.

Ichn. Leske p. 70, n. 342.
Ichn. lituratus Gmel. ed. Linn. p. 2720, n. 387.

253. I. TIPHAE. Vill.

Niger; ore et abdominis medio flavis; pedibus luteis, femoribus posticis nigris.

Medius. *Caput* nigrum, ore et antennarum nigrarum basi flavis. *Thorax* niger. *Pedes* lutei; postici femoribus et tibiarum apice nigris. *Abdomen* segmento 1 nigro; 3 et 4 (forsan 2 et 3?) flavis; ultimis nigris, 4 utrinque macula flava.

Ichn. Tiphae Vill. p. 155, n. 62.

Nota:

Auctor quidem suam speciem ad Ichn. Geoffr., n. 58, seu *Ichn. Tiphae* Fourcroii (nostrum *Mesoleptum Tiphae*) adhibuit, ipsamque diagnosin Geoffroianam recepit, sed descriptio Ichneumonis Villersiani a Geoffroiano illo Ichneumone longe secedit, ut nullum dubium sit, quin ille et hic duae species diversae sint.

254. I. PALLENS. Gm.

Minutus niger, ore albido, antennis fusco-luteis, pedibus pallide-rufis; abdomine rufescente, basi nigro.

Ichn. Leske p. 69, n. 330.
Ichn. pallens Gmel. ed. Linn. p. 2719, n. 376.

255. OPHION EXHAUSTATOR. F.

Niger; abdomine rufo, basi et apice nigro; pedibus ferrugineis.

Parvus. *Caput* et *thorax* nigra immaculata, mandibulis solis ferrugineis. *Alae* obscurae, stigmate atro. *Pedes* ferruginei, femoribus compressis. *Abdomen* petiolatum breve, apice compressum truncatum, rufum, basi apiceque nigrum. *Aculeus* longitudine abdominis, recurvus arcuatus niger.

Ichn. exhaustator Fabr. Ent. Suppl. p. 226, n. 138; habitat *Kiliae*.

Ophion exhaustator Fabr. Piez. p. 135, n. 22.

256. OPHION NIDULATOR. Fabr.

Niger; pedibus rufis, femoribus posticis nigris; segmentis 3 et 4 ferrugineis.

Paulo minor Ophione falcatore (quem cum Campoplege pugillatore conjunxi), et omnino distinctus. *Caput, antennae, thorax,* nigra immaculata. *Abdomen* petiolatum falcatum nigrum, segmentis 3 et 4 ferrugineis. *Aculeus* exsertus brevis.

Ophion nidulator Fabr. Piez. p. 136, n. 29; habitat in *Germania;* (conferantur synonyma et nota ad nostrum *Campoplegem pugillatorem*).

257. OPHION ERIGATOR. F.

Ater, segmento tertio pedibusque rufis.

Statura parva I. jocatoris (i. e. nostri Porizonis jocatoris). *Caput* et *thorax* atra immaculata. *Alae* hyalinae, stigmate nigro. *Pedes* rufi. *Abdomen* falcatum clavatum breve atrum, segmento tertio rufo. *Aculeus* brevissimus, vix exsertus.

Ichn. erigator Fabr. Ent. p. 175, n. 174; habitat *Halae Saxonum.*
Ophion erigator Fabr. Ent. Suppl. p. 238, n. 14. — Piez. p. 139, n. 38.
„ Walckenaer p. 73, n. 7.

258. OPHION COMPENSATOR. F.

Abdomine brevissimo falcato; niger, segmentis 2—4 pedibusque rufis.

Dimidio minor Ichn. falcatore. *Caput* et *thorax* atra immaculata. *Alae* albidae, stigmate fusco. *Pedes* rufi, tibiis posticis apice tarsisque nigris. *Abdomen* breve falcatum, apice truncatum. *Aculeus* exsertus brevis.

Ichn. compensator Fabr. Ent. p. 176, n. 176; habitat in *Germania.*
Ophion compensator Fabr. Ent. Suppl. p. 238, n. 16. — Piez. p. 139, n. 41.
„ Walckenaer p. 74, n. 8.

259. OPHION FLAGELLATOR. F.

Abdomine falcato brevi; niger; segmentis 2 et 3, femoribus anticis tibiisque, rufis.

Praecedentibus affinis. Totus niger; segmentis 2 et 3 pedibusque rufis, femoribus posterioribus nigris.

Ichn. flagellator Fabr. Ent. p. 176, n. 178; habitat *Kiliae*.
„ Thunb. Ichn., n. 278.
Ophion flagellator Fabr. Ent. Suppl. p. 239, n. 18. — Piez. p. 139, n. 43.

260. OPHION PETIOLATOR. F.

Niger, pedibus anticis subflavescentibus, segmento tertio rufo.

Affinis Ophioni mercatori (*Campoplegi mixto* nostro). *Caput* et *thorax* nigra immaculata. *Alae* hyalinae. *Pedes* nigri, antici subflavescentes. *Abdomen* compressum falcatum, longe petiolatum, nigrum, segmento tertio rufo.

Ophion petiolator Fabr. Piez. p. 140, n. 44; habitat in *Austria*.

261. ANOMALON CRUENTATUM. Panz.

Abdomine falcato; fuscum, capite thoraceque rubro-maculatis, scutello sanguineo, pedibus rufis, apice abdominis nigro. f.

Descriptio Panzeriana haec est: Parvus. *Caput* nigrum, orbitis fronte (facie) mandibulisque rufis; vertice transverse striato. *Antennae* setaceae nigrae. *Thorax* fuscus, sanguineo-lineatus, metathorace et scutello sanguineis. *Pedes* rufi, femoribus posticis fuscis. *Abdomen* compressum falcatum fuscum, apice nigrum. *Aculeus* niger, terebra rufa.

Icon Panzeriana haec est: *Longitudo* 2⅔ linearum. *Caput* transversum nigrum, orbitis oculorum rubris (facie et ore absconditis). *Antennae* porrectae, capitis thoracisque longitudine, nigrae. *Thorax* ruber, regione inter prothoracem et metathoracem (seu metathoracis basi) nigra. *Scutellum* rubrum. *Alae* subfumato-hyalinae, stigmate et radio nigris, radice et squamula rubris, areola nulla. *Pedes* subgraciles elongati, toti ferrugineo-rufi. *Abdomen* compressum falcatum petiolatum, fere capite thoraceque duplo longius, segmentis 1—3 angustis, nigrum, segmentis 1—4 fusco-rubris. *Aculeus* abdomine paulo brevior, niger, terebra rubra.

Anomalon cruentatum Panz. Fauna Fasc. 94, tab. 15; lectum in sambuco et betula, inter aphides.

Nota:

Conferatur nota ad nostrum *Trachynotum foliatorem.*

---

4. ABDOMINE FASCIATO AUT PUNCTATO.

De affinitatibus hujus divisionis cum *divisionibus* 1, *2 et* 3, nec non cum *sectionis II* divisionibus 4 et 5, *sectionis*que *III* divisione 1, has conferre velis.

262. BASSUS PEDATORIUS. Pz.

Ater, capite thoraceque maculatis; segmentis macula dorsali marginali albida; pedibus rufis, tarsis posticis nigris.

Longitudo 4⅓ linearum. *Caput* nigrum nitidum, facie genis oreque flavis. *Antennae* curvatae, corpore paulo breviores, nigrae, subtus ferrugineae. *Thorax* gibbus ater nitidus, subtus flavus; colli margine supero, linea ante alas, punctoque infra scutellum, flavis; metathorace et scutello canaliculatis. *Alae* hyalinae irideae, stigmate et radio nigris, radice et squamula flavis, areola parva irregulari. *Pedes* rufi; postici tarsis et tibiarum apice nigris. *Abdomen* atrum punctum, parum nitidum, subcompressum (? subdepressum), subsessile oblongo-ovatum, capite thoraceque paulo longius, thorace perparum latius; segmento primo

canaliculato, omnibus macula dorsali marginali albida, maculis posticis majoribus transversis; subtus flavum.

Bassus pedatorius Panz. Faun. fasc. 102, tab. 20; lectus in saxosis sterilibus, inter frutices.

Nota:

Conferatur nota ad nostrum *Tryphonem sexliturcatum.*

263. I. INVERSUS. Fourc.

Niger, pedibus anterioribus luteis; abdomine subtus fulvo, supra segmentorum marginibus subalbicantibus.

Longitudo 3 linearum. *Antennae* longitudine corporis, brunneae. *Alae* stigmate nigro. *Pedes* anteriores citreo-flavi; postici nigri, subtus subflavescentes. *Abdomen* supra nigrum, marginibus segmentorum subalbicantibus; ventre fulvo, apicem versus nigro.

Ichn. Geoffr. p. 358, n. 84.
Ichn. inversus Fourcr. p. 422, n. 85.
„ Vill. p. 191, n. 183.

Nota:

Hunc Ichneumonem Olivier adhibuit ad *Ichn. venatorem*, a quo autem, tam parvitate corporis, quam segmentis albidomarginatis, differt.

264. BANCHUS ACUMINATOR. F.

Abdomine compresso clavato, scutello acuminato; niger, segmentis tribus margine flavis; pedibus flavis, femoribus posterioribus nigris.

Statura et summa affinitas *Banchi variegatoris*. *Caput* flavum, vertice nigro. *Antennae* setaceae nigrae. *Pedes* flavi; femoribus mediis extus, posticis totis, nigris. *Abdomen* segmentis tribus supra subtusque margine flavis.

Ichn. acuminator Fabr. Mant. p. 268, n. 103. — Ent. Syst. p. 173, n. 165; habitat *Halae Saxonum*.
„ Gmel. ed. Linn. p. 2695, n. 158.
„ Vill. p. 180, n. 137.
„ Oliv. p. 192, n. 141.
Banchus acuminator Fabr. Piez. p. 128, n. 9.

Nota:

Haec species proxime accedere videtur ad nostrum *Banchum compressum*; haud confundatur autem cum *Ichn. acuminatore* Müll. Prodr. n. 1821, qui potius *Pimplae flavicanti* respondet.

265. I. TERTIARIUS. Fourc.

Niger, abdominis medio utrinque macula alba, femoribus posticis rufis.

Longitudo 4 linearum. *Corpus* totum nitidum. *Antennae* longitudine dimidii corporis. *Abdomen* segmento tertio puncto laterali elongato albo.

Ichn. Geoffr. p. 336, n. 34.
Ichn. tertiarius Fourc. p. 404, n. 34.
„ Oliv. p. 209, n. 16.

266. I. IMPUGNATOR. Schr.

Antennis extrorsum subcrassioribus; niger, cingulis duobus abdominis flavis. m. f.

Longitudo 3 linearum. *Antennae* dimidio corpore paululum longiores. *Pedes* tibiis anterioribus testaceis, posticis fuscis, interdum omnibus sordide-cereoflavis. *Abdomen* cylindricum, macula baseos flava, segmentis 3 et 4 cingulo flavo, interdum quoque segmento 6 cingulo angusto flavo. *Aculeus* minutissimus.

Ichn. impugnator Schrank Austr. n. 744. — Boica n. 2125, m. et f. in agris frumentariis.
„ Gmel. ed. Linn. p. 2698, n. 174.
„ Villers p. 183, n. 147; habitat in *Bressia.*
„ Oliv. p. 222, n. 96; habitat in *Gallia.*

Nota:

De hoc Ichneumone consulere velis speciem sequentem.

267. I. FOMENTATOR. L.

Abdomine falcato; niger, segmentis 3 et 4 basi flavescentibus, pedibus testaceis.

Corpus vix pediculo majus. *Caput* ore quasi tomentoso. *Antennae* corpore breviores. *Abdomen* clavatum falcatum, basi angustius.

Ichn. fomentator Linn. Syst. ed. XII, pag. 936, n. 46; *habitat* in praedio meo Saefja.
„ Fabr. Syst. Ent. p. 338, n. 64. — Ent. Syst. pag. 170, n. 154; habitat in *Europa boreali.*
„ Gmel. ed. Linn. p. 2694, n. 46.
„ Vill. p. 171, n. 111.
„ Christ p. 374.
„ Oliv. p. 191, n. 137.
Ophion fomentator Fabr. Piez. p. 135, n. 26.

Nota:

Omnes auctores laudati diagnosin et descriptionem Linnei verbotenus receperunt. Schrank, in Fuessl. Mag. I, p. 294, n. 744, putat, hunc Linnei Ichneumonem marem esse *Ichneumonis impugnatoris* (antecedentis), cum saepius mares feminis minores sint. Descriptio impugnatoris quidem satis bene quadrat ad fomentatorem; cum vero ille,

in Fauna Boica, familiae abdomine haud petiolato adscriptus sit, dubito, eum cum fomentatore, cui abdomen petiolatum esse videtur, conjungi posse. — Caeterum ad fomentatorem conferatur noster *Porizon jocator.*

268. I. IDOLON. Rossi.

Flavus; antennarum basi, thoracis parte postica, annulis abdominis, pedumque anteriorum tibiis tarsisque nigris.

Statura et habitus Siricis pygmaei, at major, et hujus generis. *Antennae* nigrae, apice flavae. *Thorax* niger, antice flavus. *Alae* fuscae, costa (radio) lutea.

Ichn. idolon Rossi Mant. II, App. n. 87; habitat *Florentiae.*

Nota:

Banchus esse videtur.

269. I. POLYZONIUS. Schr.

Niger, segmentis albomarginatis, pedibus fulvis (? muschelbraun).

Longitudo 11 linearum. *Caput* palpis punctisque duobus clypei ferrugineis. *Alae* subfumatae. *Abdomen* petiolatum subcompressum. *Aculeus* longitudine 10 linearum.

Ichn. polyzonius Schrank Boica n. 2050; *habitat* circa Gern.

Nota:

Auctor putat, hunc Ichneumonem forsan varietatem esse *Ichneumonis* (*Rhyssae*) *persuasorii;* allegat quoque Schaefferi Icon. tab. 103, fig. 1, quae quidem verum persuasorium exhibet, nec vero cum descriptione hujus polyzonii congruit. — Conferantur nota ad nostram *Rhyssam persuasoriam*, et noster *Coleocentrus excitator.* — Ab hac specie satis discedunt *Ichn. polyzonius* Thunb. et *Ichneum. polyzonius* Forsteri, quorum hic ad nostram *Lissonotam polyzoniam* adhibitus est.

270. CRYPTUS TRIPUNCTATOR. F.

Ater, abdomine punctis tribus albis, femoribus posticis rufis.

Descriptio, ex iconibus Schaefferi et Coqueberti, haec est: *Longitudo* 6—7 linearum. *Alae* fuscescentes. *Pedes* nigri, femoribus posterioribus rufis. *Abdomen* ovatum petiolatum, capite thoraceque paululum longius, paululumque angustius; segmento 3 maculis duabus baseos, 5 linea transversali baseos, flavis.

Ichn. tripunctator Fabr. Ent. Syst. Supl. p. 226, n. 135; habitat in *Gallia.*
„ Coqueb. III. I, p. 17, tab. 3, fig. 10.
„ Panz. ad Schaeff. Ic. tab. 61, fig. 8, 9.
Cryptus tripunctator Fabr. Piez. p. 86, n. 67.

Nota:

Haec species affinis esse videtur nostro *Ichn. natatorio* aut *viridatorio*, qui autem scutello albo differunt.

271. I. TRICINCTUS. Schr.

Niger, facie tarsisque posticis albis, segmentis 2—4 fulvo-marginatis, pedibus anterioribus fulvis.

Minor inter medios. *Caput* facie et articulo primo antennarum subtus albis. *Pedes* anteriores pallide fulvi, basi (coxis) et tarsis pallidioribus; postici nigri, tarsis albis, basi nigris. *Abdomen* petiolatum.

Ichn. tricinctus Schrank Bercht. in Fuessl. N. Mag. II, p. 327, n. 93.

272. I. LUTESCENS. Gm.

Niger, segmento primo margine postico luteo, orbitis oculorum internis oreque flavis, antennis subtus luteis; pedibus rufis, tibiis posticis basi apiceque plantisque fuscis.

Ichn. lutescens Gmel. ed. Linn. p. 2700, n. 284 (haud p. 2708, n. 348).

273. I. CYLINDRICUS. Gm.

Niger, pedibus rufis, segmentis plurimis margine externo ferrugineo.

Abdomen cylindricum; segmentis 2—4, aut omnibus, marginibus externis ferrugineis. *Aculeus* abdomine longior.

Ichn. Leske Mus. p. 62, n. 222.
Ichn. cylindricus Gmel. ed. Linn. p. 2700, n. 286.

Nota:

Haec species *Pimpla* esse videtur; haud confundatur vero cum *Ichn. cylindrico* Gmel. p. 2712, n. 270, qui est nostra *Pimpla varicornis.*

274. I. MARGINATUS. Gm.

Ater, capite maculato, pedibus rufis; abdomine sessili, margine albo; aculeo abdomine longiore.

Caput facie macula magna flava biloba versus verticem.

Ichn. marginatus Gmel. ed. Linn. p. 2698, n. 261 (haud confundi debet cum *Ichn. marginato* Jurinei, qui Ophion est).

275. I. DISCRETUS. Gm.

Minutus niger, segmento 1 dimidio posticc, 2 antice, pedibusque, rufis.

Ichn. Leske p. 68, n. 317.
Ichn. discretus Gmel. ed. Linn. p. 2717, n. 363.

276. I. USTULATUS. Gm.

Minutus niger, antennis fuscis, pedibus rufescentibus; abdomine pubescente, segmento 1 luteo, utrinque macula nigra, 2 et 3 antice luteis.

Ichn. Leske p. 68, n. 318.
Ichn. ustulatus Gmel. ed. Linn. p. 2717, n. 364.

Nota:

Conferatur noster *Hemiteles floricolator.*

277. I. SUBTESTACEUS. Gm.

Minutus niger, abdomine utrinque obsolete testaceo-maculato, pedibus rufescentibus.

Ichn. Leske p. 70, n. 349.
Ichn. subtestaceus Gmel. ed. Linn. p. 2720, n. 394.

Nota:

Conferatur noster *Porizon dissimilis.*

278. I. XANTHURUS. Gmel.

Minutus niger glaber; abdomine plano, segmentis 1 et 2 luteis, postice fuscis, aculeo mediocri luteo; pedibus testaceis.

Ichn. Leske p. 71, n. 365.
Ichn. xanthurus Gmel. ed. Linn. p. 2722, n. 408.

279. I. IMPERIALIS. Gmel.

Minutus niger: capite pedibus et segmenti secundi apice luteis, aculeo mediocri.

Ichn. Leske p. 71, n. 367.
Ichn. imperialis Gmel. ed. Linn. p. 2722, n. 409.

280. CRYPTUS MACULATOR. F.

Niger, abdominis lateribus pedibusque rufis, tibiis posticis albo-maculatis.

Statura Ichn. (Pimplae) turionellae, cujus forte mera varietas. *Caput* et *thorax* atra immaculata. *Antennae* setaceae, fere longitudine corporis. *Alae* hyalinae, stigmate nigro. *Pedes* rufi, tibiis posticis albo-maculatis. *Abdomen* cylindricum sessile nigrum, lateribus rufis, marginibus segmentorum subalbidis. *Aculeus* niger, abdomine brevior.

Ichn. maculator Fabr. Ent. Syst. p. 168, n. 147; habitat in *Germania.*
Cryptus maculator Fabr. Piez. p. 87, n. 71.

Nota:

Conferre velis synonyma dubia ad nostram *Pimplam scanicam.*

281. BANCHUS HASTATOR. F.

Scutello spinoso; ater, segmentorum marginibus pedibusque rufis.

Statura et magnitudo omnino Ichn. (Banchi) venatoris. *Caput* orbitis oculorum testaceis. *Scutellum* elevatum, spina acuta valida sub (?) scutello. *Thorax* immaculatus subbidentatus. *Alae* obscuro-hyalinae radice et squamula flavis. *Pedes* rufi immaculati. *Abdomen* compressum subfalcatum atrum, segmentorum marginibus rufis.

Ichn. hastator Fabr. Ent. p. 167, n. 141; *habitat* in Europae hortis.
Banchus hastator Fabr. Ent. S. Suppl. p. 233, n. 2.
— Piez. p. 127, n. 2.
„ Walckenaer p. 71, n. 2.

232. I. CIRCULATOR. Panz.

Niger; pedibus et abdominis medio rufis, nigro-cingulatis.

Longitudo 3¼ linearum. *Caput* et *thorax* atra, omnino immaculata. *Antennae* porrectae (in icone curvatae) dimidio corpore paulo longiores, nigrae, basi subtus flavae. *Alae* obscuro-

hyalinae (in icone hyalinae irideae, stigmate et radio nigris, areola nulla). *Pedes* validiusculi, rufi; antici immaculati; femoribus posterioribus apice nigris; tibiis posticis medio et apice nigris; tarsis omnibus nigro-annulatis (articulis apice nigris; coxis posterioribus in icone nigris, anticis absconditis). *Abdomen* capite thoraceque paulo longius, thoracis latitudine, subcylindricum, segmento 1 basin versus sensim angustato, latitudine paululum longiore, rufo, macula triangulari nigra; 2—5 subaequilatis subquadratis rufis, 2 et 3 apice cingulo nigro; 6 et 7 nigris. *Aculeus* subexsertus.

Ichn. circulator Panz. Faun. Fasc. 79, tab. 12; lectus minus frequens inter aphides.

283. CRYPTUS FUSCATUS. F.

Niger, abdominis fascia pedibusque ferrugineis, alis fusco-maculatis.

Statura parva Ichneum. cincti (longitudine 1¾ linearum Schr.). *Caput* fronte (facie?) flavescente. *Abdomen* fascia antica ferruginea (segmento secundo rufo-fusco. *Aculeus* longitudine ½ lineae Schr.).

Ichn. fuscatus Fabr. Ent. p. 184, n. 209; habitat in *Germania*.

„ Villers p. 200, n. 214.

Ichn. fuscatus Gmel. ed. Linn. p. 2710, n. 185 (haud Gm. p. 2684, n. 239, qui est noster Ichn. fuscatus).
„ Oliv. p. 199, n. 177.
„ Schrank Boica n. 2134.

Nota:

Haec species affinis esse videtur nonnullis Hemitelium speciebus, alis maculatis.

284. I. ARANEARUM. m. Fourc.

Niger, pedibus annulisque duobus abdominis ferrugineis. m.

Longitudo 2⅓ linearum. *Caput* nigrum. *Antennae* nigrae, longitudine corporis. *Thorax* niger. *Alae* amplae, stigmate nigro. *Pedes* rufi. *Abdomen* gracile nigrum, fasciis duabus rufis.

Ichn. Geoffr. p. 361, n. 89; prodiit e nido araneae, cujus ova comederat.
Ichn. aranearum Fourcr. p. 424, n. 90.
„ Villers p. 216, n. 270.
Ichn. audax Oliv. p. 205, n. 203.
„ Walcken. p. 67, n. 88.

Nota:

Huc haud referri debet *Ichn. aranearum* Oliv. n. 192 et Walcken. n. 83, cui potius respondere videtur *Ichn. aranearum* Degeeri, quem Latreille ad familiam Mystacinorum (Braconum) referen-

dum esse suspicatur. — Conferre velis ad hanc speciem *Ichn. fumosum* Fourcr. qui etiam e nido araneae provenit, forsanque hujus femina esse posset; femina enim, quam Geoffroi et reliqui auctores allegati cum hoc mare conjunxerunt, cujusque descriptio in sectione sexta horum supplementorum exhibebitur, aptera est, praetereaque statura et colore a mare satis discedit.

---

5. ABDOMINE SOLO APICE ALBO.

Affinitatis inter hanc divisionem et *divisionem* 1 jam sub hac mentionem feci.

285. I. LEUCOGASTRIUS. Schr.

Niger, ore flavescente; pectore et thoracis dorso, pedibusque, rufis; ventre et segmentorum ultimorum marginibus albis. f.

Longitudo 5 linearum. *Antennae* subtus pallidiores. *Thorax* rufus, lateribus et regione circa scutellum nigris, hac puncto (scutello?) rufo. *Abdomen* segmentis ultimis tenuissime albo-marginatis; membrana ventrali alba pellucida, interdum nigro-sordida. *Aculeus* brevissimus.

Ichn. leucogastrius Schrank Boica n. 2101; lectus circa *Ingolstadium*, mense Iunii.

286. I. LEUCORRHOUS. Gm.

Niger, antennis ferrugineis, apice, nigris; puncto sub alis, abdominisque apice, albis; pedibus rufis, tibiis posticis apice nigris.

Ichn. leucorrhous Gmel. ed. Linn. p. 2709, n. 358.

---

6. ABDOMINE TRICOLORE.

De affinitate hujus divisionis cum *divisione 2,* sub hac jam quaedam monui. — *Ichn. decorator* Vill. n. 290, antennis rufis, apice fuscis, fere ad *sectionis V* divisionem 6 spectat.

287. SPHEX PUNCTALATA. Schell.

Ichn. niger; abdomine rufo, basi apiceque nigro, segmento sexto albo-marginato; pedibus rufis, femoribus posterioribus nigris.

Longitudo 6 linearum. *Caput* facie subtrituberculata. *Antennae* dimidio corpore paulo breviores, curvatae, rufae, apice et articulo primo nigris. *Thorax* cylindricus, antice angustior. *Alae* flavicanti-hyalinae punctulatae, stigmate fulvo, areola quinqueangulari aut suborbiculata. *Pedes* rufi; coxis et trochanteribus omnibus, femoribusque posterioribus, nigris. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius, thorace paulo angustius,

oblongum; segmento 1 nigro, petiolo longo tenui, 2—5 rufis, sequentibus nigris, 6 margine albo.

Sphex punctalata Schellenb. Helv. p. 24, tab. 10; lectus mense Maji ad sepes.

Nota:

Haec species e genere Ichneum. esse videtur.

288. I. PICEUS. Gm.

Piceus; abdomine petiolato subsessili, petiolo nigro; segmentis 1—3 ferrugineis, sequentibus nigris, apice punctis duobus flavicantibus; pedibus rufescentibus, plantis posticis fuscis.

Ichn. Leske p. 64, n. 253.
Ichn. piceus Gmel. ed. Linn. p. 2703, n. 309.

289. I. PARTITUS. Gm.

Minutus niger; facie pedibusque flavescentibus, horum posticis rufo-fuscis geniculis nigris; abdomine basi nigro, segmentis fuscis, postice rufescentibus, tertio postice flavescente.

Ichn. Leske p. 70, n. 343.
Ichn. partitus Gmel. ed. Linn. p. 2720, n. 388.

290. I. DECORATOR. Vill.

Niger, pedibus antennis metathorace abdomineque rufis, segmentis ultimis nigris ano albo, alis fasciatis.

Antennae rufae, apice fuscae. *Alae* hyalinae, fusco-fasciatae. *Pedes* rufescentes, femoribus posticis rufis. *Aculeus* brevis, pallide-testaceus.

Ichn. decorator Villers p. 195, n. 195; habitat prope *Massiliam*.
„ Oliv. p. 217, n. 62.

Nota:

Haec species affinis esse videtur nostro *Hemiteli maculipenni*.

291. CRYPTUS FIRMATOR. F.

Ater; segmentis 2 et 3 rufis, ultimis apice albis; pedibus anterioribus ferrugineis.

Statura et magnitudo *Ichneum. castigatoris*. *Caput* atrum, facie punctis pallidis. *Thorax* ater immaculatus. *Abdomen* segmento 1 incurvo atro, 2 et 3 ferrugineis, ultimis margine albo.

Ichn. firmator Fabr. Ent. S. Suppl. p. 226, n. 135; habitat *Halae Saxonum*.
Cryptus firmator Fabr. Piez. p. 86, n. 66.

Nota:

Fabricius, in Syst. Piez. *Ichneumonem mandatorem* Linn. ad hanc speciem adhibuit, de quo conferre velis notam ad nostrum *Tryphonem elegantulum.*

SECTIO V.

Antennis totis pallidis.

1. ABDOMINE TOTO NIGRO.

Ichneumonis cincturatoris Müll., n. 293 (inter synonyma) varietas, corpore rufo, hanc divisionem cum *divisione* 2 conjungit. E divisione 2 ipsa Ichn. *forcicatus* Vill., n. 306, corpore fusco, *Ichn. femoratus* Vill. fuscus, et *Ichn. cervinus* Gmel., n. 311, abdomine fusco, ad hanc divisionem 1 adpropinquant. — *Ophion aggressor* F., n. 302, abdomine atro, segmenti tertii margine parum rufescente, ad *divisionem* 4 spectat.

292. I. FORMICATUS. L.

Niger; antennis et pedibus ferrugineis (flavescentibus Fabr.), femoribus posticis nigris.

Corpus formica minus. *Antennae* vix longitudine corporis. *Alae* hyalinae, stigmate nigro. *Abdomen* clavatum. *Aculeus* ferrugineus, longitudine corporis.

Ichn. formicatus Linn. Syst. ed. XII, p. 938, n. 61; *habitat* in Hammarby meo.
„ Fabr. Syst. Ent. p. 342, n. 81. — Ent. Syst. p. 183, n. 204.
„ Villers p. 200, n. 211.
„ Gmel. ed. Linn. p. 2711, n. 61.
„ Christ p. 360.
„ Olivier p. 199, n. 174.
Cryptus formicatus Fabr Piez. p. 88, n. 80.
Ichn. formicator Thunb. Ichn. 469?

293. I. CINCTUS. L.

Ater, antennis pedibusque ferrugineis; alis albis, fasciis duabus nigris.

Angustus parvus, magnitudine culicis (longitudine 1 ½ linearum, *Geoffr.*, 2 linearum, *Schr.*). Totum corpus atrum est, sed *femora* primora rufescunt. (*Pedes* rufi, tibiis et pedibus posticis obscurioribus, horum tibiis fere nigris; *Schr.*). *Caput* (ore rufo *Schr.*). *Antennae* tenuissimae rectae ferrugineae (corpore paulo breviores, *Oliv.* rufae, apicem versus nigricantes, *Schr.*). *Alae* hyalinae, macula magna nigricante postice, et ante hanc lineola transversa nigra (areola parva, *Jur.*). *Abdomen* (petiolatum *Schr.*). *Aculeus* (vix longitudine ½ lineae *Schr.*).

Ichn. Geoffr. p. 359, n. 85; frequens in domibus ad fenestras.

Ichn. cinctus Linn. Faun. Suec., n. 1632. — Syst. ed. XII p. 938, n. 60; habitat in pratis.
„ Fabr. Syst. Ent. p. 342, n. 83. — Ent. Syst. p. 183, n. 208.
„ Schrank Austr., n. 745, inventus saepius in fenestris, in mediis urbibus; an larvarum ptini et dermestidum destructor.
„ Fourcr. p. 423, n. 86.
„ Gmel. ed. Linn. p. 2710, n. 60.
„ Villers p. 199, n. 210.
„ Christ p. 360.
„ Olivier p. 199, n. 176.
„ Schrank Boica, n. 2135; habitat in salicibus, mense Maji.
„ Walckenaer p. 62, n. 69.
Ichn. cincturator Müll. Prodr., n. 1819; variat corpore atro et rufo.
Cryptus cinctus Fabr. Piez. p. 89, n. 86.

Nota:

Conferre velis notam ad nostrum *Hemitelem bicolorinum*, et speciem sequentem.

294. I. CINCTUS. Dwig.

Ater, antennis et pedibus ferrugineis, alis hyalinis stigmate nigro.

Ichn. cinctus Dwigubsky p. 166, n. 580; habitat in hortis (conf. n. 293).

265. I. NOTATUS. Gm.

Niger; antennis luteis, tenui ferrugineo annulatis, facie ore pedibusque luteis; scutello et macula infra alas albis.

Ichn. Leske p. 67, n. 304.
Ichn. notatus Gmel. ed. Linn. p. 2709, n. 355.

296. I. XANTHOMELAS. Gm., n. 360.

Niger; antennis facie ore pedibus et ventris antica parte luteis; scutello ferrugineo.

Ichn. Leske p. 68, n. 309.
Ichn. xanthomelas Gmel. ed. Linn. p. 2709, n. 360 (haud p. 2722, n. 413, de quo vide sp. sequentem).

297. I. XANTHOMELAS. Gm., n. 413.

Minutus niger; pedibus antennisque luteis.

Ichn. Leske p. 71, n. 371.
Ichn. xanthomelas Gm. ed. Linn. p. 2722, n. 413 (conf. speciem antecedentem).

298. ICHN. *Leskei* p. 71, n. 360.

Minutus niger, antennis lividis; tenui fusco-annulatis; pedibus lividis.

299. I. UNICOLOR. Gm.

Minutus niger, antennis pedibusque rufescentibus, aculeo mediocri.

Ichn. Leske p. 70, n. 352.
Ichn. unicolor Gmel. ed. Linn. p. 2721, n. 397.

300. I. SIMPLEX. Gm.

Minutus niger, pedibus antennisque testaceis.

Ichn. Leske p. 70, n. 354.
Ichn. simplex Gmel. ed. Linn. p. 2721, n. 399.

Nota:

Gmelin cum hac specie conjunxit Ichneum. Leske p. 71, n. 359, de quo conferre velis n. 172 horum supplementorum. — Haud confundatur cum *Ichn. simplice* Mülleri, qui cum n. 45 horum supplementorum conjunctus est.

301. I. DIVERSICOLOR. Gm.

Minutus niger, antennis luteis; pedibus luteis, posticis rufescentibus, tibiis albidis, apice plantisque fuscis.

Ichn. Leske p. 71, n. 370.
Ichn. diversicolor Gmel. ed. Linn. p. 2722, n. 412.

302. OPHION AGGRESSOR. F.

Ater, antennis ore pedibusque rufis.

Statura omnino *Oph. pugillatoris*, at minor. *Abdomen* breve, apice truncatum; segmento 3 margine parum rufescente. *Alae* hyalinae. *Pedes* ferruginei. *Aculeus* exsertus brevis.

Ophion aggressor Fabr. Piez. p. 132, n. 8; habitat in *Selandia*.

303. I. CALCEATORIUS. Pz.

Niger, scutello flavicante, antennis pedibusque rufis.

Statura et habitus Ichn. pedatorii F. *Longitudo* 5½ linearum. *Caput* transversum. *Antennae* dimidio corpore paulo longiores, apice incurvae, articulis brevibus; rufae, articulo primo nigro. *Scutellum* flavum. *Alae* hyalinae irideae, stigmate flavo, radio fusco, radice et squamula albidis, areola quinqueangulari. *Pedes* mediocres, rufi, tarsis posticis solis nigris (in icone quoque coxis et trochanteribus, nec non tibiarum posticarum apice, nigris). *Abdomen* clavatum (? in icone elongato-ovatum, petiolatum, capite thoraceque paulo longius, thoracis latitudine, abdomini Ichneumonum genuinorum omnino respondens).

Ichneumon calceatorius Panzer Fauna fasc. 80, tab. 15.

Nota:

Conferatur nota ad nostrum *Ichn. fossorium.*

304. CRYPTUS ABDOMINALIS. F.

Flavus, abdomine et metathoracis dorso nigris.

Descriptio, ex icone Coquebertiana, haec est: *Longitudo* 3 linearum. *Antennae* porrectae, longitudine corporis, vel paulo breviores. *Pedes* lutei. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, thorace angustius, subcylindricum gracile, medio quasi incisum. *Aculeus* longitudine corporis, vel paulo brevior.

Ichn. abdominalis Fabr. Ent. S. p. 183, n. 207; habitat in *Gallia.*
„ Coqueb. I, p. 18, tab. 4, fig. 4.
„ Walckenaer p. 62, n. 68.
Cryptus abdominalis Fabr. Piez. p. 89, n. 84.

Nota:

Ichn. abdominalis Fourcr. est noster Phygadeuon profligator.

---

2. ABDOMINE RUFO AUT FLAVO.

De affinitatibus hujus divisionis cum *divisione* 1 et cum *sectionis III* divisione 2, nec non cum *sectionis IV* divisione 2, hae conferantur. *Banchus varius* F., n. 312, et *Ophion tricolor* F., n. 313, petiolo abdominis atro, hanc divisionem cum *divisione* 3 conjungunt.

305. I. MELANOCEPHALUS. Fourcr.

Abdomine falcato; niger, antennis pedibus abdomineque luteis.

Longitudo 9 linearum. *Statura* et proportio partium omnino Ichn. lutei (Ophionis lutei).

Ichn. Geoffr. p. 331, n. 22.
Ichn. melanocephalus Fourcr. p. 400, n. 22.
Ichn. xanthopus Oliv. p. 197, n. 165.

Nota:

Haec species haud confundi debet cum *Ichn. melanocephalo* Vill. et Gmel., de quo conferas nostrum *Pezomachum fasciatum*, nec cum *Ichn. xanthopo* Schrankii. Conferatur etiam nota ad nostrum *Anomalon xanthopum*.

306. I. FORCICATUS. Vill.

Fuscus, antennis luteis, pedibus ferrugineis; (f. vaginis terebrae forficiformibus).

Medius. *Caput* puncto faciali testaceo. *Aculeus* brevis, vaginis forficiformibus pilosis.

Ichn. forcicatus Vill. p. 203, n. 222; *habitat* in Bressiae sylvis; esset sirex, sed aculeus non serratus est.
„ Oliv. p. 218, n. 73.

307. I. FEMORATUS. Vill.

Fuscus, antennis luteis; pedibus fulvis, femoribus posticis crassis.

Medius. *Pedes* anteriores fulvi, postici (nigri) femoribus fulvis. *Aculeus* brevis.

Ichn. femoratus Vill. p. 204, n. 225; *habitat* circa Lugdunum.
„ Oliv. p. 219, n. 75.

308. I. APICARIUS. Fourcr.

Flavo-ferrugineus, apice thoracis nigro.

Longitudo 2⅓ linearum. *Antennae* longitudine corporis. *Aculeus* brevissimus.

Ichn. Geoffr. p. 333, n. 27.
Ichn. apicarius Fourcr. p. 402, n. 27.
„ Villers p. 189, n. 170.
„ Oliv. p. 208, n. 11.

Nota:

Conferatur noster *Mesoleptus sticticus.*

309. I. LIVIDUS. Gm.

Minutus, totus lividus; aculeo abdomine longiore.

Ichn. Leske p. 69, n. 336.
Ichn. lividus Gmel. ed. Linn. p. 2719, n. 382.

310. I. RUFICORNIS. Gm.

Minutus niger, fronte (facie) flavescente, antennis abdomine pedibusque rufescentibus.

Ichn. Leske p. 69, n. 337.
Ichn. ruficornis Gmel. ed. Linn. p. 2719, n. 383.

Nota:

Gmelin cum hac specie conjunxit Ichn. Leskei, n. 338, qui autem segmentis 1 et 4—7 nigris differt.

311. I. CERVINUS. Gm.

Minutus niger, antennis prothorace pedibusque rufofuscis, abdomine fusco, aculeo mediocri.

Ichn. Leske p. 70, n. 353.
Ichn. cervinus Gmel. ed. Linn. p. 2721, n. 398.

312. BANCHUS VARIUS. F.

Abdomine ovato; luteus, pectore atro-vario.

Medius. *Caput* luteum; facie flava, striga atra. *Antennae* luteae. *Thorax* obscuro-luteus, antice punctis duobus impressis nigris; pectore atro-vario. *Alae* flavescentes, stigmate nigro. *Pedes* lutei, femoribus crassiusculis. *Abdomen* ovatum luteum, petiolo parvo atro.

Ichn. varius Fabr. Ent. p. 181, n. 196; habitat in *Germania.*
Banchus varius Fabr. Ent. S. Suppl. p. 234, n. 6.
— Piez. p. 129, n. 13.
„ Walckenaer p. 71, n. 3.

Nota:

De *Ichn. vario* auctorum conferantur synonyma et nota ad nostram Pimplam flavicantem.

313. OPHION TRICOLOR. F.

Ater, thorace maculato; abdomine antennis et pedibus ferrugineis.

Medius. *Caput* nigrum, ore late flavo. *Antennae* ferrugineae, articulo primo nigro. *Thorax* ater, utrinque lineola antica punctoque ante alas flavis. *Alae* albidae. *Pedes* ferruginei. *Abdomen* ferrugineum petiolo nigro.

Ichn. tricolor Fabr. Ent. S. p. 182, n. 203; habitat in *Italia*.
Ophion tricolor Fabr. Piez. p. 133, n. 16.

Nota:

Conferantur synonyma ad nostrum *Banchum falcatorem*, nec non notas ad nostrum *Ichn. fossorium* et ad *Ichn. tricolorem* Schrankii (horum suppl., n. 74).

314. I. CUNCTATOR. Müll.

Abdomine petiolato; lividus; alis medio litura alba, puncto nigro.

Ichn. cunctator Müll. Prodr., n. 1834.

Nota:

De *Ichn. cunctatore* auctorum conferas nostram *Pimplam varicornem*.

316. CRYPTUS AFFINIS. F.

Ferrugineus, tarsis basi albis, alis hyalinis stigmate atro.

Statura et summa affinitas *Crypti mutillarii.* *Caput* cum antennis ferrugineum. *Thorax* dorso paulo obscuriore. *Alae* hyalinae, puncto marginali nigro. *Pedes* ferruginei, tarsis basi albis. *Abdomen* clavatum petiolatum ferrugineum immaculatum. *Aculeus* fere longitudine corporis.

Ichn. affinis Fabr. Ent. S. p. 183, n. 206; habitat *Kiliae.*
Cryptus affinis Fabr. Piez. p. 89, n. 82.

Nota:

Ichn. (Cryptus) mutillarius, cum quo Fabricius hanc speciem comparavit, *Bracon* esse videtur.

316. I. BICOLOR. Vill., n. 226.

Niger, antennis luteis, abdomine pedibusque fulvis, petiolo et femoribus posticis nigris.

Ichn. bicolor Villers p. 204, n. 226; habitat in *Bressia.*
„ Oliv. p. 219, n. 76.

Nota:

Cave ne hunc confundas cum *Ichn. bicolore* Vill., n. 275 (nostro *Pezomacho acarorum*), nec cum *I. bicolore* Gmel. p. 2710, n. 58 (africano).

317. I. FALCIFER. Gm.

Capite thoraceque maculatis, abdomine falcato, femoribus rufis, tibiis flavis, tarsis posticis albis.

Caput flavum, postice nigrum, fronte (facie) punctis duobus impressis. *Antennae* ferrugineae. *Thorax* niger, ferrugineo-lineatus, postice ferrugineus nigro-maculatus. *Tibiae* posticae apice fuscae. *Abdomen* (colore haud indicato).

Ichn. Leske p. 66, n. 288.
Ichn. falcifer Gmel. ed. Linn. p. 2707, n. 342.

318. I. FALCULATOR. Vill.

Abdomine falculato; niger, antennis rufis, pedibus flavis. m.

Magnus. *Antennae* fere longitudine corporis, convolutae. *Pedes* flavescentes, tibiis posticis apice fuscis. *Abdomen* infra et fere totus petiolus nigra; parte posteriori abdominis arcuato, falculam imitante.

Ichn. falculator Vill. p. 194, n. 191; *habitat* in Gallia australi prope Massiliam; feminam non vidi.
„ Oliv. p. 216, n. 57.

3. ABDOMINE SEGMENTIS QUIBUSDAM DISCOLORIBUS.

Relationum hujus divisionis ad *divisionem 2*, nec non ad *sectionis IV* divisiones 2 et 3, sub his jam mentio facta est. — *Ichn. tenebricosus* Gmel., n. 324, abdomine nigro, petioli parte supera ferruginea, segmento 2 ferrugineo, puncto nigro, segmento 3 antice ferrugineo, ad hujus sectionis *divisionem* 4 adpropinquant.

319. I. CEPHALATOR. Vill.

Capite grosso, alis fusco-fasciatis; thorace rubro, medio nigro; abdomine nigro, basi rubra.

Minor. *Caput* oculis magnis nigris prominulis, ut in cicindelis, inde caput monstrosum ratione longitudinis insecti. *Antennae* rufae. *Alae* hyalinae fusco-fasciatae. *Aculeus* brevissimus testaceus.

Ichn. cephalator Villers p. 195, n. 196; habitat in *Gallia* australi.
„ Oliv. p. 217, n. 63; in Gallia meridionali.

Nota:

Haec species peraffinis videtur esse nostro *Hemiteli maculipenni* et *ruficolli;* differt autem praecipue aculeo brevissimo et capite grosso. Quamvis

enim nostro maculipenni oculi sint magis prominuli, indeque caput etiam latius, quam in pluribus cospeciebus, illud tamen haud monstrosum est.

320. I. XANTHOPUS. Schr.

Abdomine compresso; niger, pedibus anterioribus aurantiacis; antennis abdomineque ferrugineis, segmentis 1 et 2 (2 et 3?) supra nigris. m. f. (m. etiam abdominis apice nigro).

Longitudo 9 linearum. *Pedes* anteriores aurantiaci, postici nigri tarsis aurantiacis. *Abdomen* petiolatum compressum falcatum. *Aculeus* longitudine 1¼ linearum.

Ichn. xanthopus Schrank Boica, n. 2052; larva habitat in larvis *Bombycis cynoglossi.*

Nota:

Conferatur nota ad *Ichn. melanocephalum* Fourcr. horum supplementorum, n. 305.

321. I. VICTOR. Scop.

Niger; antennis, segmentis 2—4, pedibusque, fulvis, femoribus posticis nigricantibus.

Longitudo 4 linearum. *Caput* palpis longis fulvis. *Antennae* corpore longiores. *Alae* hyalinae, stigmate nigro. *Aculeus* longitudine ½ lineae.

Ichn. victor Scop. Carn. n. 757; ruri degit, super folia discurrens, obvia insecta cuncta depellens.
„ Villers p. 186, n. 158.
„ Christ p. 367.
„ Olivier p. 213, n. 38.

Nota:

Villers interrogat, num haec species forsan varietas sit *Ichn. necatoris* Fabr. qui autem tam parvitate quam colore discedit. — *Ichn. victor* Thunb. Ichn. 271 species est diversa.

322. I. EXOTICUS. Schr.

Niger; antennis, segmentis 2—4, tibiisque, ferrugineis. m.

Longitudo 3½ linearum. *Antennae* dimidio corpore longiores. *Tibiae* posticae apice nigrae.

Ichn. exoticus Schrank Aust. n. 756.
„ Gmel. ed. Linn. p. 2711, n. 193.
„ Oliv. p. 223, n. 103.

Nota:

Forsan varietas nostri *Ichn. latratoris.*

323. I. CIRCUMFLEXUS. Scharf.

Niger; abdomine falcato flavo, postice obscuriore; pedibus flavis, posticis geniculis nigris.

Longitudo 14 linearum. *Antennae* longae flavae. *Scutellum* vel nigrum vel album. *Alae* nervis flavis. *Abdomen* longum falcatum articulatum, basi flavum, apicem versus obscurius, linea parva longitudinali dorsali nigra.

Ichn. circumflexus Christ. p. 360.
„ Scharfenberg p. 965, n. 20; *habitat* in pupis phalaenarum, e. g. *Phal. Bomb. Rubi,* e quibus, sub fine mensis Iulii anni 1791, unum individuum nobis prodibat.

Nota:

De Ichneum. circumflexo auctorum conferatur *Anomalon circumflexum.*

324. I. TENEBRICOSUS. Gm.

Ferrugineus; vertice frontisque margine antico (clypeo?) nigris; abdominis petiolo subtus, primo segmento puncto ad basin, secundo postice, reliquisque, nigris.

Ichn. Leske p. 67, n. 291.
Ichn. tenebricosus Gmel. ed. Linn. p. 2707, n. 343.

325. I. NAEVIUS. Gm. n. 344.

Luteus, thorace fuscomaculato; segmento 1 transverse impresso tribusque ultimis nigris.

Ichn. Leske p. 67, n. 293.
Ichn. naevius Gmel. ed. Linn. p. 2708, n. 344.

Nota:

Ichn. naevius Gmel. l. c. p. 2699, n. 269, est noster *Tryphon naevius.*

326. I. LUTESCENS. Gm. n. 348.

Niger; antennis luteis; abdomine ferrugineo, basi nigro; pedibus flavis, posterioribus ferrugineis nigro-nebulosis.

Ichn. Leske p. 67, n. 297.
Ichn. lutescens Gm. ed. Linn. p. 2708, n. 348.

Nota:

Ichn. lutescentem Gmel. n. 284 vide sub n. 272 horum supplementorum.

327. I. FERRUGINOSUS. Gm. n. 356.

Niger; antennis ore et pedibus ferrugineis; thorace ferrugineo-maculato, scutello margine ferrugineo; abdomine ferrugineo, apice nigro; aculeo abdomine longiore.

Ichn. Leske p. 67, n. 305.
Ichn. ferruginosus Gm. ed. Linn. p. 2709, n. 356.

Nota:

Ichneum. ferruginosus Gmel. n. 254 est noster *Ichneum. sputator.*

328. I. RUFULUS. Gm.

Minutus, niger; antennis, segmentis anterioribus, pedibusque, rufis, his interdum nigromaculatis.

Var. α. Ore, segmentis 1—3, pedibusque, rufescentibus; aculeo ¼ lineae longo.
Ichn. Leske p. 68, n. 311.

Var. β. Facie ore, segmentis 1—3, pedibusque, rufescentibus.
Ichn. Leske p. 68, n. 312.

Var. γ. Facie, ore, segmentis 1—4, pedibusque, rufescentibus; aculeo ¼ lineae longo.
Ichn. Leske p. 68, n. 313.

Var. δ. Segmentis 1—4 rufescentibus, femoribus nigris, tibiis anterioribus tarsisque flavis; aculeo ¼ lineae longo.
Ichn. Leske p. 68, n. 314.

Var. ε. Ore segmentisque 1—3 rufescentibus; pedibus fulvis, femoribus posticis fuscis, tibiis albidis, apice fuscis.
Ichn. Leske p. 68, n. 315.

Var. ς. Segmentis 1 et 2 pedibusque rufescentibus, geniculis posticis fuscis; aculeo abdomine breviore.
Ichn. Leske p. 68, n. 316.

Ichn. rufulus Gmel. ed. Linn. p. 2717, n. 362.

Nota:

Num omnes hi Ichneumones Leskeani ad unam eandemque speciem, auctoritate Gmelini, referri possint, aliis dijudicare committo. Varietatem ς ad nostrum *Cryptum rufulum* adhibui, quem conferre velint.

329. I. RUFICORNIS. Gm. var.

Minutus niger, facie flavescente; antennis, segmentis 2 et 3, pedibusque, rufescentibus.

Ichn. Leske p. 70, n. 338.
Ichn. ruficornis Gmel. ed. Linn. p. 2719, n. 383, var. (conferatur horum supplementorum n. 310).

330. I. LIVIDICORNIS. Gm.

Minutus niger; antennis pedibusque anterioribus lividis; pedibus posticis nigris, tibiis lividis; abdomine luteo, basi nigro.

Ichn. Leske p. 70, n. 340.
Ichn. lividicornis Gmel. ed. Linn. p. 2719, n. 385.

Nota:

Gmelin cum hac specie conjunxit etiam Ichn. Leskei n. 360, abdomine toto nigro, quem sub n. 298 horum supplementorum exhibui.

331. I. NIGELLUS. Gm.

Minutus niger, antennis segmentis 2—4 pedibusque rufescentibus; aculeo mediocri.

Ichn. Leske p. 71, n. 362.
Ichn. nigellus Gmel. ed. Linn. p. 2721, n. 405.

332. OPHION FLAVIFRONS. F.

Niger; segmentis 3 et 4 pedibusque rufis.

Medius. *Caput* facie flava. *Antennae* ferrugineae. *Thorax* immaculatus. *Alae* squamula flava.

Ophion flavifrons Fabr. Ent. S. Suppl. pag. 237, n. 9. — Piez. p. 133, n. 10; habitat in *Italia.*

Nota:

De *Ophione flavifronte* Gr. conferatur nostrum *Anomalon cerinops.* — *Ichneum. flavifrons* auct. satis differt; vide *Ichn. flavifrontem* Schrankii et *Ichn. frontalem* Fourcroyi.

333. I. NUNCUPATOR. Panz.

Flavescens, prothorace rufo, metathorace et abdominis basi nigris.

Longitudo 3 linearum. *Caput* flavum, vertice maculaque occipitali nigris; mandibulis apice fuscis; oculis nigris. *Antennae* apice curvatae, dimidio corpore longiores, articulis cylindricis, flavescentes. *Thorax* nitidus rufus, sub scutello niger. *Scutellum* rufum (in icone scutellum et prothorax sanguinea sunt, collo et puncto ante alas flavis). *Alae* hyalinae irideae, stigmate stramineo, radio piceo, radice et squamula albidis; areola rhombea. *Pedes* toti flavi; postici summis apicibus tibiarum et articulorum tarsi nigris. *Abdomen* ovato-fusiforme, capite thoraceque longius et paulo angustius, subpetiolatum (in icone longepetiolatum); segmento 1 nigro, sublineari, apicem versus perparum latiore, latitudine quadruplo longiore, 2 latitudine paulo longiore, nigro, margine flavicante, reliquis transversis ferrugineis. *Aculeus* pallidus, longitudine trientis abdominis.

Ichn. nuncupator Panz. Faun. Fasc. 79, tab. 13; lectus raro in umbelliferis.

Nota:

Haec species ad *Mesochoros* referenda est.

---

4. ABDOMINE FASCIATO AUT PUNCTATO.

De affinitatibus hujus divisionis cum *divisionibus* 1 et 3, nec non cum *sectionis III* divisione 4, hae conferantur. E *divisione* 5 hujus sectionis *Bassus bidens* F. n. 338, segmentorum marginibus, imprimis ultimis, albis, ad hanc divisionem 4 transit.

334. I. TORQUATUS. Vill.

Fulvus, segmentorum marginibus albis.

Longitudo 4 linearum. *Corpus* valde angustum. *Antennae* porrectae, dimidio corpore paulo longiores. *Abdomen* subcylindricum, thoracis latitudine, eo autem duplo longius. *Aculeus* corporis longitudine albus.

Ichn. torquatus Villers p. 203, n. 223, tab. VIII, fig. 7.
„ Olivier p. 198, n. 171.

Nota:

Secundum iconem, a Villersio exhibitam, haec species e genere Xoridarum esse videtur.

335. I. ALBUS. Fourcr.

Linearis albus fuscomaculatus, petiolo abdominis tenui longo.

Longitudo 2 linearum. *Caput* oculis et ocellis nigris. *Antennae* apicem versus subfuscescentes. *Thorax* macula ante collum, duabus maculis ante

radicem alarum, metathoraceque, fuscis. *Alae* albae, stigmate nigro. *Abdomen* ovale, fascia lata fusca.

Ichn. Geoffr. p. 360, n. 87; unicum individuum cepi circa quercus volitans.
Ichn. albus Fourcr. p. 423, n. 88.
„ Vill. p. 214, n. 262.
„ Oliv. p. 200, n. 178.
„ Walck. p. 63, n. 73.

336. I. STIGMA. Gm.

Minutus niger; facie, maxillis (mandibulis?), antennis, pectoris lateribus, pedibusque, rufescentibus; segmento primo luteo, punctis duobus nigris, reliquis margine postico (luteo); aculeo mediocri.

Ichn. Leske p. 68, n. 319.
Ichn. stigma Gmel. ed. Linn. p. 2717, n. 365.

Nota:

Haec species nostro *Hemiteli cingulatori* et *bicolorino* affinis esse videtur. — *Ichn. stigma* Fabr. autem species est diversa, Diplolepidibus consociata.

337. OPHION FERRUGINEUS. F.

Fulvus, abdominis segmentis utrinque puncto flavo.

Magnus. *Caput* mandibulis stemmatibusque nigris. *Thorax* lineis duabus dorsalibus, fere obso-

letis, nigris, punctoque sub alis flavo. *Alae* albidae, stigmate flavo. *Abdomen* petiolatum, utrinque punctis 4—6 flavis. *Aculeus* niger, longitudine abdominis.

Ichn. ferrugineus Fabr. Ent. Suppl. p. 228, n. 189; habitat in Italia.
Ophion ferrugineus Fabr. Piez. p. 131, n. 3.

Nota:

Conferantur synonyma et nota secunda ad Trogum flavicantem nostrum.

---

5. ABDOMINE SOLO APICE ALBO.

De transitu hujus divisionis ad *divisionem* 4 conferre velis quae ad hanc monui.

338. BASSUS BIDENS. F.

Ater, antennis luteis; abdominis segmentis ultimis margine albis, petiolo bidentato.

Medius. *Antennae* ferrugineae. *Caput* sub antennis flavum, macula magna triangulari nigra. *Thorax* immaculatus. *Alae* hyalinae, stigmate flavo. *Pedes* rufi, plantis posticis fuscis. *Abdomen* petiolatum ovatum atrum; segmentorum marginibus, imprimis ultimis, albis; petiolo in medio denticulis duobus parvis elevatis.

Ichn. bidens Fabr. Ent. Suppl. pag. 228, n. 203; habitat in Italia.
Bassus bidens Fabr. Piez. p. 101, n. 33.

---

6. ABDOMINE TRICOLORE.

De relatione inter hanc divisionem et *sectionis IV* divisionem 6, sub hac jam locutus sum.

339. I. HISTRIO. Chr.

Rufo flavoque varius; thorace nigro, maculato; scutello flavo.

Longitudo 14 linearum. *Caput* flavum, oculis fuscis. *Antennae* porrectae flavae. *Thorax* niger; linea ante alas fulvo-rufa; linea transversa sub scutello, punctoque infra alas, flavis; metathorace maculis duabus fulvis elevatis. *Scutellum* flavum. *Alae* hyalinae, stigmate rufo. *Pedes* ferruginei, unguibus posticis nigris. *Abdomen* capite thoraceque triplo longius, subcylindricum nitidum rufo-fuscum; segmentorum margine nigro macula media triangulari flava.

Ichn. histrio Christ p. 356, tab. 36, fig. 7.

Nota:

De *Ichn. histrione* auct. conferre velis nostrum *Ephialten divinatorem;* de hoc Ichneum. Christii autem nostram *Rhyssam clavatam.*

SECTIO VI.

Ichneumones pedestres.

340. I. CARPINI. Fourcr.

Niger; pedibus rufis, geniculis fuscis; femina aptera, aculeo longitudine abdominis.

Longitudo 1 lineae. *Antennae* fuscae, longitudine corporis.

Ichn. Geoffr. II, p. 361, n. 90; marem (alatum) et feminam (apteram) copula junctos prehendi in carpino parvo horti regii.
Ichn. carpini Fourcr. p. 424, n. 91.
„ Villers p. 217, n. 271.
„ Olivier p. 205, n. 204.
„ Walck. p. 67, n. 89.
„ Grav. Pedest. p. 107, n. 1.

Nota:

Haec species a quibusdam varietatibus nostri *Pezomachi agilis* praecipue aculeo longiore differt.

341. INSECTUM APTERUM Brunnichii n. 21.

Flavescens; abdomine nigro-testaceo, petiolo flavescente. f. aculeo fere corporis longitudine.

Praecedenti (i. e. *Insecto aptero* Brunnichii n. 20, seu varietati 4 b nostri *Pezomachi agilis*) simile, sed admodum exiguum. *Caput* oculis nigro-testaceis. *Antennae* longitudine corporis.

Ins. apt. Brünnich Siaell. p. 30, n. 20.
„ „ Grav. Pedestr. p. 107, n. 2.

342. I. PULICARIUS. Pz.

Apterus niger; thorace, abdominis petiolo, tibiisque, rufis.

Descriptio, ex icone Panzeriana, haec est: *Longitudo* 2 linearum. *Caput* transversum, thorace paulo latius. *Antennae* rufae, longitudine dimidii corporis. *Thorax* rufus. (*Scutellum?*) *Pedes* rufi, posteriores femoribus tibiisque fuscis, basin versus rufis. *Abdomen* oblongo-ovatum, capitis thoracisque longitudine et latitudine; segmento 1 apicem versus paulo dilatato, rufo; 2 lateribus rufis. *Aculeus* rufescens, abdomine longior.

Ichn. pulicarius Panz. Faun. Fasc. 84, tab. 15; habitat in arenosis.
„ Grav. Pedestr. p. 108, n. 3 (ubi autem pro *publicarius* legendum est *pulicarius*).

Nota:

Cryptus pulicarius Fabr. est noster *Pezomachus pulicarius* II, p. 917, n. 309. — *Cryptus pulicarius* Grav. Uebers. autem ad varietatem primam nostri *Pezomachi bicoloris* II, pag. 902, spectat.

343. I. ARANEARUM. Fourc.

Mas: alatus niger; pedibus abdominisque annulo duplici ferrugineis. *Femina:* aptera fulva; capite, antennarum apice, abdominisque fascia duplici transversa, nigris.

Longitudo 2⅓ linearum. *Statura* maris multo gracilior quam feminae. *Antennae* maribus nigrae, corporis longitudine; feminis rufae, apicem versus nigrae, corporis dimidii longitudine. *Thorax* maris niger, feminae rufus. *Alae* maribus amplae, stigmate nigro; feminis nullae. *Pedes* rufi. *Abdomen* maris gracile nigrum, fasciis duabus rufis; feminae crassum rufum, fasciis duabus nigris; petiolo tenui.

Ichn. Geoffr. p. 361, n. 89; prodiit hic Ichneumon e nido aranearum, cujus ova comederat.
Ichn. aranearum Fourcr. p. 424, n. 90.
„ Villers p. 216, n. 270.
„ Grav. Pedest. p. 108, n. 4.
Ichn. audax Oliv. p. 205, n. 203.
„ Walck. p. 67, n. 88.

Nota:

Ratione vitae hic Ichn. convenit cum nostro *Hemiteli palpatore* (II, p. 819).

Ichn. aranearum Oliv. n. 192 et Walck. n. 83, huc haud spectant.

344. I. HEMIPTERON. Riche.

Alis longitudine thoracis; niger, pedibus et abdominis medio ferrugineis.

Longitudo 6—9 linearum. *Antennae* filiformes, capitis thoracisque longitudine, vigintiarticulatae, basi ferrugineae. *Thorax* oblongus compressus subpilosellus. *Alae* quatuor longitudine thoracis; superiores brunneae, macula alba. *Pedes* ferruginei; postici longiores, genubus tarsisque nigris. *Abdomen* thorace longius, arcuatum petiolatum depressum ferrugineum, petiolo anoque nigris, segmentorum marginibus ciliatis. *Aculeus* vaginis filiformibus, terebra capillariformi.

Ichn. hemipteron Riche in Actes de la Soc. d'hist. nat. de Paris I, p. 39; habitat in locis siccis circa Parisios.
„ Grav. Pedestr. p. 109, n. 5.

Nota:

Haec species vix cum Ichneumonibus genuinis conjungi potest, ob numerum articulorum antennarum et colorem alarum.

Typis Grassii Barthii et Sociorum.

